Z.2.

6
20-c
39

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
18 C
54

6-20-39

1 : 10

XXXIII. 10.18

PRINCIPVM MONITRIX MVSA.

ſiue,

De Principatu bene inſtituendo & adminiſtrando Poema.

AVTORE HENRICO STEPHANO.

EIVSDEM POEMATIVM,

cuius verſus intercalaris,

CAVETE VOBIS PRINCIPES.

EIVSDEM LIBELLVS,

in gratiam principum ſcriptus,

DE ARISTOTELICAE Ethices differentia ab hiſtorica & poetica.

Vbi multi Ariſtotelis loci vel emendantur, vel fideliùs redduntur.

BASILEAE.

ANNO M. D. LXXXX.

HENRICVS STEPHANVS LECTORI.

PRINCIPIBVS placuiſſe viris, non vltima laus eſt,
Vt Venuſini nos ſcita camœna monet.
Nomine principis eſt princeps quanto mage dignus,
Dictum iſtud tanto verius eſſe reor.
Nomine principis eſt princeps tãto mage dignus,
Laude idem quanto dignior eſſe poteſt.
At laude eſt princeps hoc dignior eſſe putandus,
Quanto virtutem plus amat atq; colit.
Cunctis principibus nónne ergo iure placebit,
Rectum ad virtutem pandere qui ſcit iter?
Plus tamen is cunctis debere placere videtur,
Ad virtutem illis qui breue reddit iter.
Viribus hoc totis ego quum praſtare laborem,
Digna voluntate hac gratia forſan erit.

PRINCIPIBVS SENECA S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VOS, quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atq; vitæ,
Ponite inflatos tumidóſq; vultus.
Quidquid à vobis minor expaueſcit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne ſub regno grauiore regnum eſt.
Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſis.

PRINCIPIBVS
HENR. STEPHANVS S.D.

LEGI à Seneca poeta ſcriptũ ad vos epiſtolium, vel potius epiſtoliolum. O quàm breuiter, quàm multa, quã magna, quàm ſalutaria, quàm Chriſtiani etiã hominis ore digna vos monet! Nã illa quoque verba, *Ponite inflatos tumidóſque vultus*, par eſt accipi non vt à iubente, ſed tanquam à monente profecta, atq; vt pleroſq; tantùm principes (nã omnes huic vitio obnoxios exiſtimaſſe, minimè credibile eſt) compellãte. Siqui igitur ex vobis vitio iſto laborãt, hoc monitum amplexentur: & cogitẽt, ſicut morbi quidam corporis non propter ſe tantùm ſed propter alios eorum velut aſſeclas morbos timentur: ita vitium animi quod ſuperbia dicitur, propter eius aſſectatricẽ crudelitatem, eſſe formidabile. Ideo priſci Romani Tarquinium maturè, antequam eius ſuperbię comitem ſe crudelitas adiunxiſſet, expellendũ cenſuerunt. Cogitet vnuſquiſque veſtrum quale ſit ei qui princeps dicitur, potentia carere: quid tamen aliud quàm ſuperbia impotentiam hominibus affert?

Verùm vlterius pergo,

Quidquid à vobis minor expaueſcit,
Maior hoc vobis dominus minatur.

Vide-

Videte quàm conſona ſint his alterius Senecæ verba, *vt princeps ſe talem eſſe ciuibus quales ſibi deos velit.*

Venio ad poſtremam partem, de rerum inſtabilitate: quid vobis hîc exemplis opus eſt? nónne & tot monarchias momentanea tempeſtate abſorptas legitis? *Victura cum ſeculis Roma*, inquit hiſtoricus quidam: & alibi, *Victura dum erunt homines Roma.* itidémque Naſo, *Roma triumphati dum caput orbis erit:* at quanto rectius Maro, tanquam præſaga mente, *Non res Romanæ, perituráque regna.*

Vna vna vobis non ſolùm ad felicē nominis veſtri ſtabilitatem, ſed etiam ad immortalitatem, patet via, illi ſub cuius principatu omnes ſunt principatus, vos ſubmittere: ſicut tutelæ veſtræ noſtra omnia commendamus, ita veſtram potentiā tutelæ eius committere: vos ab illius nutu atque arbitrio, ſicut à veſtro pendemus, pendere.

Vultis igitur pauca quæ ab hac via nunquam vos aberrare ſinant, menti infigere? Credo id vos peruelle. quòd ſi non fallor, libeat hæc audire,

NOLITE FACERE QVOD LIBET,
NISI LICET:
NEQVE FACITOTE QVOD LICET,
NISI DECET.
SIC GERERE SESE PRINCIPES,
DEO LIBET.

HENRICVS STEPHANVS LECTORI.

QVAMVIS in regum aliorúmq; principũ aulis diu verſatus ſim, vbi practicen quandam videre potui multorum conſiliorum ſeu monitorum (ſi præcepta dicere durius eſt) quorum pleraq; principibus data & olim fuerunt, ac quorum theoreticen mihi iam comparaueram: nunquam tamen antea in mentem veniſſe, de principatu bene inſtituendo & adminiſtrando ſcribere, ingenuè fateor. Vnde igitur (dices) nunc iſtud mentem tuam ſubijt? an onus quod ſuſcepiſti tandẽ, leuius nunc quàm priùs viſum tibi fuit? an potius, non minus quidem viſum tibi graue onus quàm antea ſed humeros tuos ſolito validiores ſenſiſti? Neutrum certè horum mihi perſuaſi: ſed, quũ fieri nequeat vt ego, homo Gallus, de ciuilibus patriæ meæ bellis perpetuo non cogitem, nunc magis quàm vnquam antea ſæuientibus, dum per illa Parides iſti Menelao ſuam Gallicam Helenam extorquere conantur: non mirũ ſi bellis iſtis animo aſſiduè obuerſantibus, ideóq; ſæpe etiam variis cogitationibus de principibus & principatibus mentem meam ſubeuntibus, etiam poema de principatu bene inſtituendo & adminiſtrando ſcribere placuerit. præſertim verò quum iam in principum itidem gratiam Parangelmata militaria ſeu Conſilia, ex hiſtoricis potiſſimum ſumpta, iambico verſu ſcripſiſſem: quorum ſpecimen in locis aliquot Schediaſmatum (quibus Aprilis, Maij & Iunij penſa cõtinentur) non ita pridem exhibui. Id quidẽ certè De principatu bene inſtituendo & adminiſtrando poema quantum fructus aliis allatu-

rum

rum ſit neſcio, ſed ex eius ſcriptione me iam hunc percepiſſe ſcio,

Detinui ſcriptis animum, tempúſq; fefellis
Mens intenta ſuis ne foret vſq; malis.

Alioqui enim difficile eſt eam non eſſe illis vſq; intentam. nam ſicut dictum fuit,

Ὅπῃ τὶς ἀλγεῖ, κεῖσε καὶ τὴν χεῖρ' ἔχει.

(id eſt, vnumquenq; habere manum in ea corporis parte in qua dolorem ſentit) ſic etiam verè dici poteſt,

Ὅπῃ τὶς ἀλγεῖ, κεῖσε καὶ τὸν νοῦν ἔχει.

Quòd ſi mens mea ſemper eſt in bellis, nónne ibi eſt vnde maximum ἄλγος *ſentit? Nam (vt de eo taceam quod mihi commune eſt cum omnibus Galliam, patriam itidem ſuã, amore pariter proſequẽtibus) quantũ hoc eſt, rerum etiam quæ nullis opibus comparari poſſunt iacturam facere? Omitto enim, bella illa iampridem omnes rationes meas turbauiſſe: externa verò, in quæ Gallica fugiens, incidi, etiam feciſſe vt tandem mihi dictum ſit,*

Nunc mea ſunt hæc rura: vetus migrato colone.

Sed ſi rationes meæ turbatæ ſunt, mens, beneficio dei, imperturbata manſit. Atq; id (vt ſpero) teſtabitur qui iſtud meum poema legerit: etiamſi id peregrinans, & quidem magnam partem, etiam equitans, cõpoſuerim. Qua de re, ſimúlq; cur carmine potius quàm ſoluta oratione hoc argumentum tractauerim, à me dictum eſt in Dialogo quem ſubiunxi poematio cuius verſus intercalaris eſt, C A V E T E V O B I S P R I N C I P E S.

A L I O S qui hoc in argumento verſati ſunt conſuluiſſe me, in vno meorum Proaſmatum ingenuè faſſus ſum: ſed ex iis tamen quæ illi peculiaria ſibi haberẽt, pauca vel potius pauciſſima ſumpſiſſe comperiar. Nam in nõnullis principiis quoſdam eorum errare videbam, è quorum alioqui lectione maiorem quàm è cæterorum

percipere me poſſe fructum exiſtimabam. De principiis loquor, quale eſt illud, Principi dandam eſſe operam vt ab omnibus quæ tyrannica ſunt abhorreat. Nam, niſi hoc principium, velut fundamentum, ponatur, multa ſuperſtructum iri ſcimus quæ citò corruere neceſſe erit. Hinc certè quæſtiones quædam nõ ſuperuacaneæ ſolùm ſed abſurdæ oriuntur. Cuiuſmodi hæc, Crudelitate an clemẽtia princeps vti in ſuos debeat. Nec nõ iſta, Amaríne à ſuis an timeri velle debeat princeps. Abſurdum enim fuerit, has quæſtiones ab eo magiſtro proponi qui ſuis magiſteriis tyrannum quoq; minimè inſtruere velit, ſed tantùm ciuilem dominum. ita enim quidam appellant eum qui tyranno opponitur.

Ad recentiores quod attinet, qui eadem de re ſcripſerunt, non dubito quin multi ſtatim de eo qui recentiorũ eſt recentiſſimus cogitent, ac me æmulatione quadam ductum hanc mihi materiam tractandam propoſuiſſe exiſtiment. Sed qui mecum verſati ſunt, hoc dum in argumento verſarer, eius me opus à librorum compactore (quidam bibliopegum vocant) non accepiſſe ſciũt, priuſquam mei magna pars excuſa eſſet. Quòd ſi etiam aliter ſe res haberet, me autorem illius operis, virũ certè doctiſſimum, noluiſſe æmulari, vel hoc oſtendit, quòd aliam rationem ſequutus ſum.

Iamborum porro meorum lectores fallẽtur qui me in illis noua quadam libertate vſum exiſtimabunt. Non abs re moneo de hoc quoq;. Plurimi enim (ſat ſcio) qui extraordinarios huius carminis pedes non ſatis cognitos habent, aut quæ illis tribui ſedes poſſint, non ſatis norunt, ſtatim de me illud quod dixi ſuſpicabũtur. Ac veriſimile illis hoc fiet, quum poema iſtud quod vnius quidem eſt argumẽti, ſed magna rerũ ad illud ſpectantium varietate diſtinctum, (quarum nõnullæ non apta verſibus materia ſunt,) tam breui tempore compoſuiſſe me intel-

intelligent: & quidem ita vt pars vna in itinere, & inter equitandum etiam, pars, veluti penſis à prelo typographico mihi iniunctis, ſcripta fuerit. me enim propterea voluiſſe putabunt minus duris numerorum legibus verſus meos adſtringere. Sed fallentur (vti dixi) qui in ea opinione erunt. Contrà igitur ſic habeant, vix me quidquam mihi hac in parte permiſiſſe quod Seneca tragicus ſibi non permiſerit. Ac ſiquis hoc regerat, eſſe quidem nonnullos Senecæ verſus in quos eodem modo extraordinarij pedes ſint admiſſi, ſed de iis controuerſiam noſtro ſeculo eſſe motam, quòd aliæ ex veteribus libris lectiones afferantur: reſpondebo, primùm quidem, non omnes illos verſus eſſe controuerſos: deinde verò, etiamſi eſſent, tamē hac re me non debere deterreri: quòd iocoſam illam allegare poſſim regulam, Inter duos litigantes tertius gaudet. Quidni enim & ipſe, qui hîc tertij perſonā repræſento, litigioſa illa libertate interim fruar? Adde quòd & iambicorum Græcorum, præſertimq; Ariſtophanicorū, autoritate tueri illam poſſum. De numeris autem Senecæ, & nominatim de tam frequenti apud illum vſu anapæſti in quinta ſede, vide quæ ſcribo in meis Schediaſmatis.

Deniq;, Senecam qui euoluet, comperiet verum eſſe quod dixi, vix me quidquā mihi niſi eius exēplo permiſiſſe: ac, ne ea quidē omnia quæ ſibi licere voluit, me mihi permittere voluiſſe. Sed vocabula quædam neceſſe habui in meos verſus admittere, quæ multo libentius ab illis excluſiſſem, quòd duriores illos redderent.

Sunt verò & nōnulla quæ minus in verſibus ſcribendis exercitati licentiā, & quidē non tā poeticam fortaſſe quàm nimiam vocabunt: quū tamē exemplum habeā. Cuiuſmodi eſt Quàm prius *pro* Priuſquam. *Item,* Suadeo & Aſſueſco, *ſicut &* Conſueſco, *non minus tetraſyllaba quàm triſyllaba: &* Fieri *prima etiam breui.*

*Ad ſermonem quod attinet,ſicut illum ad grauita-
tem tragicam non extuli(præterquam certis & quidem
non paucis in locis)ſic eum ad humilitatem comici ſer-
monis deſcendere minimè paſſus ſum. quod ſuo permit-
tere Senecam interdum (de locis autem iis loquor qui
grauitatem admittebant) nemo mihi , vt opinor, nega-
uerit. At norunt tamen omnes tale eſſe argumentum
quod tracto , vt venia multo magis dignus in eo eſſe po-
tuerit talis ſermo quàm in eo quod ab illo tráctatur.*

*IN IIS quos ex hiſtoricis attuli locis , plerunq;
eadem, paucis exceptis , verba ſeruaui. Idémq; & in iis
præſtiti quos ex poetis, alio licet genere verſus vtenti-
bus, ſumpſi. Quòd ſi iambici verſus erant , omnino im-
mutatos retinui: niſi vbi vel pro anapæſto ſubſtituere
iambum ſatius eſſe duxi, vel ſenſum etiam aliquantum
immutare, vt magis ſermoni meo accommodatus eſſet.
Qua de re moneo , ne memoriæ lapſu id mihi contigiſſe
putes. licet alioqui non negem alios eſſe lapſus , quos mi-
hi à te, ea præſertim quæ de hac ſcriptione dicta ſunt con
ſiderante, ignoſci peto.*

*Quum autem poſſem verſus quos in iambicos muta-
bam, mihi adſcribere , malui alio characteris genere in
iis vti, vt meos non eſſe indicarem. Tantum abeſt vt eos
imitari velim qui non ſolùm hemiſtichia ſed totos ver-
ſus è veteribus poetis ſumptos ſuis , tanquam ſuos , inſe-
runt Fateor alioqui cùm aliorum poetarum tum Vir-
gilij imitatione à me quædam eſſe dicta, de quibus nõ ad-
moneo. Sed imitationem quum dico , talem etiam intel-
ligo qualis eſt vbi dicitur,* voluptatum alueus , *ad totũ
illum Virgilij locum alludendo,*

—ad uerio veluti qui flumine lembum
Remigiis ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,
Atq; illum in præceps prono rapit alueus amni.

*De quibuſdam hiſtoriis plures conſului , & ex alio a-
aliud*

aliud (quod ſibi peculiare habebat) ſumpſi. Vnde mirandum non erit ſi nonnullæ hiſtoriæ apud hunc vel illum non eodem planè modo ſcriptæ inueniêntur.

Vbi de loco illo Vlpiani loquor in quo ſcribit, Princeps ſolutus eſt legibus, *quòd verſibus, non ſoluta oratione, quæſtio illa tractaretur, de eo monere non potui de quo nunc monendus es: perinde eſſe acſi dixiſſet Vlpianus,* Princeps his legibus ſolutus eſt. *vel* iſtis legibus. *Addo autem me obſeruaſſe & apud Suetonium talem huius voculæ ellipſin. Locus is vbi de illo Vlpiani loco diſſero eſt in Aſmate ſeu Carmine* XXXIII. *vbi & de illo Iuſtiniani,* eũ eſſe ſolutũ iuris ſolennib.

ALIQVID eſt præterea, lector, in quo mihi apud te cautione opus eſſe exiſtimaui. Quoniam enim meo in poemate iambico, vbi de calumniatoribus verba feci, dixi me poemate Gallico in calumniam acerrimè inuectum eſſe; atq; id regi obtuliſſe: ſed tamen id in lucem impreſſorij typi non dederunt, (quum priùs alium ei itidem dicatum dediſſent) ne quis quod eo de poemate dixi ſuſpectum habeat, atq; adeo habitus à me ſermo de poemate quo calũniatores vehementius quàm quiſquã alius (quod ſciam) exagitaui, me calumniandi occaſionem præbeat: viſum eſt procemium illius hîc proponere, in gratiã eorum apud quos non minori odio flagrat illud hominũ genus, ſimúlq; qui linguæ noſtræ ſunt periti.

Verùm vt ab eius etiam linguæ imperitis aliquid gratiæ inirem, primam eius partem Latinis verſibus ſum interpretatus, vt potui quidem certè, nõ vt volui. Nam (vt ingenuè fatear) mihi meipſum minimè aſſequutus eſſe videor. Audi igitur & muſam meam Gallicam, ſi ex illis es qui linguam noſtram callent: alioqui ea quam dixi interpretatione eſto contentus.

LE

Le Proeme ou La preface d'vn œuure de Henri Estiene, intitulé L'ENNEMI MORTEL DES CALOMNIATEVRS.

Duquel œuure, preſenté par luy au feu Roy HENRI III, il eſt faict mention au poeme Latin ſuyuant, qui eſt adreſſé à tous les princes.

SOVVENT l'œil de l'eſprit, par Prudence eſclairci,
Eſt par fragilité derechef obſcurci.
Voire à tel eſt donné l'œil aigu de Lyncee,
Qui aueugle eſt par-fois autant que fut Hypſee.
Tel vn profond ſcauoir nous monſtre en maintes parts,
Que l'ignorãce ailleurs plonge dans ſes brouillars.
Et quelquesfois s'eſgare vn iugement bien ſage,
Suruenant d'vn erreur le tenebreux nuage.
Et qu'ainſi ſoit, pourquoy les calomniateurs
Ne met-on point au reng des plus grands malfai-ćteurs?
Et la mere des loix (qui eſt ceſte Prudence)
Que n'vſa elle ici de plus grand'prouidence?
O quel aueuglement, que ce monſtre infernal,
Calomnie appelé, ſemble vn ſi petit mal!
Car qui gangne ſur ſoy que ſans ſouſpirs il voye
Tant d'innocens à elle eſtre donnez en proye,
Il ha le cueur d'acier, entre cailloux planté,
Et au berſeau il fut d'vne tigre allaitté.
Ou il nourrit en ſoy l'humeur miſanthropique,
Qui poſſeda Timon dans le pays d'Attique.
Que n'ont mieux guerroyé tãt de bõs rois Frãçois
Contre

Contre ce monſtre auſsi, par des ſeueres loix?
Si ta ſageſſe, ô Dieu, n'eſtoit impenetrable,
Ceci, bien qu'il ſoit vray, ne ſeroit vrayſemblable.
Ie croy que la raiſon de ce point as ſerré
Entre les hauts ſecrets de ton conſeil ſacré:
Et que nul des mortels ſcait pourquoy Calomnie
N'eſt ſelon ſes forfaicts en aucun lieu punie.
Au moins ne luy permets continuer ſon cours:
Fay que cõtre elle auſsi ſe tiennẽt les Grands-iours.
Inſpire noſtre roy à faire vne ordonnance
Qui ceſte fauſſe race extirpe dela France.
Comme par ces Grãds-iours, qui'l nous a reſtablis,
(Francois Areopage) ordre au deſordre eſt mis.
Par ton moyen ma muſe en face vne ouuerture,
Qui ſur toy, & non pas ſur Apollon s'aſſeure.
Puiſſe de Chiuerni le grand entendement
Trouuer à ce vieil mal vn nouueau reglement.
Et ſi le rude chant de ma muſe petite
D'vn prince tant diſert l'aureille ne merite,
Fay qu'vn Ronſard, ſi bien Virgilianizant,
Vn Des-portes, ſi bien Ouidianizant,
Soyẽt par luy cõmandez de ceſt œuure entreprẽdre,
Bien limé, bien poli & parfaict le luy rendre.
Si le mien n'eſt monté à la perfection,
Imperfaicte pourtant n'eſt mon affection.
ENCOR eſt-ce beaucoup, en cas de grãd ouurage,
Quand foible eſt le pouuoir, eſtre fort de courage.
Combienque mon pays ſouuent i'aye abſenté,
Mon bon vouloir de luy onq abſent n'a eſté:
Et iamais à mon cueur nation eſtrangere
De ma France l'amour n'a faict mettre en arriere:
Aucuns plaiſirs ne m'ont en leurs laqs faict tumber,
Iuſques à me pouuoir ceſt amour deſrobber.
Bien que la nouueauté, amorce en tout plaiſante,
Soit en cas de plaiſirs doublement attrayante,
Car

Car au profond du cueur engraué ie m'auois,
Que ſi Vlyſſe aima ſon terroir Ithaquois,
Tant rude & montueux: & ne trouua contree
Qui ſemblaſt meriter luy eſtre preferee:
Et ſi de ſon deſir tellement fut eſpris,
Que l'immortalité meſme il eut à meſpris:
(Encore que de tous il ait ce teſmoignage,
Qu'il eſtoit de ſon temps des ſages le plus ſage)
Moy, qui entrant au monde, en ce lieu fu logé
Que nommer on peut bien du monde vn abbregé,
Ou (ſi on aime mieux) nommer vn petit monde:
Faut-il pas qu'en cela Vlyſſe ie ſeconde?
Or comment au pays pourrois-ie mõſtrer mieux
Que ie ſuis de ſon bien & honneur curieux,
Et que de plus en plus à luy m'affectionne,
Que ſi en bonne eſtrene vn bon conſeil luy donne?
Mais oſeray-ie point à mon Roy le donner?
Sera-il point permis de ce don l'eſtrener?
Adonc, ſi ceſt aduis luy peut eſtre aggreable,
(Comme il prend à plaiſir toute choſe louable)
Vn bel edict ſortir de luy il nous fera,
Par lequel ſon renom il eternizera:
Vn redoutable edict, qui combate à outrance
Ceſte peſte, infectant ce beau ſeiour de France.
Ceſte peſte i'enten que Calomnie on dit,
Que chaſſer on ne peut ſans vn royal edict.
Vne choſe eſt au moins dont deſia ie m'aſſeure,
Que quiconque aura faict de ces miens vers lecture,
Les calomniateurs mieux congnus luy ſeront,
Et beaucoup moins de peur que deuant luy feront
Aduenant qu'il leur ait ſa croyance engagee,
Ou qu'au moins ſoit par eux ia l'aureille aſsiegee.
Et des calomniez quand les maux il oira,
A ma compaſsion la ſienne adiouſtera.
Car, comme on voit chaſcun pitié de celuy prẽdre,
Qui,

Qui, mors d'vn ſcorpiõ, ſes hauts cris fait entendre:
Mais eſtre par celuy plus plaint & lamenté
Qui de la meſme angoiſſe a eſté tourmenté:
Ainſi, ayant ſenti la playe douloureuſe
Que fait de ces meſchans la langue venimeuſe,
Ma triſte experience à haute voix crieray,
Au mal d'autruy le mien me repreſenteray.
Mal, qui ne pourra point repiquer ma penſee,
Sans que ceſt œuure ſoit autant de fois laiſſee.
Et qui ſera celuy (s'il n'eſt fils d'vn rocher)
Que pitié iuſqu'au vif ne puiſſe point toucher?
Et qui, touché, ne vueille à mon ſouhait ſoubſcrire,
Qu'à ſuyure mon conſeil dieu noſtre roy inſpire?
Ce qu'on peut eſperer d'vn tel roy aiſement,
S'il peze ce conſeil en ſon bon iugement.
IE SCAY qu'on fauorize vn cõſeil d'auantage
Qui eſt mis en auant par vn grand perſonnage:
D'vn petit compagnon la vergongneuſe voix
En vn meſme propos n'eſt point de meſme poids.
Et tel aucunesfois des oracles diroit,
Que pour ſon bas degré coudoyer on voudroit.
Quant à moy iuſqu'aux grands ne me ſurhaufferay:
Mais auſsi, d'autre part, tant ne m'abbaiſſeray,
Que des lettres l'honneur, en m'oubliant, i'oublie.
Car (ne deſplaiſe à ceux qui leur portent enuie)
Vne honte muette à celuy ne conuient
Qui au moins quelque lieu aupres des muſes tient.
Et puiſque nous diſons qu'vn valet d'vn grand maiſtre
Doit eſtre reſpecté, voire hardi peut eſtre:
La langue ne doit point par honte chanceler
D'vn qu'on peut des ſcauans bon diſciple appeler.
Et ne deuons iuger que ceſte hardieſſe,
D'aucune qualité paſſe la petiteſſe.

Latina

Latina autem primæ partis interpretatio(cuius paũlo antè mentionem feci)eſt hæc,

S ÆPE aciem mentis quamuis Prudentia nobis
Illuſtrarit,eam quis cernat hebeſcere rurſus:
Quiq; oculo potuit quantum contendere Lynceus,
Hypſea interdum reperitur cæcior ipſo.
Dat ſpecimen doctrinæ altæ quis plurima circa,
In re aliqua tenebris tamen ignorantia cæcis
Mergit eum:à recto interdum ſapientis aberrat
Iudicium,circum cui nubem fũderit error.
Hæc niſi vera loquor,cur eſſe Calumnia paruum
Viſa malum?(Stygiæ quamuis non vlla tenebræ
Monſtra ferant mage tetra:)& deliquiſſe putatur
Nil magnum quæ turba eius graſſata ſit arte?
Ipſa etiam legum mater,Prudentia dicta,
Prouida cur in hac mage non fuit antea parte?
Nanq; oculis ſpectat ſiccis quicunq; tot & tot
Immeritos eius prædam,minimèq; nocentes,
Ex chalybe huic eſt cor,ſilices hoc & iacet inter:
Armenia infanti dedit huic dedit vbera tigris:
Vel miſanthropi pectus gerit ille Timonis,
Quem vos Palladiæ quondam vidiſtis Athenæ.
Cur, peperit longa ſerie quos Gallia reges,
Legibus haud monſtrum hoc oppugnauere ſeueris? &c.

De hac autẽ interpretatione quod à me dictũ fuit velim recorderis:videlicet talẽ eſſe vt ego meipſum aſſequi non potuiſſe fatear. Cæterùm & iſtud ſcito, me in nomine Timonis, iure propriorum nominum,magis quàm habita etymi ratione,primam produxiſſe.

Pag.49,ver.23,lege,*Sit nomen eius auribus vel mel merum.* Pag.120,v.2,*Tribunal. ecce,*&c. Sunt & alibi quædam interpunctiones corrigendæ.

HENRICI STEPHANI IN SVAM MVSAM PRINcipum monitricem

PROASMATA, ſiue CARMINA PROOEMIACA, AD LECTOREM.

PROASMA I, *ſiue CARMEN proœmiacum* I, *Ad lectorem.*

EVM qui priuatum monet, vnum monere: at quũ princeps ab aliquo monetur, perinde eſſe acſi quamplurimos ſimul moneret. Quæ à muſa hîc monetur princeps, ea vſu & ratione comprobari.

*A*LIQVEM *monebis recta priuatũ uirũ?*
Prodeſſe velle pluribus, non hoc erit,
Vni ſed illi monitor eſſe cui voles.
At recta monita principi viro dare,
Prodeſſe velle eſt hoc ſimul quamplurimis.
Nam ſiqua monitis obſequens princeps facit,
Fructus redundat omnis in quamplurimos.
Sed recta moneam nécne, forſan quæritur.
Quæ ratio dictat, vſus & quæ comprobat,
Si recta non ſunt, recta quæ vocanda ſunt?

PROASMA II, *ſiue CARMEN proœmiacum* II, *Ad lectorem.*

MONITIS ſeu conſiliis amicis & ſalubribus principes inſtruere muſam meam velle, ſed iis quæ amica dici poſsint vſque ad aras. Ideo principem qui ultra progredi vult, & ſuam vtilitatem quouis modo ſupremam legem eſſe, Machiauelo vti magiſtro debere. Affertur Cæſaris Borgię Alexandri VI. pontif. maximi, filij, exemplũ (qualia apud Machiauelum non pauca) cõſilio quidẽ ſibi perutili, ad ſtabiliendum ſibi ſuum principatum, ſed perfidia ſimul vtẽtis, & facinus nefariũ perpetrantis. Contrà, religionis Chriſtianæ leges, omnium conſiliorum & actionum regulam ac normam eſſe debere affirmatur.

INCIPIAT *antè noſtra quàm muſa (auſpice*
Confiſa ſtudio publici magno boni)
Veſtigia in eo prima campo figere,
Vult lata ſpatia cuius emetirier,
Hæc de inſtituto præloqui iubet ſuo.
Vult Chriſtianos muſa noſtra principes
Monitis iuuare quæ putat ſalubria.
Conſilia ſeu quis malit hæc ſalubria
Vocare. nam præcepta ſi vocauerit,
Incurrere queat crimen arrogantiæ.
Haud illa ſibi dat Neſtoris prudentiam:
(Non inſoleſcit adeo) quæpiam tamen
Ea pollicetur monita digna Neſtore.
Sed qualia eius cunq; verba quis putet,

Qua-

Qualíq; digna cunq; ſint hæc nomine
Exiſtimanda: Chriſtianis auribus,
Non & profanis, hæc eam ſciat loqui.
Quid ergo mirum ſi tacet quamplurima
Quæ Chriſtianis abnegantur legibus,
Prodeſſe quamuis principi in præſens queant?
Prodeſſe poſſunt illa ſi dici modò,
Mutant futuro quæ malum præſens malo.
Vt ſæpe medica (cauta ſi non eſt) manu
Sanatur aliquis, corporis diſpendio
Maiore, morbus: huius & ſanatio
Creat vnde maius naſcitur periculum.
Ac illa monita muſa quæ fugit mea,
Præſente vt aliud non ferant malum è bono,
Quantum iſtud, iram prouocare numinis?
Nempe mea muſa, principum quæ principis
Minantur iram principes in quoslubet,
Negat inter horum computare commoda:
Vel ſi futura ſint eis hæc talia,
Accreſcere omnis Lydia vt ſceptris queat,
Tagóq; iunctus fluere Pactolus velit,
Atq; loca arenis omnia radiantibus
Cumulare: & amnis quiſquis vſquam gemmifer
Sua ſociare ſit paratus his vada.
Haud eſſe tanti muſa tot gazas putat,
Vt principi ſint ira emenda numinis.
Hanc ſemper illa terminos figit ſibi.
Vtinámq; noſtri principis mens hos item
Meminerit auſis omnibus præfigere:

Hominiq́;,cuius terra corpus traditum
Permittet eſſe vermibus cibum ſuis,
Velle ſapere altum,velle quin & cornua
In numen ipſum tollere,inſanum putet.
Potiúſq; nullam cogitet potentiam,
Quæ,ſomnium ceu,non queat vaneſcere:
Nullámq; tantam quæ repentè haud diffluat,
Simulatq; cœlo ſe potens dextra exerit:
Admota radiis vt ſolet ſolaribus
Repentè uel nix,cera vel,liqueſcere.
Hæc mente princeps qui reclamat voluere,
Cui fas nefáſq; poſita ſunt pari loco,
Et à profanis ſancta qui non ſeparat,
Penſiq́; habet nil,tempori dum ſeruiat:
Adeat magiſtrum cui decus Florentia,
Magnum eſt at ipſi dedecus Florentiæ.
Bonum hunc docebunt per magiſtrum qualibet.
Vide ſcholia. *In ore habebit vſq;,* Si libet,licet.
Obſtabit auſis nullus & dei timor.
Quî nanq; curet numen aut ipſum dei,
Curare credat aut deum mortalia
Princeps procérve qui Machiaueliſta ſit?
Ad principatum ſternet is viam ſibi
Per fas nefáſq;: parta quæ crudelibus
Auſis tenebit,non minus crudelibus
Volet tueri.túncq; dignum laurea
Magiſter illum prædicabit:ac,Tenet
Mente ille(dicet)doctus à me quæ fuit,
Ex Seneca. Per ſcelera ſemper ſceleribus tutum eſt iter.

Memi-

Meminit & illud, Scelere velandũ eſt ſcelus. Ex eodem.
Diſcipule,macte: iam parata laurea.
Laudabit ille ſcelera,ſed tanto magis,
In his acutos quo magis cernet dolos,
Vulpéq; plenos: & ſtrategema inquiet
Vocandum id eſſe tale quod ſiet ſcelus.
Hócq; memorabit Cæſaris, qui Borgia
Cognominatus(hic Alexandro fuit
Pontifice ſexto genitus)hic nanq; Vmbriam
Quum ſubiugaſſet viribus tyrannicis,
Artéſq; multas viribus tyrannicas
His addidiſſet:ſed videret plurimis
Magna imminere ab hoſtibus pericula:
Moderamen omnis Vmbriæ cuidam dedit
Cui Riminus erat nomen:hoc crudelior
Truculentiórq; non fuit tum temporis,
Crudeli & vllus promptior manu haud fuit.
Minus vnde mirum, ſuſtulit cunctos quòd is
Paucis diebus,Borgiæ iuſſa exſequens.
Nouos ſed hoſtes iſta quum crudelitas
Peperiſſet,illis & quidem prioribus
Haud pauciores: Borgia horum quò queat
Lenire mentes,Rimino cuncta imputat.
Factúmq; iuſſu quò probet nihil ſuo,
Contráq; magno ſe dolore percitum:
Quamplurimorum multa conquerentium
Ante ora,dextra pectus haurit huic ſua.
Velare ſcelere ſicq; nititur ſcelus.
Magiſter ille cui decus Florentia,

Magnum eſt at ipſi dedecus Florentiæ,
Factum iſtud & quæ facta ſunt affinia
Cælo vehenda clamet, & prudentiam
Subeſſe dicat omnibus quammaximam:
Crudelis actus quum vocari debeat
Factum iſtud, actus atq; prorſus impius.
Nanque (ſileantur vt alia quamplurima)
Huic eſſe quoties peieratum credimus
Quod eſſe numen credidit, (vel verius,
Quod eſſe voluit is videri credere.
Nam Borgia eſſe numen vllum haud credidit,
Aut numen eſſe credidit ſuum patrem)
Pollueret illa cæde quàm prius manum?
Tranſcribit in eum dum ſuam potentiam,
Quam principatus regimen illud poſceret:
Montes & illi pollicetur aureos,
Crudelitatis nempe præmium ſuæ.
Niſi fortè in illum perfidus fuit modis
Borgia duobus: & fides fuit data,
Perſona quamuis induenda tum rei
Foret, inde damnum non ſequuturum tamen.
Ideóq; vellet, vt reus, aliquem metum
Simulare, animo ſed eſſet interim bono:
Eſſet futurus ceu notis ludibrium
Clamor hominum tot tanta conquerentium.
Factum iſtud (inquam) quæq; facta talia
Magiſter ille laudibus in cælum ferat.
Ab hoc at ipſe diſcrepem quantum, vide.
Relligio contrà principi volo meo

Sit

Sic Chriſtiana fixa ſit præcordiis,
Hæc vt recurſet nocte cogitatio:
Ab ore vt eius atq; nutu pendeat:
Et id ſit ipſi (ſi tamen rem tam ſacram
Cum tam profana comparare cui licet)
Apollo quondam Delphicus quod ethnicis.
Poſthabeat illi cuncta ſic, vt aureum
Quod dicet alius, ipſe dicat ferreum,
Relligio noſtra ſi ſit ab eo diſſonans.
¶ Relligio verùm Chriſtiana ſit volo,
Non illa (qualis eſt quibuſdam) cerea,
Flectíque facilis atq; deflecti vel hanc
Vel partem in illam (dum potentum gratiam
Vult aucupari) pompa magna quam trahit,
Fulgórque magnus: rigida ſed quæ permanet
In ſanctione qualibet libri ſacri,
Et formula illa rituum quos hic docet,
Contenta, vitat quidquid eſt exoticum:
Nec veritatis eſſe vult laruam ſibi
Pro veritate, pulchra larua ſit licet.
Alia camœna nec profectò mens mea.
Profitetur illa Chriſtianam ſe libens:
Et dicerè deos horret illa pro deo.
Cur nanq; nomen Chriſtianiſmo dedi,
(Inquit ea) numen & quid agnoſco vnicum,
Si dicere deos gratius ſit quàm deum?
Opémq; diuûm potius, aut cœleſtium,
Opémve ſuperûm lingua cur, vel cœlitum,
Mea dicet (inquit) Chriſtianè ſi libet

Loqui: dei quàm dicet, aut quàm numinis?
In parte tamen hac Chriſtiani plurimi
Sunt innocentes, quos nocentes dixeris
Maiora circa. nam ſibi permittere
Grauiora cernis, atque Chriſto velle ſic
Seruire, ſimul vt ſeruiant & tempori.
Quid dico? ſatius eſſe multo iudicant,
Chriſto relicto (commeatus ſit licet
Haud impetratus) tempori ſe dedere.
A ſe hos fugare principem monet meum.
Age ergo princeps, quo magis te cogitas
Baptiſmate eſſe Chriſtianico ablutum,
Tibi principatus charior ſit hic tuus:
Rectúmq; vitæ tramitem tanto magis
Totis tenere viribus contendito.

PROASMA III, *ſiue CARMEN proœmiacum* III, *Ad lectorem.*

HANC muſam non exigere à principe vt ſit perfectum virtutum exemplar, qualem ſuum Cyrum Xenophon deſcribit: atq; vt perfectionem in ſua rep. Plato, in ſuo oratore Cicero & Fabius requirunt. Panegyricas laudes, vt aſſentatrices, ab ea rideri & reſpui: necnon eis ſimiles, quas quidam nonullis principibus tribuerunt, pro commentitiis haberi. Rideri ab ea & Stoicam boni regis deſcriptionem: atq; vt hominẽ exuat, ab eo non exigi. Debere priuatos quædam condonare principibus, eos è naturæ ſuæ infirmitate metientes,

&

& acriores interdum prauarũ affectionum inſultus ab illis quàm à ſe ſuſtineri conſiderantes. Naturę vitia facilius veniá mereri quàm quæ animi vitia vocantur.

NE crede noſtrum carmen ingredi viam,
Triuere noſtro plurimi quam ſeculo,
Quæ trita ſeclis iam fuit prioribus:
Ne crede velle principem proponere
Qui mentis oculis cernitur, non corporis:
Quo ſola vota gloriantur principe,
Cui ſola vota ſceptris inſtruunt manum.
Haud quale cunctis regibus regem ſuum
Exemplar afferi ille qui Gryllo ſatus,
A me exigetur tale nunc à principe.
Nec ſomniata quæpiam perfectio
(Plato velut illam ſomniat rempublicam:
Perfectus ille ceu tibi depingitur
Orator, ipſis qualis eſt in ſomniis)
Aget triumphos hoc ſuos in carmine.
Panegyrica nec eſſe qualis aſſolet
Laus plurimorum principum, tali quoq;
Hunc gloriari poſſe dicam principem.
Si publicorum captat auras plauſuum
Qui ſceptra geſtat, iure ſermo blandiens,
Mendaciorum melle qui ſit illitus,
Titillat aures: Africanus, Annibal
Iure audit ille, Neſtor & prudentia:
Et iure maior audit illis omnibus.
Vt ſinguli alij principes virtutibus

Excelluere ſingulis,is dicitur
Excellere ſimul omnibus.nec hoc ſatis:
Excellere nouis dicitur quamplurimis.
Et fortitudo quæritur ſi bellica,
Vna familia tantum triumphorum exhibet,
Toti rei ſit publicæ quantum hoſtium.
Haud muſa noſtra talem quærit principem,
Qui publicorum captet auras plauſuum,
Et blanda verba captet aſſentantium.
Fucata nec vult pompa virtutum ſuo
In principe aliquod ad tempus reſplendeat.
Ipſa mediocres conſulet dotes boni,
Exerceat quas ille ſed bona fide.
Expleta numeris illa virtus omnibus,
Quæ principatus eſſe non poteſt comes,
Imaginantur mentis & quam lumina,
Speranda minimè principi proponitur:
Neque hîc ab illo poſtulatur principe,
Camœna cui futura conſultrix mea.
Si ferret animus principes deſcribere,
Splendere cunctis quos videres dotibus,
Tales deinde poſcerem expectare te,
Cœlum repente donec hos demitteret.
Expleta poſſent eſſe tum vota omnium.
Mentita ſcena quæ prius nobis foret,
Aut hiſtoria(ſi ſcripta quæpiam tamen
Quæ mentiuntur,hoc vocanda nomine)
Vera eſſe,velles his probare teſtibus,
Cœleſtis illos retraheret donec domus.

Affi-

Affiƈta multa ſic fuerunt Cæſari
Qui nominatus Marcus eſt Aurelius.
¶ *Ipſe haud requiro culmen vt princeps meus*
Attingat illud Stoicum (ſi quis modò
Attingere illud Stoicum culmen valet)
Deúſque quidam ſit, hominis ſub nomine.
Apatheian illum muſa non hortabitur
Vt comparare ſtudeat: eſſe ſed ſatis
Metriopatheian comparare dixerit.
Cupere & timere muſa noſtro principi
Licere dicet: nec nefas putabit huic
Aliquando & ira corripi, nec negabitur
Nulli voluptas iunƈta turpitudini.
Inſanus adeo noſter haud princeps erit,
Vt eius ore verba talia excidant,
Contingat eſſe potius inſano mihi,
Quàm ſit voluptas vlla qua frui velim.
Haud denique illum muſa noſtra hortabitur,
Quum principalem purpuram ſibi induet,
Vt exuat hominem, arbitretur ſe quoq;
Inſanientis omnibus loco fore.
Facies vt eius non caret næuis ſuis,
Licet alioqui pulchra: ſic fas arbitror
Vt animus habeat illius næuos ſuos,
Habeátve ſaltem quos vocemus næulos.
Si nanque ſorti pariter ac nos ſubiacet
Mortalitatis, cur ei negabimus
Ignoſcere illa, quorum & à maioribus
Data ſæpe fuerit venia priuatis quoq;?

Apatheia, eſt affeƈtionibus prauis carere: Metriopatheia, eſt has mediocres habere.

Diƈtũ Antiſthenis. Vide ſcholia.

Quid-

Quidni licebit ſic loqui de principe
Vt ille vatum cenſor eſt de carmine
Horatiani loci imitatio. Vide ſcholia. *Quondam loquutus?* Quũ nitent in principe
Multa, maculis nos non decebit pauculis
Offendi in illo: ſiue ſunt quas fuderit
Incuria, ſiue quas ſatis non cauerit
Humana natura. *An tuum ſuffragium*
Lector daturus es mea ſententiæ?
Contrà, ſeuerus tu nimis iudex eris
(Aut ipſe fallor) vllius ſi principis
Nitere cuncta poſtules in moribus.
Lege ergo lector iſta ſic & perlege,
Infirmitas vt interim mortalium
Pulſet memoriam ſæpe: &, vt tibi tuæ
Infirmitatis conſcius plus es ſatis,
(Semper vt anheles tramitem ad rectiſſimum)
Illam tuo itidem cogites in principe.
Tetra duo monſtra mente ſicut in tua
(Vnum, libido, quod vagatur plurimas
Per cupiditates: alterum, iracundia)
Bella rationi perfrequenter inferunt:
Accidere menti hoc principis etiam puta.
Quantóq; plures fomites in principis
Habent ea mente monſtra, tanto prælia
Eſſe acriora. ſi beatum te putas
Induciæ ab illis quum tibi dantur modò,
Síq; eſſe pacem poſſe nulla ſpes tibi,
Cur ampliora poſtules à principe?
Volo tamen ille te laboret vt magis

Duo-

Duobus illis arma monſtris demere
(Maius timetur à quibus periculum)
Quum præliandi tempus illis aduenit:
Aut, arma cuncta ſi nequit furarier,
Furetur illa dimicant queis acrius.

¶ *Neque non monendi principes à me viri,*
Peccata veniam facilius mererier,
Quum vitia ſuſpicatur eſſe quiſpiam
Natura ab ipſa quæ videntur inſita,
Quàm ſi vocanda vitia crederet animi.
Ergo illa princeps quæ meus peccauerit,
Mea cupit eſſe muſa cuncta talia,
Naturæ vt omnes imputanda cenſeant,
Haud eius animo. nouit hoc vulgus quoq;,
Natura fragilis plurimis vt ſit data.

PROASMA IIII, *ſiue CARMEN procemiacum* IIII, *Ad lectorem.*

PRINCIPVM appellatione hîc intelligi etiam reges: ſed eos ſæpius qui regibus inferiores ſunt, & aliis quoq; nominibus vocátur. Principem principum, ſiue regem regum, deum ſolum eſſe intelligendum. Quæ fuiſſe videatur principatus ſeu dominatus origo. Tyrannos qui ad faſtigium regium aſcendiſſent, ſolitos eſſe & iam olim nomen regum ſibi tribuere: quamuis nihil minus quàm horum officio fungerentur, nihílq; veri vel amoris vel honoris à ſuis conſequerentur. Reges bonos (qui ſunt & veri reges) ſolio tyrannorum, quibus ſuccedunt, vix ſine horrore inſidere. Cur paupe-

res

res reges potius quàm tyranni, olim fuerint. Epiſcoporum,ſicut & regum, cur initio penuria fuerit. De iis qui tyrannicè quidem principatum aliquem occuparunt, ſed tamẽ tyrannico eius regimine vſi non ſunt. Bonis quoque regibus initio datum fuiſſe tyrannorũ nomen. Etiam principes quibus parua eſſet potentia,poſtea tyrannos eſſe dictos.

QVVM *nominari* principes *paſſim au-*
Me generis vti (is memor vocabulo, (dies,
Complectitur quod regium & faſtigium
(Vt ſcimus ipſos cæſares ſcriptoribus
Hac comprehenſos voce)ſed frequentius
Aures eorum perſonare,qui minus
Altum attigere culmen: his ſiue procerum
Nomen dare placet,ſiue magnatum *libet:*
(Verùm proceribus & viris magnatibus
Communio aliqua principatus creditur
Quondam fuiſſe,ſicut optimatibus)
Seu regulorum.*voce ſeu Græcanica*
Voces dynaſtas.*Haud* megiſtanas *velim*
Adiungere illis. nam megiſtanas *puto*
Potius fuiſſe barbararum gentium.

¶ *At ille quis ſit,*principũ *quẽ* principem,
Regémve regum *quem voco,vis diſcere?*
Immo latere poſſe te vix arbitror.
Agamemnõ enim dictus eſt rex regum. *Scis non eo me rege de regum loqui,*
Qui mille texit æquor olim nauibus:
Et luſtra victo poſt duo Ilio redux,
Eſt victus atq; captus & letho datus.

A con-

A coniuge ſua, coniugis ab adultero.
Haud iſte regum nominandus rex tibi.
Non iſte magnus nominandus rex tibi.
Infirmus iſte, non potens, habendus eſt:
Regúmq; quiſquis poſtea mortalium
Tituli ſuperbus geſſit hoc tantum decus,
Magnúſve quiſquis rex ſalutatus, vel hoc Vt Alexander rex, qui dicebatur etiã Alexander Magnus.
Cognomen auſus nomini qui iungere,
(Seu titulus illum regis ornabat ſimul,
Adiunctus illi ſeu titulus hic non erat)
Alienum is auſus arrogare ius ſibi.
Haud nanq; ſolus ille rex aut coniugis
Fratríſve ferro, vel propinqui, concidit, Vt Põpeius, qui cognominatus eſt Magnus.
Sicaryve, vel miniſtrorum intimi.
Vtque taceatur fuſus ita regum cruor,
Scimus redactos ad pudenda plurima
Fuiſſe reges omnium vel maximos.
Quis ergo, quíſnã, principum quẽ principem
Regémve regum iure quiſque dixerit?
A Chriſtianis ambigi non hîc decet.
Eſt ille, ſocium cui queas nullum dare,
Comitémq; nullum cui queat quis addere
(Mortale cœlo nam genus quis iunxerit?)
Eſt ille qui non principes tantummodo
Sunt quotquot vſquam, linquit à tergo procul,
Sed tanta vis eſt cuius at potentia,
Veſtigia huius nullus vt potentiæ
Vel legere poſſit principum mortalium.
Non ſi tripléxve vel quadruplex, octuplex

Vlli

Vlli diadema verticem exornet ſuum:
Et ſceptra teneat gentium quas aſpicit
Surgénsq; Titan & cubile quum petit.
Paucíſne dicam? nomino ſic principem
Faſtigio qui celſitudinis ſuæ
(Dici vel vlla celſius ſi quid poteſt)
Cunctis obumbrat non minus ſeu regibus,
Regale ſiue culmen excedentibus,
Obſcurat vnus cuncta quàm ſol ſidera.
Ergo memoratur quidquid hoc de principe,
Quantumlibet ſit illud admirabile,
Ne dubia partes mens trahatur in duas,
Tribuendáne ſit an neganda ſit fides:
Hærere ſicut dubia ſæpe cogitur
Ad facta quædam principum mortalium.
¶ *Sed quid? cupíſne ſint meæ prælu dia*
Quædam camœnæ? (ſi tamen tam ſerium
Dici vlla debet muſa carmen ludere)
Hoc vnde diſcas, principatus*(ſeu magis*
Dominatus *à me nominandus is ſiet)*
Ego quæ fuiſſe cenſeam primordia?
Hoc edocebit muſa te verbis meis.
Nam quod mihi dedit antè, reſponſum dabo,
Ea quum ſciendi me cupido inceſſeret.
Dubio carere debet hoc primùm tibi,
Eſt ſocietatis *inſitus nobis amor*
Natura ab ipſa: quæ vocari non minus
Communio *poteſt* vitæ *(vt & dictam ſcio,*
Imitando Græcam τοῦ βίου κοινωνίαν)

Ea-

Eadémq; vitæ *dicitur* commercium.
Ingenia ſed quum multa diuerſiſſima
Variis coirent è locis, & inter hæc
Haud conuenire poſſet: electos viros
Fuiſſe quoſdam, ceu futuros arbitros,
(Aut ſi vocare mauelit quis iudices,*)*
Muſa mea credit: aliqua queis præſtantia,
Quiddámve ſaltem cæteris quo plurimis
Poſſent videri (ſeu datum id menti foret,
Seu corpori eſſet inditum) antecellere.
Pluréſq; primò quum ſolerent arbitros
(Aut ſi vocare mauelit quis iudices*)*
Eligere, tandem plurium viſum loco
Vnum eligendum. Quum poteſtas hunc penes,
(Velut penes eos antè) leges omnibus
Eſſet ferendi, ſed licenter omnia
Surſum deorſum vellet iſte vertere,
Aliúdque tandem quàm liberet quod ſibi,
Haud eſſe vellet omnibus legum vice:
Simúlque fieret in dies mage inſolens,
Magis & in horas (lector hoc attendito:
Cunabula tibi monſtro nunc tyrannidis)
Mutabilis item quum fuiſſet poſtea
Compertus ille iuſſa circa quapiam,
Sibíque diſcors: facta cautior dehinc
Turba popularis cœpit electrix dare,
Ceu ſepta, leges, ſiue clauſtra: terminis
Vt ſeſe earum, quiſquis electus foret
Poſthac, teneret: vtque vellet præmia

Pœnáſque ad harum arbitrium decernere.
Hinc manſit hic mos in quibuſdam gentibus,
Vt, inaugurantur quando reges publicè,
(Reges ab ipſis ſint licet natalibus)
Adſtringat illos iureiurando prius
Populus, vetuſtis velle legum patriæ
Et rituum ſe continere terminis.
¶ *Addebat iſtis alia muſa plurima,*
Quæ non fidelis noſtra mens eſt reddere.
Sed me iubebat, verba poſt pauciſſima
(Sat eſt fidelis noſtra mens hoc reddere)
Verſare mente, ſtadia quot diſterminent
A regibus eos quos tyrannos dicimus,
Si facta, dicta ponderentur omnia
Partis vtriuſq;: quàm tyranni ſint tamen
Induere ſpeciem, nomen & mentirier
Regum impudentes: quot priora & ſecula
Exempla dederint huius impudentiæ.
Atqui ille nomen iure qui regis tenet,
Eſt quiſquis, eius iure regnum *dicitur*
Ex Liuio. Res inter homines & deos pulcherrima.
Et hominis ipſe ſi deus vultum induens,
(Imaginari ſi tamen fas talia)
Delaberetur ad homines, vix iam foret
Qui maior illi poſſet exhiberier
Honos, honore qui datur regi bono.
Nanque ſimulacrum ceu dei viuum bonus
Rex *eſſe priſcis creditus iam ſeculis.*
Ac, quum decere magna magnum, maxima,
Qui

Qui maximus ſit, decere nullus ambigat:
Et eſſe poſſit rege nil auguſtius
Inter ea Phœbi lampadi quæ ſubiacent:
Rem prorſus ille congruam ſibi facit,
Imitator eſt quum corporum cæleſtium,
Pulcherrimorum dico luminarium:
Quæ conſequantur commodi licet nihil
Ab homine quoquam, commodum mirabile
Cunctis hominibus afferunt, & omnia
Humana, quorum eſt cuiq; ſua vita indiga,
Iuuant fouéntque: quum caloris & ſui
Et luminis vim dant diebus ſingulis,
Vitalis eſt quæ. Nec minores principes
Imitari & ipſi non valent hæc ſidera:
(Clariſſima iſta bina mundi ſidera)
Vltro offerentes liberalem dexteram,
Propenſum in omnes pectus aut ſaltem ſuum,
Quod iam probarit ſæpius ſe candidum.
¶ *At de tyrannis vera qui vult proloqui,*
His proloquatur non niſi contraria.
Vel vox tyrannus *accidit quando auribus,*
Cuncti hanc abhorrent, ominis nec non mali
Cuncti eſſe clamant, & quibus non imperat,
Tutóſque ab eius maria quos reddunt iugo,
Celſiq; montes. publicum hoſtem concipit
Mens cuiq; ſubitò: generis omnis concipit
Humani & hoſtem: cui nefas omne & ſcelus
Reſerarit illam principatus ianuam:
Perfringat & qui vincla vel legum omnia,

Interpretetur aut eas ſic ut queat
Aptare quò vult, Lesbiam ceu regulam.
Siquid & honoris exhibent illi ſui,
Non animus hunc dat: exprimit ſed hunc metus,
Extorquet etiam verba qui laudantia
Ab ore quod erat probra iacere promptius.
Nam veri amoris eſt vbi nec guttula,
Ab ore poßit eius eſſe vera laus?
Haud ergo mirum ſi, bonos reges vbi
Iſtis tyrannis contigit ſuccedere,
Corripuit illos magnus horror ac tremor,
Contagioſus principatus ceu foret:
Saltémve ſolio quod tyranno cuipiam
Sedes fuiſſet, inſidere, res foret
Contagioſa, nec carens periculo.
¶ *Neque minus iſtud illa mente voluere*
Tunc me iubebat, vt tyrannos pauperes
Vix vlla nobis hiſtoria recenſeat,
Quamuis vetuſtos: numeret at quamplurimos
Hiſtoria reges pauperes, potißimum
De numero eorum quos priora ſecula
Videre: (quando poterat vmbra dicier
Communis ignem claudere, & larem, pecus,
Illúmq; pariter dominus eſſet qui laris)
Parceret illis turba quamuis maxima.
Hoc vnde? nempe congerendis in opibus
Gazíſq; poſitus tunc labor regum haud fuit.
Tunc diligens rex quiſq; publici boni
At quiſq; contrà negligens fuit ſui.

Tunc quiſq; populi verè Homericus fuit
Paſtor: ſibi datum quum gregem eſſe crederet,
Vt paſceret eum, pariter & cuſtodiam
Fidam eius ageret: atq; tonderet quidem,
Sed non, tyranni ceu ſolent, degluberet.
Cura excubare tunc fuit ſuo gregi,
Cura hunc leuare plurimis laboribus:
Cura, inter omnes maximam concordiam
Fuit tueri: gliſceret diſcordia
Siqua inter illos, cura ſumma mox erat
Sedare. quòd ſi forte deprehenderet
Quorundam in animis vlcera latitantia,
Erant cicatrix facta mox, eius manu.
¶ *Ac regum eadem in mentione pauperum*
Illis fuere qui ſeclis prioribus,
Epiſcoporum ſe recordari quoq;
Dicebat inopum, prima quos eccleſia
Eccleſiǽ ve quos habuit infantia:
Quibus vigiliæ, queis labores maximi
Opum loco eſſent, & graues moleſtiæ.
Ideóque, regum fuerit vt penuria
Seclis in illis quæ priora nomino,
(Et quæ vocare prima tibi per me licet)
Epiſcoporum ſic fuiſſe maximam,
Eccleſia infans dum foret, penuriam.
¶ *Hanc pòſt rogaui, quam ferat ſententiam*
Super quibuſdam qui ſibi tyrannicis
Acquiſierunt principatum quempiam
Armis. ſed illum ſic gubernarunt tamen

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

Vt regimen eſſet illud haud tyrannicum.
Aliquot videre principes quales poteſt
Aut potuit ætas noſtra: quales nouimus
Fuiſſe quoſdam ſeculis & omnibus.
Et poßit Hiero, primus in hoc ordine
Fortaſſe poni. Quæſtionem ſed meam
Ridere muſa cœpit: &, Minus malum
Quod eſt, an (inquit) illud haud voces malũ?
Talis tyrannus (fateor) eſt minus malum,
Talis tyrannus maximum malum tamen.
Armis adempta nanq; libertas ſemel
Sæuis, regimine non redux eſt tam bono.
Facitque, prædo fecerit quod prouidus,
Bene qui rapinas diuidit tandem ſuas,
Dum liberalis aucupatur gloriam.
Hic clauſius ab ea ſermo ſic tandem fuit,
Vt de bona quod pariter atque de mala
Vxore cecinit carmen Aſcræus ſenex,
De rege vero caneret ac verè bono,
Maloque rege, quem tyrannum dicimus:
Nil rege melius eſt bono mortalibus,
Nil rege peius eſt malo mortalibus.
¶ *Nec tacuit aliud, quod mihi notum prius:*
Olim fuiſſe id regibus bonis quoque
Nomen, malis quod poſtea ſolis datum:
Sed, id habuiſſent plurimi quòd iam mali,
Tanto flagraſſe poſteros apud odio,
Viſum vt ſit eſſe non niſi dandum malis.
¶ *Adiecit etiam (dixit in quo plurimos*
Erra-

Errare)poſſe non malum regem modò,
Illum ſed itidem quem vocare regulum
Soliti Latini,principem omnem denique,
Dici tyrannum:pariter & tyrannicum
Eius ſolere principatum dicier.
At eſſe maieſtatis hos læſa reos,
Regnum vocare mos quibus tyrannicum:
Vt regiam ſiquis vocet tyrannidem.
Quoties in aures talia veniunt meas,
Riſus ſuboritur:(inquit)vt ſiquem audiam
Vitioſa virtus cui vocetur quapiam.

HENRICI STEPHANI IN SVAM MVSAM PRINcipum monitricem

PROASMATA, ſiue CARMINA PROOEMIACA, AD PRINCIPES.

PROASMA I, ſiue CARmen procemiacum I, Ad principes.

EX IIS quæ hîc exponuntur, iudicari poſſe, de hoc principum monitore (qui monitricis muſæ nomen mutuatur) falsò dictum iri, audacia, non rei peritia, fretum, ad monendum acceſſiſſe.

HAEC monita princeps in manus qui ſumpſeris,
Ne fortè monitor fretus hîc audacia
Eſſe videatur, non rei peritia:
Audire libeat præloquentem paucula.
Hîc plurimorum triuit aulas principum,
Quos Gallia ſua, quos aluit Germania,
Aluit vetuſta quos item gens Auſonum,
Nec defuere queîs placeret principes.
Perſpexit illîc principum mores bonos,

Perſpexit idem principum mores malos.
Vidit quid aulæ principales commodi
Ferant,viciſsim quæ ferant incommoda.
Huic nanq; in aulis regiis ſæpiſsime
Hominis gerenda perſona fuit aulici:
Alij gerendæ quum tamen multo magis
Idoneus eſſet,gereret & libentius.
Nec ad ſcienda principum negotia
Multa variorum,quæpiam & molimina,
(Quæ quis vocare poſsit & technaſmata)
Nil contuliſſe dixerit quis patriam.
Lucina nanq; matris hunc aluo extulit
In vrbe,qua vix vlla plures principes
Habere ſolita perfrequenter hoſpites:
In vrbe qua non vlla vel florentior
Populoſiórve credita eſt tum temporis:
In vrbe qua non vlla dici dignior
Compendium orbis:ſicut vrbem Romuli
Epitomen orbis nominatam diſcimus.
Eſt patre genitus qui duos reges apud
(Nam ſceptra nato tradidit parens ſua)
Autoritate valuit atq; gratia,
Gratæ quòd eſſent eius ipſis literæ,
Et opera circa literas fidiſsima. (pſeris,
HAEC monita princeps in manusq ſum-
Ne temne.multos autor euoluit libros,
Græcos,Latinos,Gallicos,Hiſpanicos:
Euoluit autor & libros quos poſteri
Gentis Latinæ poſteris linquunt ſuis.
Nec

Nec ipſe nullas contulit verſus in hos
Ex ore ſumptas ſymbolas prudentium.
Nec ipſa voluit eſſe muſa aſymbolos:
Inſtillat alia principum ſed auribus,
Quæ condita prius pectoris ſilentio.
HAEC monita princeps in manus q́ ſum-
Ignoſce tamẽ, abeſſe ſiquid videris (pſeris,
Quod docuit vſus te, magiſter optimus.
Ignoſce & iſtud, principem ſi quemlibet
Haud nomine eſſe dico dignum principis:
Eóque contrà redde te digniſsimum.
Hoc cõſequêris, principem ſi principum
Colas, améſque: principem ſi principum
Timore timeas quo timeri poſtulat.
Alios timores excutit dei timor:
Seruilis illi ſed nihil timoris eſt:
Quin liberalis, qualis eſt & filij
Offendere patrẽ qui timet, quòd hũc amet.
Cuicunq; pectus occupat talis timor,
Fama timere non ſolet de poſtera,
Timor iſte puras ſeruet eius quòd manus,
Purámque mentem, criminis nec conſciam.
Hiſtoricus illi calamus haud timendus eſt:
Haud eſt timenda quæ per hunc in luminis
Emergit auras è latebris veritas.
Hiſtoria teſtis gentium omnis omnium.
Romana locuples teſtis eſt præ cæteris;
In qua (morari non libet te pluribus)
Hæc ingeruntur auribus cuiuslibet,

De

De cæſare illo caliga cui nomen dedit,
Suetonij verba. *Verba hactenus feci velut de principe:*
Narranda monſtro cætera vt de quopiam.
Horreſcat omnis verba ſic ad talia
Princeps, vt illum cuius ex ore exeunt
Non horreat tamen, ſed illum cæſarem
Cuius fuiſſet digna quæ vita obrui
Teneris in annis tartari caligine,
Vi veritatis vtrunque perſonat polum.

PROASMA II, ſiue CARmen procœmiacum II, Ad principes.

NON debere monitorem quempiam ſperni quòd non primus acceſſerit: (præſertim ſi & aliorum monitis quapiam addat) nihilo magis quàm medicus, qui non primus aduenit, ſpernitur. Eum alioqui principem qui monita contemnat, ſui magis eſſe contemptorem: vt quum æger medici conſilium negligit. Sed meliorem eſſe ſpem de vnoquoq; principe qui horum lector eſſe dignabitur.

SI primus haud ſum, nec ſecũdus, tertius
Quartúſve monitor: talibus ſi vocibus
Ex parte ſaltem (muſa nam quæ de ſuo
Penu tibi dat prompta, debent excipi)
Compluriũ aures perſonãt iam principum:
Ne temnar ideo. Medicus haud contẽnitur
Ægro quòd eius opera prima non fuit:
Fidelis ideo non minus atque ſtrenua.
Audita & ægro multa iam ſi conſulit,

His

Hís alíquíd addit, antè quod non audíít.

¶ Si ſpernere tamē hæc velit quís princi-
Atq; monitores ſpreuerit iam cęteros, (pū,
Ille fateatur eſſe plus ſpretor ſui.
Vt verba medici ſi quis æger neglígit,
Neglector ille iure dícitur ſui,
Pœnè & ſalutis eſſe proditor ſuæ.

¶ Melíora ſed mens auguratur omnia
De príncipe omní quí parumper & meæ
Muſæ dare aurem cantibus dignabitur:
Haud vana verba hæc íam ſcientibus fore,
Immo additura calcar & currentibus.
Vel (vt ait ílle) ſpero me veſtræ *rati*
Vela hic daturum, licet eat iam remige. Imitatio Ouidij.

PROASMA III, ſiue CARmen procœmiacum III, Ad principes.

Mvlta eſſe quæ principem quemuis mouere & permouere debeāt ad capeſſendum amplectendúmq; virtutis ſtudiū. Ac primùm, quū mens humana, quamdiu pura manet, (aut ſaltem mole vitiorum non obruitur) ſit quædam auræ diuinæ particula: veriſimile eſſe, maiorē huius portionem, tanquam prærogatiua quadam, illi donari à deo, quem eius volūtas alicui principatui glorioſo futuro deſtinat. Deinde quòd princeps ſuo exemplo poſſit omnes ſuos ad idem ſtudium accendere. Necnon quòd fieri ſoleat vt ſtudium illud boni conſulant, etiamſi ad propoſitā metam peruenire non poſſit: at ſi perueniat, aut parum ab ea abſit

abſit, aliquid etiam diuini ineſſe illi credi, & aulam eius tanto magis velut ſcholam virtutis eſſe. Poſtremò, iſtis duabus de cauſis: quarum vna eſt, quòd quanto maior erit ſuorum probitas, eo magis obſequẽtes futuri ſint: ideóq; eo facilius feliciúſque illis ſit imperaturus. Altera, quòd totus orbis futurus ſit theatri loco: nec admirator tantùm ac laudator, ſed & fautor: quinetiã apud poſteritatem & ſibi & ſuæ ſtirpi magnam gloriam comparaturus. Non debere illum ab anteacta vita deterreri. ſi contigerit eam quorundam vitiorum procellis iactari.

PECTVS mouere multa debẽt principis
Et permouere, figat vt promptiſsimè
Virtutis illo calle in arduo pedem,
Per quem petuntur aſtra, qui fructus ferax
Cuius fuere mente clauſa ſemina,
Simulatq; matrem liberauit pondere.
Mens nanque noſtra (pura quãdiu manet,
Non éſtve ſaltem mole vitiorum obruta)
Diuina quædam eſt aura, nobis inſita,
Huius vel auræ parua ſaltem portio.
Verùm, (vt putarunt ſeculis prioribus
Sophiæ magiſtri, fama quorum maxima)
Illi frequenter portio maior datur,
Diuina ſceptris quem volũtas deſtinat,
Quæ laudem ei datura ſint & gloriam.
Nec facere dicto nulla poſſunt huic fidem,
Saltémve noſtris mentibus probabile
Efficere, nanq; quanta regum numini

Sit

Sit cura, quanto honore dignos cenſeat,
Titulúmq; in illos cōferat quàm ſplendidū,
Veridica ſola quæ vocari βιϐλία
Poſſunt, abunde nos docent. quid ethnici?
Nónne à Ioue ipſo, non ab vllo ex cæteris
Diis, crediderunt hominibus reges dari?
Eius & alumnos non Homerus nominat?
Hac de ſophorum ſed tamen ſententia
Ferat tribunal doctius ſententiam.
Suam at recalcans ſermo noſter orbitam,
Habere multa principes dicit viros
Virtutis ad iter deligendum hortamina.
Non vltimū eſt hoc, ſua quòd huc veſtigia
Simulatq; prima tulerint, turba plurima
Comites datura eſt greſsibus greſſus libēs,
Saltémve totis ſubſequetur viribus.
Nam populus eius ſe libens veſtigiis
Præbet ſequacem, iurat in cuius fidem.
Ipſius etiam cernimus plebeculæ
Pendere mores ex eorum moribus,
Quibus poteſtas eſt habenarum data.
Sunt ſemper in hos fixa vulgi lumina:
Mores ad horum, ceu vicem ſpeculi gerant,
Effingere ſuos omnibus ſtudet modis.
Age ergo princeps, ſis ꝓbus, tecū proba
Vt multitudo tanta fiat ciuium.
Quis imperator non libenter hoſtibus
Occurrit audax, ſi ſciat certò parem
Audaciam omnis agminis ſtatim fore?
Nec

Nec terreat te quòd remanſurum putas
Labis aliquantum, forſitan labeculæ,
Tuis in illis moribus, quos niteris
Purgare prorſus. hoc nihil te terreat.
Nanque adeo cuncta grata ſunt in principe,
Probitatis in quo imago lucet quæpiam,
Vt, parua vitia mixta ſi qua fortè ſint,
Ad hæc vel omnis multitudo cæca ſit,
Cæcam vel vt agens, hæc tegat ſilentio.
At latiora ſpatia quando cernit hæc
Virtutis aliquem principem decurrere,
Diuinitatem mente quandam concipit.
Tunc, aula quoties eſt aperta principis,
Aperta pariter omnibus virtutis eſt
Schola: & magiſtri quiſque talis æmulus,
Habere teſtem ſæpe progreſſus ſui
(Eſt qualis ille cunque) vult. tunc duplici
Sibi gratulatur iſte myſtes nomine:
Virtutis & quòd ſperat ad myſteria
Sub myſtagogo ianuam ſuo fore
Tandem patentem: & illius quòd interim
Sic demeretur fructuoſam gratiam.
Tunc, quæ minari plurimis leges ſolent,
His blandiuntur, atque multis plauſibus
Hos proſequuntur, oſculis, amplexibus.
¶ Quãtũ illud autẽ præmiũ quod accipit
Ex diſciplina maximus doctor ſua?
Si nanque probitas hauſta ciuibus ſemel
Exemplo ab illo principis, probis dehinc
Domi-

Dominatur ille qui ſolebat improbis
Eſſe dominator.huius eſt ſic principis
Ex ſorte facta peſsima ſors optima.
Quàm nãq; miſer eſt imperãs quis imꝓbis,
Eſt tam beatus imperat quiſquis probis.
Si vera loquitur ille comicus,*Bonis* Ex Plauto.
Eſt imperare facile.nec verum minus
Iactatum in illis quod fuit contrarios.
Aſperrimè etenim *quenq; peſsimum pati* Ex Saluſt. ad Cæſarem.
Rectorem,& vſus omnibus ſatis probat.
His illud adde quod eadem comœdia
Teſtata nobis,*Si bene moratos habet* Ex Plauto.
Vrbs aliqua ciues,illa munita eſt ſatis:
At ſi ſecus,ei centuplex murus parum eſt.
¶ Quid,quòd theatri totus eſt orbis loco
Ad pulchra facta,pulchra dicta principis?
Quum fama & ipſis nuntia Indis aduolet?
Nec abſq; magno narret hæc auctario?
Mirator orbis nec tamen tantummodo
Virtutis eius,fautor eſt ſed hic ſimul:
Et operam amicam quum rogata ſæpius
Præſtare poſſe non dat huic occaſio,
Rumore ſaltem,(qui ſecundus rumor eſt)
Res eius omnes promouere nititur,
Ei fauorem dum per illum comparat.
His adde magnum poſteros apud decus,
Quod linquit vni non ſibi,ſed omnibus
Æuum addit æuo quos ſequens nepotibus.
Sed hoc viciſsim te decet perpendere,

Cecinit eiſdem vocibus quod ſatyricus
Poeta, numeris vſus attamen aliis,
Ex Iuuenali. *Omne vitium animi crimen hoc conſpectius*
Habet, ille quanto maior eſt qui peccat id.
¶ Quid? anteacta vita reddit anxium?
Atque vitiorum quæ procellæ te prius
Iactare ſolitæ, ſunt tibi formidini?
Ecce, vitiorum turbines iactauerant
Multum diúque plurimos, & naufragos
Ac fluctuantes æquor illos viderat:
Eos recepit portus attamen ſuus,
Ventis reiectos mitius ſpirantibus. (libet
¶ Quid plura? potius claudere hũc voto
Sermonẽ, & illis inchoatus queis fuit
Verbis, eiſdem finem hüic imponere.
Nunc ergo carmen numinis benignitas
Afflare noſtrum ſic velit, ſic os regat,
Pectus mouere ſit potens vt principis
Et permouere, figat vt promptiſsimè
Virtutis illo calle in arduo pedem.

PROASMA IIII, ſiue CARmen procemiacum IIII, Ad principes.

De exhortatione præcedente: eam non exhortari ad magis exactum vitæ genus quàm quod in naturam humanam cadat. Sed mollitie non eſſe corrumpendam indolem, neq; laxanda vnquam frena voluptatibus. Quòd ſi iuuenili in ætate ſit princeps, cõſiderare quibus obnoxia ſit periculis oportere,

tere, ac tãto cautiorem eſſe. Quacunque tamen ſit ætate, inuocandam eſſe dei opem: ad cuius gratiam demerendam, ſe ſubmiſsè gerere, & illius iugo libenter collum ſubmittere debere.

IMPONERE humeris credito ne me tuis
Onus quod adigat debiles ſuccumbere.
Onera, labaſcit ſub quibus mortalium
Natura prorſus, muſa & horreſcit mea.
Caueat viciſsim, viribus diffidere
Mollitia nequa ſuadeat: potiſsimum
Imbuta ſi mens à tenellis vnguibus
Recti eſt odore? (norma qđ ſophoîs quoq;)
Bene inſtitutus ſi fuiſti, & indolem
Honeſtam honeſta iuuit educatio,
Ætas & illam roborauit firmior,
Vſúſque rerum: ne voluptatum time
Illicia, magnum ſi vel agmen irruat.
Primum eſto fortis impetum repellere,
Reſiſtere dabitur cæteris inſultibus.
Sed brachia vide quopiam ne tempore, Virgiliani loci accõmodatio.
Princeps, remittas: dúmq; non obniteris,
Te rapidus ille tot voluptatum alueus,
Occaſionem nactus, in præceps trahat.
¶ Quòd ſi iuuentæ ſunt anni tibi ſuper,
Tanto geras te cautiùs: nêc excidat
Ætate dictum de tenella quod fuit,
Teneris in annis ſiquis à lapſu cauet, In adoleſc. qui non cadit, ſaltẽ titubat.
Titubante ſaltem fert gradu veſtigia.
Iſtud & in horas cogita, quàm feruida

Iuuenta ſoleat eſſe: & impetus
Vt illa regere ſit ſuos ſæpe impotens:
Tantóque frenis indigere te magis.
Parúmque ſit ea quum capax prudentiæ
AEtas, tuorum ne velis æqualium
In arduis ſit vt tibi negotiis
Conſultor vllus. eſto neć pudor tibi,
Audire vulgi quod canit prouerbium
De rege quodam ſat libris noto ſacris,
Conſilia iuuenum fecerint quē pauperem.
Suſpecta pariter hoc tibi ſit nomine
Iuuenta tua, quòd (ſicut vſus nos docet)
Ex Seneca. *Peiora iuuenes facilè præcepta audiunt.*
¶ Iuuenilis at quî ſuggerat mens talia?
Vnde mihi tantum roboris (dices) erit,
Inſultibus tot vt queam reſiſtere?
Anni iuuentæ ſeu florent adhuc tibi,
Seu te virilis, alia ſiue ætas tenet:
Id robur opta, ſupplices fundens preces,
Ab illo id opta, roborator omnium
Qui ſolus éſtque, tempore ac omni fuit:
Sed roborator principum tanto magis,
Quo plus in illos ſcit oneris recumbere.
¶ Quòd ſi cupis eius demereri gratiam,
(Vt cupere certè debet is quiſquis ſapit)
Memento colla ſubdere illius iugo
Tua perlibenter: & tibi data maximè
Hęc monita credas, omnibus quę ſunt data,
Vos

Vos ô quibus ille terræ & æquori imperans Ex Senecæ ſapphicis facti iambici.
Habere magnum dat necis vitæ que ius,
Tumidos cauete ne geratis ſpiritus.
Minor timere quidquid à vobis poteſt,
Vobis minatur dominus is qui maior eſt.
Regno grauiori regna ſubſunt omnia:
Et ſæpe, veniens quem ſuperbia dies
Vidit tumentem, poſt breuem fugiens moram
Idem iacere hunc atq; calcari videt.
At ſiqua contrà ſpiritus te ſumere
Vult lingua magnos, & poteſtatem tibi
Deo ſonat eſſe vel parem (ſunt qualia
Lyci illa verba, *Quod Ioui, hoc regi licet)* Apud Senecã.
Hũic vel eſſe diſparem ſaltem parum,
Hâncque æmulari: prorſus iſta peſtilens
Tibi iudicetur lingua: tanquam peſtilens,
Inuiſa tibi ſit: atq;, tanquam peſtilens,
Grauiſsimas te iudice hæc pœnas luat.
Quid ille nanque credere dubitauerit
De ſe, poteſtas eſſe cuius dicitur
Qualis poteſtas ipſius ſit numinis?
Cõtrà, hoc minorẽ quo magis te ſenties,
Tantíque domini tantulum ſeruum geres,
Magis eriget te: quo magis vereberis
Illum, verendum reddere te volet magis.

PROASMA V, ſiue CARmen procœmiacum V, Ad principes.

MVLTO maiorem exſpectationẽ ſuſtinere principem, ſuccedentem ei qui bonus habitus fuerit. At qui tyranno ſuccedit, cur non debeat ſtatim omnibus nimis aſperis vinculis ſubditos ſoluere. Magis odioſum eſſe principatum cuius pulchra primordia ſpem fruſtrantur: vt in quibuſdam cæſaribus accidit. Poſſe alioqui principẽ qui initio viſus ſit acquieſcere rebus ſibi datis, progreſſu tempo ris aliquid vltra eas poſtulare.

ISTVD quoq; mea muſa iuſsit præloqui.
(Nam vellere aurem cœpit oblito mihi)
Debere quemuis principem perpendere,
Fuit ille qualis ſceptra cuius accipit:
Quantóque ſoleat maior impatientia
Tunc eſſe populi, quũ malus bonũ excipit
Princeps. vel ille qui datus ſucceſſor eſt
Geloni, abunde locuples eſt teſtis tibi.
Recitare muſæ ſed libet voces meæ,
Hoc cætera inter tu mihi circumſpice,
Hoc ſæpe mente volue, cui ſucceſſeris.
Nam gratior quo fuerit ob mores ſuos,
Ingratiorem te futurum cogita,
Contingat eſſe diſparem ſi moribus:
Atque fore, tanto te grauẽtur vt magis,
Deſideria quo plura liquerit ſui.
¶ Aliud monẽdum dixit eſſe principem
De

De principe illo cuius in locum venit.
Si principatus huic fuit tyrannicus,
Monet cauere, vincla ne ſtatim omnia
Prorſúſque populo laxet illa queis prius
Fuit â tyranno plus ſatis coercitus:
Senſim ſed illum ſoluat his. nam ſi ſimul
Semélque multis ſoluat illum vinculis,
Simul ſemélque habebit ille gratiam:
Succedet vni nec ſpei ſpes altera,
Tertia ſecundæ, quarta forſan tertiæ,
Et quinta quartæ: nec ea creſcet in dies
Qua cœpit ipſum proſequi iam charitas:
Ac non cauebit interim committere
Spes vnde fiat illa prorſus irrita.
Impendet alius inde non minor metus,
Ne vinculis tot quum repente ſolueris,
Vagus per omnem ſit dehinc licentiam.
¶ Opponere aliquid cœperã muſæ meæ:
Reuocata ſed ſunt verba de curſu ſuo.
Iniecit aliud nanque, quod ſilentio
Premere, putabat eſſe vix nullum nefas.
Et fata id iſtis vocibus, Quum pulchra ſunt
(Vt eſſe moris) principis primordia,
Nouo inferentis principatui pedem:
Sed illa regimen excipit primordia
Haud laude dignũ: laude vel dignũ qdẽ,
Verùm minore: ſubditis ingratior
Res iſta multo. nempe quòd cunctos ſua
Fruſtrata ſit ſpes. ergo contrà principi

Id eſt ſtudendum, primus actus fabulæ
Vt actibus ſit cæteris haud pulchrior:
Sed ſemp actus pulchrior ſit ſubſeques,
Illo aut putetur eſſe, qui præceſſerit.
Recta hanc monere, principatus dum tui
Fucata quædam reſpuit primordia,
Teſtes habemus cæſares, idoneos:
Initia quorum ſpem dedere maximam,
Simulata ſed fuiſſe mox comperta ſunt.
Sic ſe Tiberius imperator tertius
Geſsiſſe fertur. hiſtoria facit fidem:
Ipſamet Suetonij verba. *Secreti is vbi nactus fuit licentiam,*
Velut & remotus ciuitatis ab oculis,
Tandem profudit ſimul ea vitia omnia
Quæ diſsimularat haud bene, longo tempore.
Odioſiorem reddidere talia
Exordia huius principatum cæſaris.
Quid? hominis ille qui fuit monſtrũ Ne-(ro?
Suetonij verba. *Prima pietatis huic fuit oſtentatio.*
Ac certiora ſigna vt indolis daret,
Præſcripta ad Auguſti profeſſus eſt ſibi
Fore imperium. nec vlla liberalis eſt
Dextræ, vel vlla occaſio clementiæ
Omiſſa. ſed nec comitatis tum fuit
Data exhibendæ ſi facultas quapiam,
Amplexus vlnis ille non eſt obuiis.
Nec comitatis ſpecimen eſſe quis neget,
Eiuſdẽ Suet. verba. *Omnes ſalutare ſolitus quòd ordines*
Subinde: & iſtud memoriter quòd fieret.
Cui

Cui poſsit addi, gratias ſenatui
Quod ille agenti fatus eſt, *Quum meruero.* Eiuſdē.
Quid eſſe verò moribus ſequentibus
Magis repugnans poterat, illud quàm fuit?
Quòd capite quum damnatus eſſet quiſpiã,
Supplicio & eius (mos vti) ſubſcribere
Admonitus eſſet: haſce voces protulit,
Neſcire cuperet literas quàm nunc Nero. Ibidē.
Virtutis iſta viſa ceu ſerenitas,
Mage nubiloſa fecit vt ſint poſtmodo
Vitia tot eius viſa cunctis ciuibus:
Nec nubiloſa viſa ſint tantummodo,
Horrere dira ſed Stygis caligine. (fide
Ambigere nos hæc non ſinunt quàm ſint
Habenda digna quæ ſuper primordiis
Sunt principatus monita per muſam data.
¶ Adiunxit illis, poſſe principem tamen,
Suæ ditioni qui pedem primùm inferens,
Rebus ſibi datis viſus acquieſcere,
Plus poſcere datis poſtea: quum gratiam
Sibi comparauit ille conſuetudine.
Ipſóſque forſan vltro ſubditos ei
Ea tum daturos, quæ petente principe
Nouo, nouandi publicos ritus ſuos
Initium ab illo tale ſumptum dicerent,
Ore aut tacente, mente ſaltem crederent.

PRINCIPVM MONITRIX MVSA, ſiue DE PRINCIPATV *bene inſtituendo & admi-niſtrando,*

AVTORE HENRICO STEPHANO.

LIBRI I, ASMA I, ſiue CARMEN I.

MVSAM velle eorum principum eſſe monitricem qui vel *ſucceſſione* (ſub qua comprehenditur *adoptio*) vel *electione legitima*, aut etiam *victricibus armis, & quidem iuſtè illatis*, ad principatum peruenerint: non item eorum qui tyrannica vi ad principatum ſeu dominatū graſſati ſint, aut doloſis artibus in eum irrepſerint. Eum qui *ſucceſſione* principatum eſt adeptus, maiore niti iure ſibi videri, (vtpote hæreditario) quàm eum qui electus ſit. Huic autem cauendum eſſe ne vllo modo onus ab honore ſeparet. Ac iſtud ipſum vix concedi vel ei qui ſucceſſerit. De cautione adhibenda illi qui armis, quamuis iuſtis, principatum eſt conſequu-

PRINCIPVM MONITRIX MVSA,

ſiue

DE PRINCIPATV bene inſtituendo & adminiſtrando,

AVTORE HENRICO STEPHANO.

LIBRI I, ASMA I, ſiue CARMEN I.

MVSAM velle eorum principum eſſe monitricem qui vel *ſucceſſione* (ſub qua comprehenditur *adoptio*) vel *electione legitima*, aut etiam *victricibus armis, & quidem iuſtè illatis*, ad principatum peruenerint: non item eorum qui tyrannica vi ad principatum ſeu dominatũ graſſati ſint, aut doloſis artibus in eum irrepſerint. Eum qui *ſucceſſione* principatum eſt adeptus, maiore niti iure ſibi videri, (vtpote hæreditario) quàm eum qui electus ſit. Huic autem cauendum eſſe ne vllo modo onus ab honore ſeparet. Ac iſtud ipſum vix concedi vel ei qui ſucceſſerit. De cautione adhibenda illi qui armis, quamuis iuſtis, principatum eſt conſequu-

quutus. Carminis noſtri materiam magis fu-turos, primùm quidem eos principes qui ſuc-ceſſerũt: deinde verò illos qui electi ſunt: etiã-ſi plurima & cæteris communia cum his eſſe poſsint. Cæterùm Chriſtianis demum prin-cipibus, & quæ Chriſtianę religionis ſunt pro-fitentibus, muſam meam monita dare velle: ab his autem nullum ethnicorum principum poſ-ſe deligi, quẽ per omnia vitæ ſuæ regulam nor-mámque conſtituant.

TENERE SCEPTRA vel dedit ſuc-
ceſsio,
Impoſuit illa dextera aut electio:
Manus aut potita eſt arma per victri-
Irrepſit in ea vel doloſis artibus. (cia,
A me vocata quæ fuit ſucceſsio
Adoptioni ius ſuum communicat:
Et iura ius hoc comprobant ciuilia.
Legitima dici quæ poteſt electio,
Saluiſque facta patriæ quæ ritibus,
Ea ſola dextram ritè ſceptris inſtruit.
Suum quis armis perſequens ius martiis,
His iure fiet ſceptrifer victricibus.
¶ *Tyrannica arma ſed faceſſant hinc procul,*
Licet reportent non minus victoriam.
Et cui doloſis principatus machinis
Eſt comparatus, is quoq; abſiſtat procul.
Quin & recedat ille cui ſucceſsio
Electióve principatum contulit,
Calcare ſi ius atque fas is deſtinat:

Et

Et ſimilis eſſe ſi tyranno cogitat,
Cui rapta quum ſint ſceptra victrici manu,
Ita gerit illa, victor ut legum quoque
Et rector eſſe ſolus illarum velit,
Enſe & tueri ſtrictus enſis quæ dedit.
Vlla ſub iambis abſit ut camœna det
Monita tyrannis: in tyrannos quin libens
Iaciat iambos, qualibus fallax gener
Socero Lycambes actus ad ſuſpendium.
Aurem ergo muſa præbeat ſolus meæ
Cui pectus haud eſt conſcium tyrannidis;
Vi principatum qui nec vlla inuaſerit,
(Niſi in rebelles arma iuſta dum mouet)
Fabrica nec vlla fraudis interceperit:
Sibi excubare qui ſuos ciues cupit,
Excubitor oculus eius eſt ut ciuibus.
¶ Succeſſionis imperat qui munere,
Nec ipſa tantùm principem cunabula
Videre, ſed Lucina iam talem dedit,
Nullo ut labore vel fauore dignitas
Sua huic, fuítq; parta nullis calculis,
Minus inuidenda ſic ab illo creditur,
Muniminíq; firmiori incumbere.
Liberior ergo iudicatur hæc ſimul:
Maiore quoniam iure ſe niti putat,
Quod nominare licet hæreditarium.
Electionis quem creant ſuffragia,
Legitima clamet eſſe quæ fides bona,
Nec ille trepida ſceptra geſtat dextera.

Neceſ-

Neceſſe viſus nanque ſit quamplurimis
Illud mereri culmen altum principis.
Ex Plinio ſec. & Pacato. *Et iactat illud*, imperaturum omnibus,
Et eligi pariter decere ex omnibus.
Autoritatis haúdq; iactitat nihil,
Maior vetuſtas huic dedit quod ritui.
Tamen id mereri culmen vt dici queat,
Et principatu non parum dignum ſuo
Teſtetur omnem fama peruolans plagam:
Onus ab honore ne velit ſeiungere,
Partes ſed omnes exſequatur principis.
Infirmiores ſi tamen humeri negent
Onus ſubire quodlibet, ſic parcat his,
Coram ſeueris vt etiam cenſoribus
(Quales Athenis Areius dedit pagus)
Veniæ relinqui quiſpiam poſſit locus.
Sed hunc relinqui credat iis locum minus
Electio vehit quos ad hoc faſtigium.
Sic reprehenſus Galba, Cæſar ſeptimus,
(Mos vnde cœpit eligendi Cæſares,
Caderet Neronis morte quum ſtirps Cæſarum)
Sunt ipſamet Suetonij verba. Remiſsior quòd atque negligentior
Quàm conueniret principi electo, foret.
Quid? principatum cui dedit ſucceſſio,
Onus ab honore poſſit is ſeiungere?
Iſtud profectò me nefas ſit iudice:
Veniæ relinqui plus ei dicam licet.
Nam moneo vt eſſe plus ſibi quamuis putet
Iuris, ſuo vti iure ſic tamen velit,

Vt

Vt nemo abuti poſsit illum conqueri:
Excutere tanquam prorſus hoc onus velit,
Honori adhærens copula firmiſsima,
Honoréque tamen interim plenè frui.
Et carpere illi iunctá quotquot commoda.
Recurſet illud ſingulis horis ei
Quod lingua vetula liberum verbum ſonat
Regi Philippo. poſcit audientiam
Vetula ſed eſſe hic otij tantum negat.
At vetula ad hac quid? Ergo ne ſis rex, *ait.*
Inde documentum capiat hoc princeps meus,
Quibus auris eius quum patere debeat,
Patere differt vel nimis, vel denegat,
Si libera aquè lingua non eſt ac fuit
Anicula illi, libera eſt mens haud minus.
Dictum Platonis recolat & ſæpe aureum,
Haud eſſe quenquam qui ſibi natus modò:
Partem ſed ortus vendicare patriam,
Partem parentes: nec ſuis partem minus
Debere amicis. *iſta priuatis Plato*
Si dixit olim, principi quantò magis
Hac dixit omni? quum parentis patriæ
Sit eius auribus vel mel merum.

¶ *At vis & arma cui virò victricia*
(Sed arma iuſta, qualia prius dicta ſunt)
Apice dederunt vt pari ſplendeſceret,
Incumbere ſibi leuius haud onus putet,
(Poſſétque grauius forſitan quis dicere)
Quàm ſi dediſſet principatum electio.

Nec terreat te quòd remanſurum putas
Labis aliquantum, forſitan labeculæ,
Tuis in illis moribus, quos niteris
Purgare prorſus. hoc nihil te terreat.
Nanque adeo cuncta grata ſunt in principe,
Probitatis in quo imago lucet quæpiam,
Vt, parua vitia mixta ſi qua fortè ſint,
Ad hæc vel omnis multitudo cæca ſit,
Cæcam vel vt agens, hæc tegat ſilentio.
At latiora ſpatia quando cernit hæc
Virtutis aliquem principem decurrere,
Diuinitatem mente quandam concipit.
Tunc, aula quoties eſt aperta principis,
Aperta pariter omnibus virtutis eſt
Schola: & magiſtri quiſque talis æmulus,
Habere teſtem ſæpe progreſſus ſui
(Eſt qualis ille cunque) vult. tunc duplici
Sibi gratulatur iſte myſtes nomine:
Virtutis & quòd ſperat ad myſteria
Sub myſtagogo ianuam ſuo fore
Tandem patentem: & illius quòd interim
Sic demeretur fructuoſam gratiam.
Tunc, quæ minari plurimis leges ſolent,
His blandiuntur, atque multis plauſibus
Hos proſequuntur, oſculis, amplexibus.
¶ Quãtũ illud autẽ præmiũ quod accipit
Ex diſciplina maximus doctor ſua?
Si nanque probitas hauſta ciuibus ſemel
Exemplo ab illo principis, probis dehinc
Domi-

Dominatur ille qui ſolebat improbis
Eſſe dominator. huius eſt ſic principis
Ex ſorte facta peſsima ſors optima.
Quàm nãq; miſer eſt imperãs quis im℘bis,
Eſt tam beatus imperat quiſquis probis.
Si vera loquitur ille comicus, *Bonis* Ex Plauto.
Eſt imperare facile. nec verum minus
Iactatum in illis quod fuit contrarios.
Aſperrimè etenim *quenq; peſsimum pati* Ex Saluſt. ad Cæſarem.
Rectorem, & vſus omnibus ſatis probat.
His illud adde quod eadem comœdia
Teſtata nobis, *Si bene moratos habet* Ex Plauto.
Vrbs aliqua ciues, illa munita eſt ſatis:
At ſi ſecus, ei centuplex murus parum eſt.
¶ Quid, quòd theatri totus eſt orbis loco
Ad pulchra facta, pulchra dicta principis?
Quum fama & ipſis nuntia Indis aduolet?
Nec abſq; magno narret hæc auctario?
Mirator orbis nec tamen tantummodo
Virtutis eius, fautor eſt ſed hic ſimul:
Et operam amicam quum rogata ſæpius
Præſtare poſſe non dat huic occaſio,
Rumore ſaltem, (qui ſecundus rumor eſt)
Res eius omnes promouere nititur,
Ei fauorem dum per illum comparat.
His adde magnum poſteros apud decus,
Quod linquit vni non ſibi, ſed omnibus
Æuum addit æuo quos ſequens nepotibus.
Sed hoc viciſsim te decet perpendere,

Cecinit eiſdem vocibus quod ſatyricus
Poeta, numeris vſus attamen aliis,
Ex Iuuenali. *Omne vitium animi crimen hoc conſpectius*
Habet, ille quanto maior eſt qui peccat id.
¶ Quid? anteacta vita reddit anxium?
Atque vitiorum quæ procellæ te prius
Iactare ſolitæ, ſunt tibi formidini?
Ecce, vitiorum turbines iactauerant
Multum diúque plurimos, & naufragos
Ac fluctuantes æquor illos viderat:
Eos recepit portus attamen ſuus,
Ventis reiectos mitius ſpirantibus. (libet
¶ Quid plura? potius claudere hũc voto
Sermonẽ, & illis inchoatus queis fuit
Verbis, eiſdem finem hũic imponere.
Nunc ergo carmen numinis benignitas
Afflare noſtrum ſic velit, ſic os regat,
Pectus mouere ſit potens vt principis
Et permouere, figat vt promptiſsimè
Virtutis illo calle in arduo pedem.

PROASMA IIII, ſiue CARmen procœmiacum IIII, Ad principes.

De exhortatione præcedente: eam non exhortari ad magis exactum vitæ genus quàm quod in naturam humanam cadat. Sed mollitie non eſſe corrumpendam indolem, neq; laxanda vnquam frena voluptatibus. Quòd ſi iuuenili in ætate ſit princeps, cõſiderare quibus obnoxia ſit periculis oportere,

tere, ac tãto cautiorem eſſe. Quacunque tamen ſit ætate, inuocandam eſſe dei opem: ad cuius gratiam demerendam, ſe ſubmiſsè gerere, & illius iugo libenter collum ſubmittere debere.

IMPONERE humeris credito ne me tuis
Onus quod adigat debiles ſuccumbere.
Onera, labaſcit ſub quibus mortalium
Natura prorſus, muſa & horreſcit mea.
Caueat viciſsim, viribus diffidere
Mollitia, nequa ſuadeat: potiſsimum
Imbuta ſi mens à tenellis vnguibus
Recti eſt odore? (norma qđ ſophois quoq;)
Bene inſtitutus ſi fuiſti, & indolem
Honeſtam honeſta iuuit educatio,
Ætas & illam roborauit firmior,
Vſúſque rerum: ne voluptatum time
Illicia, magnum ſi vel agmen irruat.
Primum eſto fortis impetum repellere,
Reſiſtere dabitur cæteris inſultibus.
Sed brachia vide quopiam ne tempore, Virgiliani loci accõmodatio.
Princeps, remittas: dúmq; non obniteris,
Te rapidus ille tot voluptatum alueus,
Occaſionem nactus, in præceps trahat.
¶ Quòd ſi iuuentæ ſunt anni tibi ſuper,
Tanto geras te cautiùs: nec excidat
Ætate dictum de tenella quod fuit,
Teneris in annis ſiquis à lapſu cauet, In adoleſc. qui non cadit, ſaltẽ titubat.
Titubante ſaltem fert gradu veſtigia.
Iſtud & in horas cogita, quàm feruida

Iuuenta ſoleat eſſe: & impetus
Vt illa regere ſit ſuos ſæpe impotens:
Tantóque frenis indigere te magis.
Parúmque ſit ea quum capax prudentiæ
AEtas, tuorum ne velis æqualium
In arduis ſit vt tibi negotiis
Conſultor vllus. eſto necpudor tibi,
Audire vulgi quod canit prouerbium
De rege quodam ſat libris noto ſacris,
Conſilia iuuenum fecerint quē pauperem.
Suſpecta pariter hoc tibi ſit nomine
Iuuenta tua, quòd (ſicut vſus nos docet)
Ex Seneca. *Peiora iuuenes facilè præcepta audiunt.*
¶ Iuuenilis at quî ſuggerat mens talia?
Vnde mihi tantum roboris (dices) erit,
Inſultibus tot vt queam reſiſtere?
Anni iuuentæ ſeu florent adhuc tibi,
Seu te virilis, alia ſiue ætas tenet:
Id robur opta, ſupplices fundens preces,
Ab illo id opta, roborator omnium
Qui ſolus éſtque, tempore ac omni fuit:
Sed roborator principum tanto magis,
Quo plus in illos ſcit oneris recumbere.
¶ Quòd ſi cupis eius demereri gratiam,
(Vt cupere certè debet is quiſquis ſapit)
Memento colla ſubdere illius iugo
Tua perlibenter: & tibi data maximè
Hęc monita credas, omnibus quę ſunt data,
Vos

Vos ô quibus ille terra & æquori imperans
Habere magnum dat necis vitáque ius,
Tumidos cauete ne geratis ſpiritus.
Minor timere quidquid à vobis poteſt,
Vobis minatur dominus is qui maior eſt.
Regno grauiori regna ſubſunt omnia:
Et ſæpe, veniens quem ſuperbia dies
Vidit tumentem, poſt breuem fugiens moram
Idem iacere hunc atq; calcari videt.

Ex Senecæ ſapphicis facti iambici.

At ſiqua contrà ſpiritus te ſumere
Vult lingua magnos, & poteſtatem tibi
Deo ſonat eſſe vel parem (ſunt qualia
Lyci illa verba, *Quod Ioui, hoc regi licet*)
Hûic vel eſſe diſparem ſaltem parum,
Hâncque æmulari: prorſus iſta peſtilens
Tibi iudicetur lingua: tanquam peſtilens,
Inuiſa tibi ſit: atq; tanquam peſtilens,
Grauiſsimas te iudice hæc pœnas luat.
Quid ille nanque credere dubitauerit
De ſe, poteſtas eſſe cuius dicitur
Qualis poteſtas ipſius ſit numinis?
Cõtrà, hoc minorẽ quo magis te ſenties,
Tantíque domini tantulum ſeruum geres,
Magis eriget te: quo magis vereberis
Illum, verendum reddere te volet magis.

Apud Senecã.

PROASMA V, ſiue CARmen procœmiacum v, Ad principes.

MVLTO maiorem exſpectationẽ ſuſtinere principem, ſuccedentem ei qui bonus habitus fuerit. At qui tyranno ſuccedit, cur non debeat ſtatim omnibus nimis aſperis vinculis ſubditos ſoluere. Magis odioſum eſſe principatum cuius pulchra primordia ſpem fruſtrantur: vt in quibuſdam cæſaribus accidit. Poſſe alioqui principẽ qui initio viſus ſit acquieſcere rebus ſibi datis, progreſſu temporis aliquid vltra eas poſtulare.

ISTVD quocq; mea muſa iuſsit præloqui.
(Nam vellere aurem cœpit oblito mihi)
Debere quemuis principem perpendere,
Fuit ille qualis ſceptra cuius accipit:
Quantóque ſoleat maior impatientia
Tunc eſſe populi, quũ malus bonũ excipit
Princeps. vel ille qui datus ſucceſſor eſt
Geloni, abunde locuples eſt teſtis tibi.
Recitare muſæ ſed libet voces meæ,
Hoc cætera inter tu mihi circumſpice,
Hoc ſæpe mente volue, cui ſucceſſeris.
Nam gratior quo fuerit ob mores ſuos,
Ingratiorem te futurum cogita,
Contingat eſſe diſparem ſi moribus:
Atque fore, tanto te grauẽtur vt magis,
Deſideria quo plura liquerit ſui.
¶ Aliud monẽdum dixit eſſe principem

De principe illo cuius in locum venit.
Si principatus huic fuit tyrannicus,
Monet cauere, vincla ne ſtatim omnia
Prorſúſque populo laxet illa queis prius
Fuit â tyranno plus ſatis coercitus:
Senſim ſed illum ſoluat his. nam ſi ſimul
Semélque multis ſoluat illum vinculis,
Simul ſemélque habebit ille gratiam:
Succedet vni nec ſpei ſpes altera,
Tertia ſecundæ, quarta forſan tertiæ,
Et quinta quartæ: nec ea creſcet in dies
Qua cœpit ipſum proſequi iam charitas?
Ac non cauebit interim committere
Spes vnde fiat illa prorſus irrita.
Impendet alius inde non minor metus,
Ne vinculis tot quum repente ſolueris,
Vagus per omnem ſit dehinc licentiam.
¶ Opponere aliquid cœperā muſæ meæ:
Reuocata ſed ſunt verba de curſu ſuo.
Iniecit aliud nanque, quod ſilentio
Premere, putabat eſſe vix nullum nefas.
Et fata id iſtis vocibus, Quum pulchra ſunt
(Vt eſſe moris) principis primordia,
Nouo inferentis principatui pedem:
Sed illa regimen excipit primordia
Haud laude dignū: laude vel dignū q̄dē,
Verùm minore: ſubditis ingratior
Res iſta multo. nempe quòd cunctos ſua
Fruſtrata ſit ſpes. ergo contrà principi

Id eſt ſtudendum, primus actus fabulæ
Vt actibus ſit cæteris haud pulchrior:
Sed ſemp actus pulchrior ſit ſubſequẽs,
Illo aut putetur eſſe, qui præceſſerit.
Recta hanc monere, principatus dum tui
Fucata quædam reſpuit primordia,
Teſtes habemus cæſares, idoneos:
Initia quorum ſpem dedere maximam,
Simulata ſed fuiſſe mox comperta ſunt.
Sic ſe Tiberius imperator tertius
Geſsiſſe fertur. hiſtoria facit fidem:
Ipſamet Suetonij verba. *Secreti is vbi nactus fuit licentiam,*
Velut & remotus ciuitatis ab oculis,
Tandem profudit ſimul ea vitia omnia
Quæ diſsimularat haud bene, longo tempore.
Odioſiorem reddidere talia
Exordia huius principatum cæſaris. (ro?
Quid? hominis ille qui fuit monſtrũ Ne-
Suetonij verba. *Prima pietatis huic fuit oſtentatio.*
Ac certiora ſigna vt indolis daret,
Præſcripta ad Auguſti profeſſus eſt ſibi
Fore imperium. nec vlla liberalis eſt
Dextræ, vel vlla occaſio clementiæ
Omiſſa. ſed nec comitatis tum fuit
Data exhibendæ ſi facultas quapiam,
Amplexus vlnis ille non eſt obuiis.
Nec comitatis ſpecimen eſſe quis neget,
Eiuſdẽ Suet. verba. *Omnes ſalutare ſolitus quòd ordines*
Subinde: & iſtud memoriter quòd fieret,
Cui

Cui poſsit addi, gratias ſenatui
Quod ille agenti fatus eſt, *Quum meruero.* Eiuſdē.
Quid eſſe vero moribus ſequentibus
Magis repugnans poterat, illud quàm fuit?
Quod capite quum damnatus eſſet quiſpiā,
Supplicio & eius (mos vti) ſubſcribere
Admonitus eſſet: haſce voces protulit,
Neſcire cuperet literas quàm nunc Nero. Ibidē.
Virtutis iſta viſa ceu ſerenitas,
Mage nubiloſa fecit vt ſint poſtmodo
Vitia tot eius viſa cunctis ciuibus:
Nec nubiloſa viſa ſint tantummodo,
Horrere dira ſed Stygis caligine.
Ambigere nos hæc non ſinunt quàm ſint (fide
Habenda digna quæ ſuper primordiis
Sunt principatus monita per muſam data.
¶ Adiunxit illis, poſſe principem tamen,
Suæ ditioni qui pedem primùm inferens,
Rebus ſibi datis viſus acquieſcere,
Plus poſcere datis poſtea: quum gratiam
Sibi comparauit ille conſuetudine.
Ipſóſque forſan vltro ſubditos ei
Ea tum daturos, quæ petente principe
Nouo, nouandi publicos ritus ſuos
Initium ab illo tale ſumptum dicerent,
Ore aut tacente, mente ſaltem crederent.

PRINCIPVM MONITRIX MVSA,

ſiue

DE PRINCIPATV

bene inſtituendo & admi-niſtrando,

AVTORE
HENRICO STEPHANO.

PRINCIPVM MONITRIX MVSA,

ſiue

DE PRINCIPATV bene inſtituendo & adminiſtrando,

AVTORE HENRICO STEPHANO.

LIBRI I, ASMA I, ſiue CARMEN I.

MVSAM velle eorum principum eſſe monitricem qui vel *ſucceſſione* (ſub qua comprehenditur *adoptio*) vel *electione legitima*, aut etiam *victricibus armis, & quidem iuſtè illatis*, ad principatum peruenerint: non item eorum qui tyrannica vi ad principatum ſeu dominatū graſſati ſint, aut doloſis artibus in eum irrepſerint. Eum qui *ſucceſſione* principatum eſt adeptus, maiore niti iure ſibi videri, (vtpote hæreditario) quàm eum qui electus ſit. Huic autem cauendum eſſe ne vllo modo onus ab honore ſeparet. Ac iſtud ipſum vix concedi vel ei qui ſucceſſerit. De cautiòne adhibenda illi qui armis, quamuis iuſtis, principatum eſt conſequu-

quutus. Carminis noſtri materiam magis futuros, primùm quidem eos principes qui ſucceſſerũt: deinde verò illos qui electi ſunt: etiãſi plurima & cæteris communia cum his eſſe poſsint. Cæterùm Chriſtianis demum principibus, & quæ Chriſtianę religionis ſunt profitentibus, muſam meam monita dare velle: ab his autem nullum ethnicorum principum poſſe deligi, quẽ per omnia vitæ ſuæ regulam normámque conſtituant.

TENERE SCEPTRA vel dedit ſucceßio,
Impoſuit illa dextera aut electio:
Manus aut potita eſt arma per victricia,
Irrepſit in ea vel doloſis artibus.
A me vocata quæ fuit ſucceßio
Adoptioni ius ſuum communicat:
Et iura ius hoc comprobant ciuilia.
Legitima dici quæ poteſt electio,
Saluiſque facta patria quæ ritibus,
Ea ſola dextram ritè ſceptris inſtruit.
Suum quis armis perſequens ius martiis,
His iure fiet ſceptrifer victricibus.
¶ *Tyrannica arma ſed faceſſant hinc procul,*
Licet reportent non minus victoriam.
Et cui doloſis principatus machinis
Eſt comparatus, is quoq; abſiſtat procul.
Quin & recedat ille cui ſucceßio
Electióve principatum contulit,
Calcare ſi ius atque fas is deſtinat:

Et

Et ſimilis eſſe ſi tyranno cogitat,
Cui rapta quum ſint ſceptra victrici manu,
Ita gerit illa, victor vt legum quoque
Et rector eſſe ſolus illarum velit,
Enſe & tueri ſtrictus enſis quæ dedit.
Vlla ſub iambis abſit ut camœna det
Monita tyrannis: in tyrannos quin libens
Iaciat iambos, qualibus fallax gener
Socero Lycambes actus ad ſuſpendium.
Aurem ergo muſa prabeat ſolus meæ
Cui pectus haud eſt conſcium tyrannidis;
Vi principatum qui nec vlla inuaſerit,
(Niſi in rebelles arma iuſta dum mouet)
Fabrica nec vlla fraudis interceperit:
Sibi excubare qui ſuos ciues cupit,
Excubitor oculus eius eſt vt ciuibus.

¶ *Succeſſionis imperat qui munere,*
Nec ipſa tantùm principem cunabula
Videre, ſed Lucina iam talem dedit,
Nullo vt labore vel fauore dignitas
Sua huic, fuítq; parta nullis calculis,
Minus inuidenda ſic ab illo creditur,
Munimíniq; firmiori incumbere.
Liberior ergo iudicatur hæc ſimul:
Maiore quoniam iure ſe niti putat,
Quod nominare licet hæreditarium.
Electionis quem creant ſuffragia,
Legitima clamet eſſe quæ fides bona,
Nec ille trepida ſceptra geſtat dextera.

Neceſ-

Neceſſe viſus nanque ſit quamplurimis
Illud mereri culmen altum principis.
Ex Plinio ſec. & Pacato. *Et iactat illud*, imperaturum omnibus,
Et eligi pariter decere ex omnibus.
Autoritatis haúdq; iactitat nihil,
Maior vetuſtas huic dedit quod ritui.
Tamen id mereri culmen vt dici queat,
Et principatu non parum dignum ſuo
Teſtetur omnem fama peruolans plagam:
Onus ab honore ne velit ſeiungere,
Partes ſed omnes exſequatur principis.
Infirmiores ſi tamen humeri negent
Onus ſubire quodlibet, ſic parcat his,
Coram ſeueris vt etiam cenſoribus
(Quales Athenis Areius dedit pagus)
Venia relinqui quiſpiam poſſit locus.
Sed hunc relinqui credat iis locum minus
Electio vehit quos ad hoc faſtigium.
Sic reprehenſus Galba, Cæſar ſeptimus,
(Mos vnde cœpit eligendi Cæſares,
Caderet Neronis morte quum ſtirps Cæſarum)
Sunt ipſamet Suetonij verba. Remiſsior quòd atque negligentior
Quàm conueniret principi electo, foret.
Quid? principatum cui dedit ſucceſſio,
Onus ab honore poſſit is ſeiungere?
Iſtud profectò me nefas ſit iudice:
Venia relinqui plus ei dicam licet.
Nam moneo vt eſſe plus ſibi quamuis putet
Iuris, ſuo vti iure ſic tamen velit,

Vt

Vt nemo abuti poſſit illum conqueri:
Excutere tanquam prorſus hoc onus velit,
Honori adhærens copula firmiſſima,
Honoréque tamen interim plenè frui.
Et carpere illi iuncta quotquot commoda.
Recurſet illud ſingulis horis ei
Quod lingua vetula liberum verbum ſonat
Regi Philippo. poſcit audientiam
Vetula ſed eſſe hic otij tantum negat.
At vetula ad hæc quid? Ergo ne ſis rex, *ait.*
Inde documentum capiat hoc princeps meus,
Quibus auris eius quum patere debeat,
Patere differt vel nimis, vel denegat,
Si libera æquè lingua non eſt ac fuit
Aniculæ illi, libera eſt mens haud minus.
Dictum Platonis recolat & ſæpe aureum,
Haud eſſe quenquam qui ſibi natus modo:
Partem ſed ortus vendicare patriam,
Partem parentes: nec ſuis partem minus
Debere amicis. *iſta priuatus Plato*
Si dixit olim, principi quanto magis
Hæc dixit omni? quum parentis patriæ
Sit eius auribus vel mel merum.
¶ *At vis & arma cui viro victricia*
(Sed arma iuſta, qualia prius dicta ſunt)
Apice dederunt vt pari ſplendeſceret,
Incumbere ſibi leuius haud onus putet,
(Poſſétque grauius forſitan quis dicere)
Quàm ſi dediſſet principatum electio.

Vi nanque parta quî tenere vi cupit
Imperia, voti ſæpe non compos fuit:
Potius amicas reddat is mentes decet,
Inimicat illi quas tumultus bellicus,
Illata quæ vis & per hunc eſt ciuibus.
Sed parte princeps caueat hic ex altera
Ne nimia in iſtos ſit ſua indulgentia,
Velut ſit aliquis imperans precariò:
Medium ſed ille ſic tenere nouerit,
Vt qui nec horum gratiam anxiè petat,
Nec ſpernat illam, ſpernere aut præ ſe ferat.
SVCCESSIONE *cui tamen conſcendere*
Datum eſt honoris hæc ad alta culmina,
Materia noſtri tu futurus carminis
Præcipua, princeps. monita ſint vt plurima,
Et cuncta ferme, cæteris communia
Futura tecum: ſed magis communia
Quædam eſſe eorum principi electo queant.
¶ *Verùm hoc velim te pectori tuo indere,*
Materia noſtri qui futurus carminis
Præcipua, princeps, Chriſtianum principem
Muſam ſibi meam deligere tantummodo:
(Succeſsione ſiue adeptus eſt gradus,
Electionis ſeu fauor promouerit,
Seu geſta dederint hunc gradum mauortia.)
Sis vnus ergo Chriſtiani quum gregis,
Idémque Chriſtus, paſtor & dux ſit tibi,
Qui non modò alios vincit & prudentia,
Et vincit omni genere fortitudinis,

Inui-

Inuictus eſſe ſed ducum ſolus poteſt:
Oſtende quàm ſis dignus hoc miles duce:
Nec, munus obiens militis gregarij,
Præſtare digna hoc apice crede te tuo:
Sed inter omnes principem princeps locum
Velis tenere, quotquot in caſtris habet.
Tot ethnicorum nullus eſto principum
Sic norma vitæ, ſicque vitæ regula,
Vt facta in eius, eius in dicta omnia,
Tanquam in magiſtri verba, iurandum putes.
Nanque ethnicorum maximam vt licentiam
Omittam, in aliis rebus haud incognitam,
(Quæ Chriſtianis eſt repreſſa legibus)
Qui prædicatus iure plurimum fuit
Deliciæ & eſſe dictus eſt orbis Titus,
Profundere animam quum neceſſe iam videt,
O quàm profana fundit in cœlum prius
Verba, impotente victus ira turpiter:
Vitam immerenti queſtus eripi ſibi.
Et alia quædam nunc tego ſilentio.
At ſacra multos exhibebunt biblia,
Quos tutò vitæ regulam ſumas tuæ.
Et gratuleris vt tanto tibi magis
Quòd Chriſtianum contigit te principem
Naſci, memento, principes quoſdam ethnicos
Celebraſſe quædam quæ docent nos hi libri.

ASMA II, *ſiue* *CARMEN* II.

PRINCIPI, quum primùm ſuo inſidere ſolio incipit, conſiderandos eſſe diligenter illos duos, qui bono principi tribuuntur, titulos: quum *paſtor populi*, & quum *pater patriæ*, ſeu *parens*, vocatur: & quæ *boni paſtoris*, quæ *boni patris* ſint partes, oportere accuratè expendere. Hoc eum mouere minimè debere quòd Tiberius cæſar titulum parentis patriæ ſumere recuſarit, quidam verò hunc honorem in aliud tempus diſtulerint.

QVAE *prima ſolio te videbit huic nouo*
Hora inſidentem, cernat hæc & pectore
Iſtud agitantem: principi quæ nomina,
Siue tituli qui ſint apud cunctos bono.
Λαῶν *vocare* ποιμένα, *bonum principem,*
Camœnam Homeri, mens tibi iam ſuggeret.
Paſtoris ideo quæ boni ſint munia,
Tua mens reuoluat. Non gregi paſcendus eſt
Paſtor, ſibi datum paſcit ille ſed gregem.
Vitæ ergo ad vſus quæ requiri noueris,
Hæc prouidenda. teneat & primarium
Res inter iſtas quum locum quæ dicitur
Annona, cura non ſit huius vltima.
Paſtori & vllus neutiquam grex excubat,
Sed ipſe paſtor excubat gregi ſuo:
Simul excubantes plurimos canes habet,
Arcere gregibus qui lupos procul ſuis,
Satiſque valido præditi ſint robore,
Satiſque fido præditi ſint pectore.

Pecus

Pecus aliquando tondet, at deglubere
Vult ille nunquam: molientem tale quid
Pedo repellit, vel procul ſaxis fugat.
Homero & alter titulus haud ignotus eſt,
Decoratus eſt quo qui fuit princeps bonus.
Nam ſubditorum dictus eſt illi parens.
At poſt Homerum pluribus iam ſeculis
Patriæ parentes ſunt vocati cæſares:
Licet hunc adulans ſæpe non merentibus
Dederit honorem lingua: queis contemptui
Hæc ſanctio fuit, ſanctio verè aurea,
Suprema debet eſſe lex, populi ſalus.
Contrà labores ipſe laus vt hæc tibi
Iure tribuatur optimo. quod aſſequi
Quáſnam per artes tu queas, camœna iam
Mea te docere carmine hoc ſuo cupit.
Patriæ parentis quum tibi nomen datur,
(Nam ſumere illud non datũ pudor vetet)
Hæc diligenter mente bina voluito,
Titulus honoris ſcandit hic faſtigium:
Atq; reuererite tui quàm debeant,
Oſtendit hic quem deferunt honor tibi.
Necnon amoris titulus hic quammaximi,
Locatæ & in te maximæ fiduciæ
Ceu teſtis, aures perfrequens circumſonat.
Quod dico, honoris culmen hũc attingere,
Haud eſſe dubium vult ſacer vatum chorus.
Natura ab illis eſſe dicitur parens,
Tellúſque ab illis nomen iſtud accipit.

Multo & quod eſſe maius his fateberis,
Deus ipſe ab illis eſſe dicitur parens.
Sed tua vagetur nolo cogitatio
Huius per omnes nominis cauſas dati.
In genere tantùm fixa nunc vt ſit volo
Humano: & iſtud, quale, quantum, cogites,
Perſona tibi ſi ſuſtinenda ſit hominis,
Quem qui parentem nominant domeſtici,
Suum ſolet eos nominare ſanguinem.
Vide. parens quo liberos habet loco.
Seruorum habere non eos loco ſolet:
(Nam de parente nunc loquor tantùm bono)
Cur ipſe ciues, ſubditos vel quos vocas,
Debere credas eſſe ſeruorum vice?

Ex Seneca. Tutela quum ſit ciuium tibi data,
Cur ſeruitutem traditam tibi putes?

Procurat omnis liberis bonus parens
Quodcunq; commodum poteſt: penuriam
Si quam futuram prauidet, mox prouidet.
Vigil ſagáxque cura ſi qua liberis
Videt imminere damna, mox depellere
Omni arte & omni nititur molimine.
Humeros eorum non is in dies magis
Grauat, magíſq;: nec modò non aggrauat
Illos libenter, ſed grauari quum nimis,
Onerique ferme iam videt ſuccumbere,
Ex parte ſaltem perlibenter degrauat.
Quæcunque fari poſſit vllus denique,
Quum diligens eſt aliqua commendatio,

Ea

Ea comprehendet pauculis his vocibus,
Commendo patri liberos tuos tibi.
Et ipſa teſtis vtanq; caſtigatio.
Caſtigat illos: ſed queas agnoſcere
Quid puniens ſit & quid indulgens ſimul
Manus. modus enim fixus eſt pœna ſuus.
Eſt denique iſta ſæpe caſtigatio,
Salus eorum: nempe ceu naſcentibus
Morbis medicina pharmacum præbet leue
Quod creſcere vetat: quum ſciat creſcentibus
Phœbum vel ipſum neſcium reſiſtere.
Et inter alia fac tibi recurrat hoc,
Sarcire cura maxima bonum patrem
Quam diſſutam inter liberos ſcit gratiam.
Quid? regis iſtud eſſe munus an neges,
Sedare natas ciuibus diſcordias?
Hoc antè priſci regibus de ſeculi
Scio memoratum: nilq; laude dignius
Illis ad aures accidit de regibus.
¶ *Obiiciet aliquis, principes quoſdã tamen*
Hunc noluiſſe ſumere titulum ſibi.
Tiberius (eſto) noluerit admittere,
Et aliquot eſſe differendum duxerint:
(Taceo Neronis perfidam modeſtiam,
Cui Tiberianam forſitan quis iunxerit)
Exempla nolo terreant te talia.
¶ *Tuis aiſne viribus diffidere,*
Sed prompta ſaltem ſe voluntas exerit?
Admitte titulum qui tibi princeps datur:

Admitte, venia ſed ſimul tibi data,
Quæ te pudori non ſinat ſuccumbere,
Si non videbis ſemper oneri te parem.
Hæc muſa noſtra. Nec ſalubris principis
Et principatus nulla facta mentio.
Nam de parente patriæ, qualem petit,
Poſſe quoque dixit prædicari talia.
Sed excidere quæ titulis eſt his ſuper
Loquuta plura. Nec volo diutius
Differre quædam, memoriam quorum mihi
Ipſa renouauit vocibus aliquot ſuis:
(Ex ore licet alius illa prodeant:)
Nempe vnde poſsis diſcere, aut addiſcere,
Nomen parentis patriæ quid exigat:
Ex Claudiano, Tu ciuem patrémq; geras. &c.
Sic gerito ciuem, patrem vt interim geras:
Et omnibus fac conſulas, ſed non tibi.
Te damna publica moueant, ſed non tua.

ASMA III, ſiue CARMEN III.

PRINCIPI, ſi ſe dignum titulis præſtare velit quorũ in præcedenti carmine facta eſt mentio, dandam eſſe operam vt ad deligendos adminiſtros ſui principatus ſummam perſpicaciam, nec nullam in delectu aliorum omnis generis miniſtrorum, adhibeat. Præuidendum enim illi eſſe quàm multi ambitioni ſuæ, vel auaritiæ, vel alij prauæ affectioni, potius quàm ſuo muneri, ſeruiant. Hanc autem perſpicaciam à deo ſummis votis eſſe illi expoſcendã.

ERGO populorum paſtor eſſe vis bonus,
(Princeps) populíve paſtor vnius bonus?
Quid? nónne cura debet eſſe haud vltima,
Illos vt habeas antè quos dixi canes?
Arcere gregibus qui lupos procul tuis,
Satíſque valido præditi ſint robore,
Satíſque fido præditi ſint pectore.
Canum futuri talium viri loco,
Amore fido quos ſcies te proſequi,
Quibúſque pariter poſſe conſultoribus
Vti ſcies te, cognitam ob prudentiam.
Curam ergo, princeps, totus incumbas in hãc,
Et prima fac ſit iſta curarum tibi.
Nam principatu quid futurum ſit tuo,
Si ſimile naui quæ gubernaclo caret,
Deeſt vel eius qui gubernaclum ſciat
Tenere? id à te numen auertat malum.
Tantóque mage, carere conſultoribus,
Timeto, teneris quo magis verſabitur
Aetas in annis. atq; ſis eius memor
Quod muſa noſtra te monendum credidit,
Teneris in annis ſiquis eſt qui non cadit,
Titubare ſaltem greſſus eius cogitur. In adoleſc. ſi quis nõ cadit, ſaltem titubat.
¶ Paſtoris at quum nomen haud tantũmodo
Datum tibi ſcias, ſed parentis patriæ,
Et eſſe patrem familiæ te maximæ
Noris, & alios allegendos plurimos,
Tibi adminiſtri ſeu miniſtri qui ſient:
Autor tibi ſum, de legendo ne prius

Auſis vel vno cogitare, quàm tibi
Breue recitatum fuerit hortamen mea
Camœna: & illo fungar ipſe munere.
Tu principatus antequam tibi legas
Tui adminiſtros, uel miniſtros aulicos:
Hæc mentis oculis cuncta perſpicacibus
Sis præuidere tot memor pericula.
Regna magis ipſis regibus multi colunt,
Et principatus qui minores regiis,
Principibus ipſis plurimi colunt magis:
Aulæ que fulgor plurimos ſolus vocat.
Ambitio pectus vrit illius, dare
Qui ſe adminiſtrum ſit tibi promptiſsimus:
Honórque nullus explet hanc cupidinem.
Fames ſed auri pectus huius occupat,
Sedare quam non tota poſsit Lydia,
Aurifera quam non cuncta poſsint flumina,
Gemmifera quam non cuncta poſsint flumina
Sedare. ſeruit ille, ſicut hic, tibi:
Vterque multo tempori ſeruit magis.
Vterque ſeruit plus ſuæ cupidini:
Et principatus expetit plus vt tuus
Hanc cupiditatis expleat voraginem,
Quàm commoda huius quærit: hæc ei ſui
Eſt ſumma voti. Neutra peſtis occupat,
Si pectus aliud, huic voluptas imperat,
Huiúſque præfert is tuis negotia:
Ac trepides huius pectori committere
Arcana, poſtquam quale ſit cognoueris.

Nec

Nec legere fidos forſitan ſatellites
Sit facile tibi: vix vna forſitan fides
In plurimis futura ſit cohortibus.
Quídnam tot inter hîc agas pericula?
Tuámque mentem quî tremor non protinus
Inuadat, illos quum placebit eligi
Qui principatus adminiſtri ſint tui,
Vel quos miniſtros nominet quis aulicos?
Nanque meminiſſe principes omnes decet,
Haud eſſe tutos ſe ſatis, periculum
Extra omne ſi ſunt: proximos periculo Iuxta illud, Nõ ſatis tutus quî periculo eſt proximus.
Si ſe eſſe cernunt, ne ſatis tutos putent.
At qui vocandi proximi periculo?
Quicunq; ſecum quoſpiam vel quæpiam
Habent, queat vnde naſcier periculum.
Quídnam ergo princeps hîc agas? agas, virũ
Quod Chriſtianum perdecet, quod ethnicis
In more poſitum non fuit quondam viris.
Tu ter quatérque numen ex receſſibus
Precere mentis intimis, menti tuæ
Vt oculos indat, Lyncei quales erant:
Suis vt oculis mens tibi ſit perſpicax,
Quantum ſui oculis corporis Lynceus fuit.
Hor tamen hoc eſt: eius hoc ipſiſſimis
Eſſe recitatum crede muſæ vocibus.
Sed nec ſilebit ipſa (quum locus dabit)
Aliqua, tributam quæ tibi diuinitus
Multum iuuare perſpicaciam queant.
Nolo tamen illam monita circa cætera

Serua-

Seruare legem: quin mihi permittere,
Miſcere verbis illius quædam mea,
Memoria quoties illa denegauerit.
Minus futura fateor elegantia,
(Eius mereri hanc ſermo ſi laudem poteſt)
Mentem ſed eius ſunt futura commoda
Exponere tibi non minus fideliter.
Tradentur igitur vt tuis hæc auribus,
Sic intimo tu pectori tradas velim.
Nunc pandet ea, quis cœtus eſſe debeat,
Cingenda primùm latera quo cenſet tua.

ASMA IIII, ſiue CARMEN IIII.

PRINCIPI comparandos eſſe primùm amicos: ita quidem vt prima cura ſit eos deligendi, quos & conſiliarios habere poſsit. Quanti à principe fieri debeant. Cauendum ei eſſe ab iis, qui blandientes, & (vt vulgo dicitur) palpum obtrudentes, ſatis ipſum ſapere dicát, ideóque conſiliariis indigere negent.

MENS dubia longo noſtra manſit tẽpore,
Quis cœtus eſſet quo tuum cingi latus
Primùm deceret, latera vel cingi tua.
Multas & in partes vbi vacillans fuit,
Nutare cœpit in duas potiſſimum:
Satellitéſne corpori primùm tuo
Daret, an amicos, corporis quibus tui
Paritérque mentis eſſet cura maxima.
Dixítque tandem, Principi multo magis
Neceſſe amicos comparare plurimos,

Quàm

Quàm comparare quos vocant ſatellites.
Vixere multi principes feliciter,
Stiparet illos nulla quum talis cohors:
Vixere nulli principes feliciter,
Amicum haberent dum ſibi nullum gregem.
Rex ille teſtis in tragœdia boans,
Heu pereo, amici dum mihi nulli, miſer.
Diffidit aut ſi, ſique iam clamat metus
Eſſe hoc neceſſe, ſumat vt ſatellites:
(Licet odioſus ſit nouus princeps minus,
Inſidiæ & illum rarius multo petant)
Ad tempus aliquod fidat huic cuſtodiæ
Cui fidit antè ceſſit ipſi qui locum.
Hæc muſa noſtra, pœnè totidem vocibus.
Si regimen ergo principatus vis tui
Bene auſpicari, principatus ſi cupis
Et ipſa cedant proſperè primordia:
Præuertat iſta cura curas cæteras,
Et nulla pectus vrgeat magis tuum,
Quàm, ſit vt amica ſemper ad nutus tuos
Parata turba: quæ vel hos ſæpiſſime
Præueniat, vltro quæ tibi ſeſe offerat.
¶ *Sed iſta dubiũ quum trahat res neminem,*
Superuenire principi negotia,
Egeant amicis plurimis quæ plurima:
Numeróque in omni principum, illum pluribus
Egere, cuius principatus maior eſt:
Deſiderat eos quilibet vel maximè
Inſtructa magna mens quibus prudentia:

Vt

Vt poſſit iſtis ille conſultoribus
Vti, putabit eſſe quum negotium
Dubitationem quod mouere debeat,
Iniicere menti quidpiam vel ſcrupuli.
Quin & ſagaci quiſque poſſit vt lupos
Nare ſubodorans, interim tuos greges
Aduerſus horum plurimas iniurias
Præſtare tutos. nominabat nam lupos
Camœna noſtra, ſua ſtudent qui commoda
Captare populi grauibus ex incommodis.
Hinc canibus illa comparabat quos ſibi
Adhibere princeps conſiliarios ſolet.
Horum tibi opera quàm requiri debeat,
Vel ipſe Homerus ſat facit nobis fidem,
Vouere magnum Græciæ regem canens,
Non vt decem contingat Aiaces ſibi
Poſſe inuenire, Neſtores ſed vt decem.
At hos, amicos principis non moris eſt
Vocare (quamuis obtinent non vltimum
Locum inter illos) principi ſed quòd dare
Conſilium, eorum munus eſt potiſſimum:
Latij vocare more conſiliarios
Vulgo ſolemus: atque lingua Gallica,
Hiſpanica etiam, nec minus lingua Auſonum,
Habent Latino proximum quendam ſonum:
Sed Gallica tamen lingua, & Auſonum, magis.
Hi ſunt (iterare nam iuuat) quos te velim
Contentione maxima conquirere,
Princeps, mihi aurem quiſquis ad hoc commodas
Car-

Carmen.quibus enim nomen iſtud eſt datum,
Debent,ſoléntq;, principi vt præſtent ſuo
Operam fidelem,munere & dici queant
Rite eſſe functi,conſilia dare haud modò
Ea quum rogantur:eſſe ſed partes ſciunt
Suas,& illum præuenire plurimis
De rebus. ergo ſi fideles ſunt tibi,
Tuique amantes,cura ſemper hæc eis,
Cauere detrimenti vti tuæ nihil
Capere queant res:formula vt quondam fuit
Romana, Detrimenti vti reſpublica
Nil capiat. *iſta verba erant ſolennia.*
¶ *Sed hic,venena iacere linguas quæ ſolent*
Caueto,ſub his quæ latent ſermonibus,
Satis ſupérq; conſules princeps tibi:
Cur neſcio quos tibi volunt intrudere,
Conſilia quorum ſint iuſſa ceu quæpiam?
Queis obſequare,ceu tuis tutoribus?
Tuo redundat pectori prudentia,
Non tantùm abundat. addere conſiliarios,
Eſt ligna ſyluæ, & eſt aquam mari addere.
Tamen, quòd ille titulus eſt res ſplendida,
Aliquos habendos cenſeam, ſed pauculos,
Pro forma,(vt iſtis moris in rebus loqui)
E mente nanque cuncta pendebunt tua.
Sic blandietur aliquis auribus tuis.
In re ſed eſto credulus nulla minus.
Haud deſtitutus ſis licet prudentia,
Habeáſque lætos ſæpe conſili exitus,

Haud

Haud fidere illi te tamen ſoli decet.
Nanque audienda plura quum ſint principi,
Videnda pariter plura quum ſint principi,
Audire priuato neceſſe quàm ſiet,
Et quàm videre: cur is adiutoribus
Oculis recuſet, cur is adiutricibus
Vti recuſet auribus prudentium,
Nolítque, quum res poſtulat, prudentiæ
Conferre in illam quenq; ſymbolas ſua?
Vel hoc mouere iure te princeps queat,
Quòd ſi (vt fit) aliqua conſilia non quem cupis
Fuerit ſequutus fortè ſucceſſus, tibi
Soli imputandam nemo culpam dixerit.

ASMA V, ſiue CARMEN V.

PRINCIPI quàm multa ſpectãda ſint in cõſiliariorum delectu. Dictum quoddã de bonis conſiliariis, ex quo apparet quanti princeps illos facere debeat. De bonam fidem circa huius concilij decreta non ſeruantibus. Apoſtrophe ad regem Galliæ, Henricum IIII.

VT abominari ſuadeo linguas eas
Queis grex amicus atq; conſultor ſimul
Superuacuus eſſe comitatus dicitur:
Sic auris iſtos (moneo) reſpuat tua
Qui facilem eos rem comparatu dictitant.
Operoſa res eſt, eſſe quales expedit
(Quales & illos expetit quiſquis ſapit)
Reperire tales. Non enim ſat eſt, ſenes

Hos

Hos eſſe, ſenio aut eſſe ſaltem proximos:
Sicut ſenator traxit hinc nomen ſuum,
Traxit ſenatus, ſicut & γερουσίαν
Dixere Graij. (ſcilicet facillimum
Quoſdam aggregare, vel etiam quamplurimos,
Cani verendos facere quos cuiuis queant)
Sat illud haud eſt. hos decet prudentia
(Quæ ſæpe canis eſſe denegat comes)
Valere, & eſſe principi fidiſſimos:
Qui quæ arbitrantur recta, dicant liberè,
Quæ praua cenſent eſſe, dicant Stoicè:
Sententiáque non gerant ſe obnoxios
Alterius: eſt quòd maior illi autoritas,
Vel aucupantur illius quòd gratiam.
Nec ambigua, ceu fluctuantes, proferant.
Sententiáque non tamen ſint in ſua
Sic firmi, haberi peruicaces vt queant.
Quin Tullianum ſemper illud cogitent,
Prudentis hoc eſt, ceu ratem, ſententiam
Ita moderari velle nonnunquam ſuam,
Rei videtur publicæ ſicut ſuæ
Exigere tempeſtas. *Neget nec Tullius*
Quin iſta quæ ſunt vera de republica,
De principatu ſint futura non minus.
Sint magna quamuis inter hæc diſcrimina
In rebus aliis plurimis: naturáque
Sit prorſus iſtis diſcrepans. Sed, vt meus
Redeat ad illos ſermo conſiliarios,
Requiri in illis dixerit qui talia,

Subſcriptor eſſe ſingulis non abnuam.
Fortaſſe & addet multa, quum perpenderit
Attentius rem: cætera inter poſtulans,
Indigena vt illi, neutiquam ſint exteri.
Nam iura, ritus cognitos eis fore,
Ingenia nota, cognitos mores quoq;.
Nec alia nulla conſequi dicemus hinc.
Nam talis vt ſit quiſq; conſiliarius,
Qualem hic requirit, careat ille plurimis
Neceſſe vitiis, queis laborant plurimi.
Eſt prima, auarus ille ne ſit, cautio:
Modeſtus vt ſit, debet huic adiungier:
Ne garrulus ſit, cautio ſit tertia.
Si natus ille nobili non ſit loco,
Sit ſaltem honeſto. ſi ſenili non erit
AEtate, at illa quæ ſatis matura ſit.
Autoritatis auget haud pondus parum
Hæc res & illa: ſed inſuper prudentiæ
Eſſe ſolet ætas plus capax maturior.
¶ *Nunc ſcire vin' tu quanta principatui*
Quantíque pretij gaza conſiliarij
Boni? docebit illa Græci vera vox,
Futura ſemper melior eſt ſors ciuium
Queis rex malus, boníque conſiliarij,
Quam queis bonus ille, ſed ſient iſti mali.
Agitur ſub iſtis vocibus de principe
Parere qui vult conſiliantibus ſibi.
¶ *Verùm eſſe quoſdam principes non neſcio,*
Illis videri qui velint quidem obſequi,
Non

Non obſequantur ſed tamen. ſic ille grex
Specioſa res eſt principi, non vtilis.
Peccare ſoliti cæſares idem quoq;
Quidam. atq; peius omnibus, qui tertius
Eſt imperator, ſe ſuos erga gerit.
Viginti ab illo poſtulantur, ex eis Suetonij verba, de Tiberio.
Qui dicerentur ciuitatis principes,
De publicis quos conſulat negotiis.
Sed pæne cunctis peſſimè ipſe conſulit.
Nam præſtat incolumes eorum vix duos,
Aut tres. At ipſe conſulas velim tuis, Eiuſdē verba.
Tanquam propinquis: & quibus prouecta iam
Erit ſenectus, vnus horum quiſq; ſit
Amore, honore, ceu loco patris, tibi.
Viginti habere quid attinebat viros,
(Tiberi reuertor ad tuos) cur tot tibi
Quæſo, petebas conſiliarios, ſuper Suetonij verba.
Veteres amicos ac familiares tuos?
(Numerus eorum nanque non paruus fuit)
Sententiarum num placebant agmina?
Et hîc ſimulator cæſarum tu maximus
Tiberi fuiſti. Turba nequaquam velim
Sit tanta noſtro conſulenda principi.
¶ *Haúdq; numerare ſemper hunc ſententias,*
Sed has aliquando ponderare ſuadeam:
Ætas & vſus illius prudentiam
Si roboraſſe iam queunt. Nec non erit
Iſtud monendus, hac vt in re ſit memor
Conſiderare, ſæpe qui ſententias,

Proſper quibus ſit exitus, pronuntient.

¶ *Verùm cauere debet hoc præ cæteris,*
Ne fiat illud, factitatum quod ſcio
Sub rege noſtra Galliæ, quem ſuſtulit
Illa ſacra dextra nuper: (hîc ſacram voco,
Sacram poetæ ceu vocant auri famem)
Concilio *in illo quod* ſecretius *ſolent*
Vel nominare ſanctius, *vel* arctius
(Eſt ſolita lingua nominare Gallica,
Vt lingua ſi vocare priuatum *velit*
Latina: & antè nominatum idem fuit
Strictum: *vel* arctum, *propriè vt magis loquar.*
Recentiorum credo conſiſtorium
Id cæſarum eſſe, credo & auditorium.
In craſtinum differre mos erat diem
Decreta multa: nuncupare mos erat
Vocabulo illa, nempe rem nouam, nouo:
Vt ſi Latinè dicere reſultacula
Auſis: vt illa ſcripta ſi comprenderent
Quiddam reſultans ex variis ſententiis.

Malis ſed anſam præbuiſſe maximis
Morem hunc, tacente cogitet vel me ſatis
Cui mentis acies ſit aliquantum perſpicax.

Ac, ſi fateri vera non vetat metus,
Sæpe metamorphoſis aliquot innocentium
Sententiarum facta in vnicam fuit
Non innocentem. vos ego teſtes voco
In hunc fuiſtis qui cooptati ordinem.

¶*HENRICE* QVARTE, *Gallia* reſulta-
Nunquam timebit talia, te ſuperſtite, (cula
Ipſam & regente. regimen oſtendit ſatis,
Cœptum, futuri quanta nobis debeat
Spes eſſe: ſimulac canere te receptui
Permittet ille quem tremit vel ipſe Mars,
Debentur & cui cuncta ſoli martia.
Tunc tunc beabis Gallicam gentem tuam
Regimine quo non optet vllum ſanctius.
At nunc rebellans gentis huius magna pars
Noctes diéſque iurat in tuum caput.
Soléntque medicis vt phrenitici ſuis
Diras precari, ſtruere quoduis & malum:
Mirantur at pòſt, atque valde pœnitet:
Sic, quum phrenitis iſta pectus liquerit,
(Quam tetra procerum peperit incantatio,
Qui mentiuntur Gallicum ſibi genus)
Sequetur iſtud magna pœnitentia
Factum: veniámque ſupplices omnes petent:
Dicéntque, Tanto cur eramus tempore
Miſeri modis tot, rector ille quum bonus
Beatitate panderet plenum ſinum?

ASMA VI, ſiue CARMEN VI, VEL, Epimetron ſeu Auctarium ad CARMEN V.

DE ABVSV tituli quo quidam dicuntur principis alicuius conſiliarij. De quibuſdam iactantibus ſe è regione extera principe ab aliquo accerſitos ad fungendũ hoc munere. Non quoſuis iuriſconſultos cæteris conſiliariis eſſe præferendos.

QVENDAM hîc abuſum non tacendum dixerim:
(Ni fortè potius error hæc vocanda res)
Qui natus hoc eſt aut auorum ſeculo.
Ac, ſi eſt auorum natus hic iam ſeculo
(Quod credo ego vix) auctus eſt mirum in modũ
Ætate noſtra. Quis ſit ille, quæritas?
Fere profanatur titulus huius muneris
Noſtris in annis. nanque conſiliarius
Alicuius eſſe principis quis dicitur,
Stiuam ad tenendam qui futurus aptior,
Quàm ſi tenendus inter illos ſit locus
Queis nomen iſtud, atq; vera functio.
Omitto, quanta turba ſit non hoc quidem
Indigna titulo penitus (vt rumor putat)
Ignota at ipſi principi: cui non minus
(Saltémve parti) prorſus ignotus ſiet,
Niſi nomine ſuo, principatus aut ſui.
Sunt queis ſit alia functio multum diſcrepans
A prin-

A principe data: titulus ille vt interim
Eſſe videatur additamenti loco.
¶ Quid? an ſilebo de quibuſdam, dedecus
Qui principi ipſi facere per decus ſuum
Conantur (aut eſt forſan imprudentia)
Quum gloriantur in librorum frontibus
Seſe aduocatos natione ab extera,
A conſiliis vt huius eſſent principis,
Aut huius, aut illius: is quicunq; ſit.
Titulum quis iſtum derogare principi
Multum negabit, quiſquis hos vocauerit?
Hominum laborat ergo num penuria
Tanta ille princeps (clamitabit quiſpiam)
Queis pectus ornet magna ſat prudentia,
Vt tam procul eos aduocare oporteat?
Sed quidam in illo gloriantium tamen
Numero (quis iſtud credat?) eſt iuris quoq;
Conſultus vtriuſq; qui dictus fuit.
Quid dico? iuris immo conſultiſſimus,
Vt ipſe titulus prædicat nobis libri.
Verùm iſte munus qui vocatus eſt ad hoc,
(Vt ipſe narrat) ſit profeſſor publicus.
Suſpectus vnde redditur, ne muneri
Impar repertus fortè fuerit alteri.
Dedecorat ergo ſe magis quàm principem.
¶ Quid? iuris ille qui valet peritia,
Locum hunc tenere dignior nónne omnibus
Incognita quibus iura ſunt ciuilia?
Exercitatus quiſquis in ciuilibus

Negotiis eſt, haud libris doctoribus
Tantummodo vſus, pollet illic plurimum:
Quicunque ſolis ex libris ſapit, parum
Sui ſapit ille principis negotiis:
Conſultor eſſe nec poteſt primarius:
Pluréſve ſi ſunt hoc eodem in munere,
Princeps vel aula quos vocet primarios,
Vix hos tenere poßit hic inter locum.
Exempla nobis regia quoque Gallica
Quædam miniſtrat. ſed volo meis parcere.
Ergo Vlpianos ſi queat nanciſcier
Trebatióſve, negligat princeps eos?
Abſit vt hoc ipſe conſulam princeps tibi.
Quanta Vlpianus commoda ſuo Cæſari
Tulerit, & ipſa teſtis eſt nobis ſatis
Hiſtoria. Sed non, ille conſultißimum
Qui iuris vtriuſque ſeſe dictitat,
Iuris vtriuſque qui monarcham ſe vocat,
(Nam lectus etiam titulus hic fuit mihi)
Eſt Vlpianus alter, aut Neratius,
Aut Papinianus: ille vel Trebatius.
Sapuiſſe ſola quos quis ex ſchola putans,
Alióſque multos, erret is quamplurimum.

ASMA VII, ſiue CARMEN VII.

DE AMICIS generalius. Quàm ſint principi res neceſſaria. Magno, in eorũ delectu, eſſe opus iudicio. Nihil æquè in iis eſſe requirẽdũ à principe, ac iſta duo, vt honeſtè liberæ & veraces eorum ſint linguæ. Quomodo ſe viciſsim erga eos princeps gerere debeat. Alia quædam monita de illis.

REFERRE *noſtra muſa vult illuc pedem*
Vnde efferendum (ſed parumper) credidit,
De principis quum facere conſultoribus
Verba ſtatuiſſet.ex amicorum grege
Selegit hos tunc: at loqui nunc plura vult
Multo patente latius de nomine.
Nam muſa amicis vult loqui de principis,
Quocunq; nomen obtinent iſtud modo:
Nouúſq; tanquam ſermo ſit futurus hic,
Hinc ipſa ſumit illius primordia.
Parandi amicos cura prima principi,
Huic eſſe cura debet & potiſſima.
Cui nanque reliquæ ſunt, ſuperſunt & opes,
Deſunt amici, iure inops habebitur.
Ex his voluptas manat, & quum proſperas
Res experimur, & premunt quum nos mala.
(Nam vel tueri faciem amici nos iuuat,) Ex Euripide.
Vt canere Græcam ſum memor tragœdiam.
Sed ſæpe fructus capitur ex his maximus:
Viróque capitur maximè hic à principe,
Conſilia quando ſuggerunt ſalubria,
(Vltro iſta ſeu dant, ſiue quòd iuſsit dare)

Nanq; his egere ſæpe ſcimus principes.
Atq; vt videmus facere nos quamplurima
Non poſſe, manibus iunxerint niſi manus
Plerią; ſocias: mente ſic quem voluere
Neceſſe multa, nolit is cur mentibus
Suam iuuare vel trium, vel quattuor,
Vel quinq;, vel ſex, vel decem, vel deniq;
Multo (arduæ res quum dabuntur) plurium?
Adiutor autem hîc quis tibi ſit aptior,
Eo qui amicus eſſe verus vult tibi,
Fauſta euenire qui peroptat omnia?
Sed quo magis optas eſſe amicos vtiles,
Relinquito illis hoc magis parrheſian:
(Graijs loquendi dicta libertas vt eſt)
Et diſplicere ne præ te feras caue.
Vt nanque medicos æger ad te quum vocas,
Haud pharmaca illos vis tibi placentia
Præſcribere: ſed, amara ſint quantumlibet,
Ea bibere tamen ipſemet tibi imperas:
Idémq; iuris his volens permittere,
Quum vocibus etiam increpant audaculis,
Voces grauari non ſoles audaculas:
Morbi imminentis ſiue præuident minas,
Ceu ſpecula ab alta maxima ſcientia,
Te ſiue cernunt, ſanitatis hoſtibus
Intemperanter plurimis cibis vti:
Sic quum vocatus aliquis eſt, quem conſulis,
(Nanq; volo amicos præditos prudentia,
Quos familiares feceris & iam tibi,

Ceu familiares eſſe conſiliarios)
Conſultor vltro quiſpiam vel eſt tibi:
Iámque eſt tuarum vel ſtatus rerum malus,
Malum minantur vel ſtatum, ni prouides:
Conſilia debes grata non expoſcere:
Auri moleſta ſed licet ſint hæc tua,
Tibi imperare, quæ iubent illa, exequi.
Quin, excitare ſi remiſſum te volens,
Peſtringere tuam viſus eſt ſecordiam,
Auris fidelem admittat hanc audaciam.
Cauſam fuiſſe ſic mali ſui gemit
Auguſtus, illos quòd duos deſiderat,
Duos amicos, liberæ linguæ quibus.
Latus ab amicis talibus cui cingitur,
Is principatus ſe ſciat fundamina
Iecíſſe bona (quæ vel vocet firmamina)
Magnorum & inſtar eſſe credat agminum.
Quid? nónne Medus ille rex ſceptrum aureum
Quod geſtat, ait haud eſſe quod cuſtodiat.
Regnum? eſſe nónne dicit hoc veriſsimum
Tutiſsimúmq; ſceptrum, amicos plurimos?
¶ *Sed ſunt amici gaza quo præſtantior,*
Theſaurus & quo ſunt amici certior,
His deligendis maior hoc prudentia
Adhibenda cuiuis principi. rex cœlitum
Eſt inuocandus ſæpe voce ſupplici,
Ex intimíſque pectoris receſsibus,
(Quod puritatis ſit ſibi ſat conſcium)
Vt mentis oculos dirigat, nouámq; det

Ad deligendos hos tibi ſolertiam.
Electionem proſequar princeps tuam
Voto (quod auris abſit vt ludibrium
Contingat eſſe) non ſit vt felix minus
Delectus iſte, quàm ſuus Tito fuit.
Oculatus ille tam fuit & tam perſpicax,
Eiúſq; felix adeo perſpicacia,
Vt vſi amicis ſint eiſdem cæſares,
Quos habuit illi proximos vrbs Romuli:
Ex Suetonio. *Quòd eſſe crederent ſibi neceſſarios,*
Reiq; pariter publicæ perutiles.
Quanta ô Tite tua, mira quàm ſolertia,
Huic acquieſcant quum ſequentes principes,
Iudicio & eſſe quum probent ſtandum tuo.
Tuam Tite ornent memoriam quum plurima,
Celebrata multis poſterorum vocibus,
Decus iſtud horum maximum, me iudice,
Rariſſimúmq;, maximæ ſolertiæ.
¶ *Quòd ſi ſupellex (ſi loqui fas eſt ita)*
Adeo pretioſa ſunt amici principi,
Annon beatus hoc magis princeps erit,
Quo poterit vſq; cinctus eſſe pluribus?
Prodeſſe maior numerus vt multum poteſt,
Idem nocere poſſit illi non parum.
Si nanq; numerus tantus eſt vt nec queat
Vacare princeps omnibus, nec dextera
Sat liberalis exſequi partes viri
Valeat in omnes, aut honorum præmijs
Ornare cunctos: numerus æquo maior hic

Exiſti-

Exiſtimetur:te ſcias huic imparem.
Forſánque turbæ pars,amica quæ prius,
Fiet inimica,præteriri ſe putans.
Nam præteriri ſe putabit tum quoq;
Quum munera quidem largiere,ſed ſuis
Meritis minora pectore in ſuo frement.
Ille Latiorum qui ſophorum maximus,
Doctórque magnus aulicæ ſcientiæ,
His conſona meis vocibus de Iulio
Nobis reliquit,atque noſtris poſteris,
Quæ turba Iulium peremit Cæſarem, Ex Seneca.
Plures amicos habuit inimicis. *Et his*
Addit, odia vnde nata amicorum forent:
Quòd Iulius ſpes haud ſuas expleuerit
Ipſis:vt illæ non erant explebiles.
¶ *Iure moueatur pariter iſta quæſtio,*
Quid? vtrum amici principi vt ſint plurimi,
Eſſe decet omnes apud eum pari in gradu?
Hanc immo legem velle cuiquam ponere,
Eius ſit amorem ſeruituti ſubdere,
Seu plurimos habet ille,ſiue pauculos.
Vt nanque omittam multa quæ diſcriminis
Cauſa eſſe debent,nónne res turpiſſima
Foret iſta,veteres haud nouis præferrier?
Sed altiore cæteros nolim gradu
Sic ſuperet vllus,vt quis ipſum comparet
Monti cacumen cuius aſtra verberat,
At cæterorum dicat altitudinem
Vel aggeri vix comparandam cuipiam.
Hiſto-

Hiſtoria amicos regis vllius magis
Haud (credo) celebrat, quàm Philippi filij:
(Vocans ἑταίρους, *ceu ſodales nomines)*
Verùm quibuſdam celſior fuit gradus
Quàm poſſet vt eum turba eorum cætera
Ferre patienter. hinc amorem plurimis
Quis non odio fuiſſe mutatum putet?
Exceſsit illo rege ſed modum magis
Rex ille noſter, ſceptra qui liquit ſua
Nunc imperanti. Quúmq; primò ſex forent
Septémve ἑταῖροι, *conſequuti ſunt duo*
Multo ampliores omnibus prioribus
Opes. fuítque maior his potentia
Duobus, illis quàm fuiſſet omnibus.
Nec demereri poterat vllus principum
Huiuſce regis gratiam facto magis
Vllo, quàm honorem maximum his impertiens.
Aliquos amicos at tibi non ſuadeo
Euehere tantum velle ſupra cæteros,
Vt eſſe ſorte hi diſpari prorſus, gemant.

ASMA VIII, ſiue CARMEN VIII.

PRINCIPI videndum eſſe ne in eius amicitiam irrepát qui quum amicorum nomen ſibi tribuant, ſunt tamẽ *adulatores*, ſeu *aſſentatores*. Ac de his multa: præſertímque quàm principibus ſint pernicioſi. Ideo cautiorem in delectu eſſe debere principem: & quo magis iſti veraces eſſe oderunt, eo magis id in amicis eſſe requirendum.

Haud

HAVD excidiſſe pectore ex tuo puto,
Princeps, meum illud proſequebar quo tuã
Electionem votum, vt haud Tito minus
Felix amicis in legendis tu fores:
Iterare votum nunc iuuat princeps meum.
Felicitas hæc ſin negatur, quam precor,
Saltem procul abſit, abſit infelicitas,
A te procul abſit calamitas, quam deprecor:
Illa, illa, multos perdidit quæ principes:
Vt, comparare dum ſtudent præ cæteris
Multos amicos, incidant præ cæteris
In hominum eorum fraudulenta retia
Qui non re amici, ſunt amici nomine.
Sed aliud his eſt proprium nomen magis.
Quicunq; talis, dictus aſſentator eſt,
Nec non adulator, Latinis vocibus.
Palpator etiam, palpo dictus eſt quoque.
Sermone Græco nominatus eſt colax.
Atq; iſta vox eſt hoc magis notabilis,
Affinis eſt quòd plurimum vocabulo
Eadem vocare lingua quo coruum ſolet.
Sermone Græco nanque dicitur corax.
De nihilo id eſſe ne putes, quòd tanta ſit
Verba inter iſta (ceu vides) cognatio.
Mala inter illam ponito ſaltem omina.
Quin iſtud adde, mortuorum eſſe corakas,
Sicut colakes ſunt nonniſi viuentium:
Sed conferatur ſi malum quod inferunt
Corakes, malo quod hi inferunt potentibus
(Nego

(Negotium iſtis nanque cum viuentibus,
Sed dummodo ſint & potentes hi ſimul)
Tricorakas *eſſe dixeris viuentium.*
¶ *Tantum imminere quum ſcias periculum,*
Amici honorum nomen illud & locus
Honorus ille detur à te nemini
Quem non prius intus noueris & in cute.
Vt nanque lolium cernis inter tritici
Meſſem latere, perſpicax & quis parum
Granis ab iſtis fronte prima fallitur:
Miſtura ſic ſit peſſima aſſentantium
In medio eorum quos amicos nuncupas.
Sed mentis oculos larua fallit hac magis,
Quàm fallere lolium quit oculos corporis.
Hæc larua multos principes peſſumdedit,
Prius potentes, plurimas tragœdias
Hæc excitauit nobiles inter viros:
Mala nec minora patrat hoc & tempore.
Tanto ergo princeps elabores acrius
Hæc detegatur vt tua larua in domo.
Suſpecta necnon illa lingua ſit tibi,
Blandiloqua ſemper eſſe quæ multum ſtudet:
Ex Horatio. *Iterare gaudet verba quæ tua omnia,*
Quæ verba gaudet tollere & cadentia,
(Haud aliter, ille quàm puer qui cogitur
Dictata ſauo ſub magiſtro reddere)
Horrere quam quis dixerit nutus tuos.
Aſſentiens eſt omnibus quæ dixeris:
Et dicere etiam ſi libet contraria,
Aſſen-

Aſſentietur vocibus contrarijs.
Factúmque nomen iſtud aſſentator *eſt*
Hinc, vt reor ego. moneo te ſed hoc quoque:
Mellitus huius ſermo ſi lingua tibi
Examinetur, ponderis nullius eſt.
Loliúmq́, leuitas vt ſua haud ſinet diu
Miſtum manere tritico, ſi ventiles:
(Praſtánſque præſertim ſiet ſi triticum)
Sic, comparanti cæteris cum vocibus,
Fuſis amico ab ore, necnon libero,
Eas ab ore hoc melleo quæ profluunt,
Et blandiente ad illa quæ loquutus es:
Iſtas videbis melleas vaneſcere,
Illas amicas permanere & liberas.
Erat vnus iſto de grege is cui turgidam
Linguam veneno verba dixi fundere,
Quibus alieni conſilI non indigum
Oſtenderet te, ſapere quòd poſſes ſatis.
Sed multa quum ſint peßima aſſentantium
Dicta, aliud iſto peius haud quis dixerit,
Præeſſe, non ſubeſſe, debes legibus,
Dignum tenere ſi gradum vis príncipe.
Eiuſdem & iſta ſunt farinæ paucula,
Quæ lingua ſæpe reſonat aſſentantium,
Hoc facere princeps ſi tibi libet, licet.
Occinere tale principum dictum auribus,
Mentes eorum eſt toxico perfundere:
Siue hoc adulans lingua dictum proferat,
Siue alia, quæ non artis huius artifex,

Sed aucupatur commodum inde quodpiam.
Sua Baſsianum ſic nouerca maximum
Agit in furorem, quo capit licentiam
Stupri. ille nanque quum loquutus hac foret,
Vellem, liceret ſi modò: *ipſa voculis*
Tollit timorem hunc hiſce, Si libet, licet.
Creant periclum verba maius talia,
Quum tenera mens eſt principis, corrumpere
Sic regis animum ſolitus eſt Memphitici
Photinus ille talibus ſermonibus,
Ex Lucano. Sceptris ſua omnis vis perit, ſi iuſta vult
Sic ponderare, commodis vt præferat.
Quare cane peius, angue peius oderis
Quæcunq; adulans verba lingua proferet.
Hæc lingua peſtis maxima inter aulicas.
Sed hanc vocare cur libet peſtem aulicam,
Obnoxius ei quum ſit is præ cæteris,
Magíſq; multo, dominus aulæ quiſquis eſt?
Quum nanq; multi queis placet adulatio,
Hanc artis habeant quæſtuariæ loco,
Iure hi profectò factitant artem ſuam
Ipſummet erga principem, quem ſit penes
Vel facere Crœſos qui forent Iri prius.
¶ *Ergo labora peſtilens vt hoc genus*
A genere poſsis altero diſcernere,
Cuius vel ipſum nomen impudens capit.
Contigerit iſtud quum tibi, mox cogita
Profugus ab aula poſsit eſſe quì tua
Vel hic, vel ille, quiſquis arte gaudet hac.

Tibi

Tibi patefactum ne tamen præ te feras,
Priuſquam ab illo tuta cernes omnia:
Et illius ſunt ſi qua credita auribus
(Amicus eſſe dum fidelis creditus)
Cernes ſine vllo poſſe iam periculo
Eliminari. at hac vbi prauideris,
Captanda fuerit aliqua tunc occaſio,
Pudore ſaltem qua queat magno affici.
Peruolitet aulam rumor iſte mox tuam:
Vtq; patefactum colaka *nemo non ſciet,*
Eſſe pudefactum quiſq; eundem nouerit.
Aulam ſequetur magnus hinc riſus tuam,
Lætitia ſed te pariter atque gloria.
Nam magna res eſt colaka *deprehendere:*
Poſſe colakeias, *maius eſt, conuincere:*
Efficere ab aula ſponte vt exulet tua,
Res iſta certè maxima prudentiæ.
Alacriores tunc amici fidi erunt.
Quòd ſi ex amicis quis tibi non intimis
Illam volebat vergere ad prauam viam,
Abſterritura eſt talis hunc infamia.
¶ *At quos amicos exiſtimabis tibi*
Veros, tibi ſemper eſſe veraces iube.
Contentione nil ab ipſis exigas
Tanta, ac id eſto pertinax contendere.
Et remoueatur is timor longiſſimè,
Incutere verba quem queunt vulgaria,
Obſequium amicos veritas contrà parit
Odium. *neq; minus ſi qua ſunt affinia,*

Veridica per quæ lingua deterrerier
Poſsit. Recordor regis hîc noſtri, nece
Miſera perempti nuper (huius ſanguinem
Quum dextra monachi, ceu latronis, hauſerit,
Sicariíve: quódque caſtra horreſcere
Facinus ſolebant, clauſtra perpetrauerint)
Hunc aliquot annis antequam ligariæ
Turbæ ingruêre Galliæ (quum ſe miſer
Nondum monachicis mancipaſſet ritibus)
Penetrali in illo quod cabinetum nuncupant
Galli, querentem corde tanquam ex intimo
Audire memini, pauculos teſtes apud,
Regum priorum neſcio infelicitas
An tanta fuerit, quanta ſemper eſt mea:
Vt veritatis vlla vix ſcintillula
Vnquam venire poſsit aures ad meas.
Sed eius iſta non poteſt dici noua
Querela: & alij principes quidam prius
Queri hoc ſolebant. inter hos, qui dictus eſt
Diocletianus, Cautus, *inquit*, & bonus
Et optimus etiam imperator venditur,
Dum vera neſcit, ædibus clauſus ſuis.
Fallendum ad illum colligunt ſe quattuor,
Aut quinq;: & vna mente quum mẽdacium
Confabricarunt, pœnitenda ad plurima
Impellere ſolent principem vel optimum.
Deflenda ſors eſt principis tamen minus
Qui veritatem ſe latere nouerit,
Quàm veritatem qui putat mendacia,

Quæ

Quæ veritatis larua quæpiam tegit.
Sic æger ille, nullus eſt morbi ſui
Cui ſenſus, ægro eſt altero magis miſer.
¶ *Ad noſtrum ipſe nunc vt reuertar principē,*
Sic ſit aliorum doctus hic velim malis,
Vt ſit in amico grata res præ cæteris
Veriloqua lingua: poſtulet nil acrius
Amico ab vllo. Sed viciſſim viderit
Nequa videatur eius eſſe offenſio
Ex veritate. vix quid audet hiſcere
De veritate, qui malignis auribus
Eam immerentem cernit interdum excipi.
Timorem adauget illa vox prouerbij
Antè memorata. cui comes rectè ſit hæc,
Pericla ſæpe contigua habet veritas. Ex Ammiano.

ASMA IX, ſiue CARMEN IX.

DE iis qui ſunt à ſecretis: qui vulgo ſecretarij diſcuntur. Quam cautè ſe gerere princeps debeat in aperiendis ſuis arcanis vel iis, vel aliis. Quàm periculoſum ſit interdum aliquorum principis arcanorum eſſe conſcium.

DEDVCTVS *iſtum ſermo noſter in locū,*
Poſcere videtur ſubſequi nunc vt velim
Quos moris eſt vocare ſecretarios,
Linguis tribus eis antè quas recenſui.
Licet Latini, quum loquuntur principis
His de miniſtris (cæſarum vbi mentio)
Potius, ab eius *eſſe* ſecretis, *ament*

Dici. ſcio eſſe qui miniſtros inſuper
Secretioris eſſe vitæ dixerit
Quoſdam. Sed agere de miniſtris nunc libet
Quos à libellis, *vel* ab epiſtolis *vocant*
Latini eidem: ſiue quos eſſe à manu
Aliquando dicunt: ſiue quos à memoria.
In deligendis his item prudentiam
Paruam haud requiri, muſa noſtra te monet.
Vix vlla nanque pectus abſcondit tuum
Secreta, quæ non detegas & talibus.
Arcana quædam, conſciam quorum tuam
Vix facere poſſis coniugem, citra metum,
Vix facere poſſis conſcios vel liberos,
(Sua licet ætas his ſatis maturuit)
Aperire ſæpe talibus neceſſe ſit.
Epiſtolis hos claudere miniſtros iubes
Manſere clauſa mente quæ tua diu.
¶ *Sed cur amicis hos ego ſubiunxerim,*
Mirare forſan. nempe conſiliariis
Subiungere illos viſum erat menti meæ:
Verùm de amicis inchoatus ſermo iam
(Nanque ex amicis hos puto primarios
Conſilia qui dant) antè claudendus fuit.
Præmonitus iſtud, præbeas aurem velim
His quæ iubet aliis camœna attexere.
LICET *arbitreris eſſe nactum te viros*
Arcana poſſis cuncta queis committere,
In parte tamen hac te geras cautiſſimè:
Caueáſq; nequid detegas, quod conſcio

Te-

Te reddat (ille quiſquis eſt) obnoxium.
Nam grauius eſſe principi nihil poteſt.
Eóq; grauior iſta res, quòd hanc ſuam
Is eſſe culpam queritur: imprudentiam
Ac nominare cogitur factum ſuum.
Quotiéſque in illum, conſcius qui factus eſt,
Defigit oculos, Iſte vultus (cogitat)
Etiam tacendo exprobrat imprudentiam.
Noui, periclum cui crearat maximum
Res hæc apud eum principem, chariſsimus
Cui fuerat antè: ni malum præſagiens
Arcana propter credita auribus ſuis,
Fugam, ſalutis ſpem putaſſet vnicam.
Nec hiſtoria Romana nulla dat tibi
Exempla, quantum ſubſit his periculum.
SECRETA *quòd ſi pluribus quædam libet*
Aperire, princeps, tum magis circumſpice
Quantiq; ſint hæc ponderis, ſpes & tua
Sit quanta, tales hos futuros vt ſibi
Tradita recondant, & fide tacita premant;
Ac memor eorum ſis quibus commiſſa ſint:
Contingat vt ſi detegi vel omnia,
Vel partem eorum, cogites cui debeas
Hoc imputare garrulæ linguæ malum,
Quam nominare tu velis & perfidam.
Expertus iſtud, iſtud expertus loquor.
Arcana princeps auribus quædam meis
Mandarat: illa poſtea detecta ſunt.
Accerſor, atq; garrulus ſtatim vocor:

Aliúdq; nomen peius hoc huic additur.
Ego, mihi quamuis optimè ſim conſcius,
Tremore genua ſentio labantia:
(Quàm tunc Ioue eſſe procul velim atq; fulmine)
Supplex & oro, lingua ne mea innocens
Subeat nocentis rebus in magnis, locum.
Regerebat ille, Conſcius ſed tu tamen
Es ſolus à me factus. Hìc ego, Tua
Pace mihi liceat eloqui quod ſuſpicor.
Permiſit ille: tunc ego, Tu forſitan
Arcana & aliis tradidiſti hæc auribus.
Ille hoc negabat. Forſan haud ſat es memor,
Dicebam: At ille, Scilicet. quando tibi
Oliuioſus adeo compertus fui?
Tandem vocato teſte ſæpius deo
Dimittor, horrens principis graues minas.
Inſomnis illa nocte voluo plurima.
Occurrit animo protinus quidam meo,
Cui ſuſpicabar aperuiſſe principem
Eadem. Volóque ſupplices hanc gratiam
Saltem obtinere per preces à principe,
Iſtud reuocare ſtudeat in mentem ſibi,
Annon & eius auribus eadem forent
Depoſita. Muto ſed citò ſententiam.
Suſpicio nam ſi vana ſit (dico) tua,
Ipſámque princeps detegat, tunc alterum
Acquiris hoſtem. Sed quid hîc tandem deus?
Quem ſuſpicabar, poſt duos tantùm dies
Vltro memoria ſuggerit eum principi.

Vocatur ille: garrula conuincitur
Tandémque linguæ. parta ſic mihi ſalus.
Sed ſi fuiſſet res mihi cum principe
E numero eorum, qui reos ſiquos agunt,
Peragunt eoſdem, puncto eodem temporis,
Vicem nocentis ſuſtinebat innocens.
Ne te impiare fortè contingat tibi,
Vt ſe impiaſſèt, numinis niſi fauor
Tunc obſtitiſſet: ſis memor, cuius tua
Arcana dederis auribus. Sed nec velim
Ægrè vt feras hoc, ſiquis haud valde libens,
Quæ cernit eſſe ponderis grauiſſimi
Audit, & eorum malit eſſe neſcius.
Aut ille ſaltem obſecret hoc, vt cogites
Multum diúque, conſcius ſi primus eſt,
Quos ſecum eorum facere conſcios velis:
Memoriq; eos tradas vt omnes pectori.
¶ *At quanta debet principi eſſe cautio,*
Suis vt ea præſtetur arcanis fides,
Præſtanda quæ ſit: ac ſuas in literas,
Secreta ſit quibus voluntas tradita,
Nulli locus eſſe poſſit vt molimini:
Res quam referre nunc volo, ſatis docet:
Res quam relatu non neges digniſſimam,
Viris ea licet nota ſit pauciſſimis.
Implere totam Galliam tumultibus
Iam cœperat Mars (diſcrepans quos mouerat
Relligio) nobis ſceptrifer dum Carolus,
Qui nonus inter Carolos reges fuit.

Pars illa ritus quæ papales reſpuit,
Regem latere quum videt molimina
Tot atque tanta partis aduerſariæ,
Quibus odium omne regis, ira quidquid eſt,
Deriuat in eam: nobilem virum, exterum
(Cui patria noſtra Galliæ contermina)
Mittit, vt ab illo certior de ſingulis
Rex factus iram molliat dehinc ſuam.
Huic aditus ægrè Carolum ad regem datur.
Sed quum pateret, ac liceret arbitris
Regem remotis alloqui, cuncta edocet:
Probátq; pariter de quibus rex ambigit.
Tandémque verba rex ſtupens ad plurima,
Ab altera quum parte cerneret ſibi
Fucum eſſe factum, veritatis inſcium
Seſe fuiſſe prorſus hunc vſque ad diem,
Conſilia ſumpſit nuntium ad nouum noua:
Et literas his conſonas (pauciſſimos
Quarum voluerat eſſe conſcios) dedit:
Ac ferre iuſſus cuncta qui detexerat.
At ecce, lapidum quum decem vix iactibus
Ab vrbe abeſſet, ingruit laruas gerens
Caterua quædam: (magna ſaltem pars erat
Laruata, vt inquit) literas illas petit,
Necem minata, ſi moretur reddere.
Quum reddidiſſet (nanq; quî reſiſtere
Comitatus ille pauculis erat potis?
Haúdq; ſua & horum morte tanto quampiam
Opem tuliſſet ille pertinax malo)

Tradun-

Traduntur aliæ, quas ferat earum loco.
Minantur illi rurſus atrociſſima,
Si repetat aulam. cura tandem prouida
Adhibita ne quis rumor hac de re queat
Accidere regis auribus: quem feruido
Ingenio vt eſſe ſat ſupérq; nouerant,
Pœnas ſciebant expetiturum graues.

ASMA X, ſiue CARMEN X.

DE aliis miniſtris qui principi priuatim ſuam operam præſtant: quos quidam *miniſtros domeſticos*, nonnulli *aulicos*, quidam *palatinos* appellant. Nominatim de iis cubiculariis qui dicti ſunt *ſecretioris vitæ miniſtri.* De aliis item miniſtris domeſticis. De tribus quæ à miniſtris abeſſe vult Xenophon.

ORDO *ad* miniſtros *me ciet iam æteros,*
Priuata circa principem qu eis munia,
Non, vt aliorum, publica: & domeſtici
Qui nuncupantur, à quibuſdam & aulici,
Sunt qui palatinos *vocandos duxerint.*
Sed conſilia qui principi dant, non minus
Dicat palatinos aliquis & aulicos.
Quin & miniſtros tot virorum illuſtrium,
Aulas frequentant qui libenter principum,
Nominibus iſtis nominare quis queat.
Quid dico? forſan aulicorum quis velit
Eadem miniſtris omnium dare nomina.
Ergo miniſtros principis domeſticos
Vocare malim: quod meæ muſæ placet.

Locum inter illos obtinent non vltimum
Secretioris *quos vocatos diximus*
Vitæ miniſtros. *eſſe quos hos autumas?*
Hos eſſe eoſdem facta quorum mentio
Qui credit, ille (credo) longè fallitur.
Sunt illi, opinor, qui cubicularij,
Cubiculares *& vocati non minus.*
Non credo tamen illum cubiculariis
Solere titulum pariter omnibus dari,
Sed iis haberet quos velut ſibi intimos
Princeps: vocare hoc ſi licet vocabulo
Queis familiarem prabet ille ſe magis,
Quibúſq; coram plura permittit ſibi.
Delectus itidem talium non te fugit
Quam cautionem poſtulet, ſilentium
Vt imperare debeant linguis & hi.
¶ *Nec cautione non opus tibi puta*
In deligendis & miniſtris *cæteris:*
Quos nominandos iudico domeſticos,
Vt quos vocabam modò cubicularios.
In his legendis veniat in mentem tibi
Illud iocari quod ſolebat Græcia,
Animata ſeruos (nomen his δ[illegible]λων *erat)*
Vocaret inſtrumenta quum ſuos herus.
Vt nanq; ſcimus aptiora cæteris
Quædam eſſe multo (genere de quouis loquor)
Sic alius alio ſeruus eſt multo aptior:
Et ad obeunda qualibet negotia
Vnius opera promptior, vel tardior.

Idem

Idem miniſtris de tuis exiſtima,
Quos ſeruitutis non idem premit iugum.
Delectus igitur negligendus ſit nec hic,
Præſertim in illis qui tibi quotidie
Tenentur operam præſtitare ſæpius.
Tantóq; promptos deligas tibi magis
Gnauóſq; valde munus exſequi ſuum,
Eſſe patientem quo mora te ſcis minus.
De genere ſed iam muſa noſtra cogitans
Toto, tria iubet vt tibi recenſeam,
Tuis abeſſe quæ velis ab omnibus
Princeps miniſtris: ac eis potiſsimum
Miniſteria quos poſtulas eſſe ad ſua
Alacritate præditos promptiſsima.
Sed virginalis inſitus muſæ pudor
Vetat arrogare velle conſilium ſibi
Tibi quod parata me dare eſt interprete:
E Grylli habere dicit illud filio.
Negotia primùm non ſinit committere
Hominibus illis imperat Liber quibus.
Obliuioni nanq; cuncta tradere.
Eos ſecundo vult locari in ordine
Quicunq; ſomno dediti præter modum.
Nam dormientes munere haud fungi ſuo,
Nec ad ſua alios munera cohortarier.
At ſi venereas res amant qui perditè,
Eos recenſet ille tertio loco.
Suis fruiſci nanq; poſſe amoribus,
Eſt cura, ſpes eſt omnium dulciſsima.

Ac res agendi quando tempus aduenít,
Ceu pœna grauis eſt, à ſuis amoribus
Per has abeſſe quòd neceſſe tunc erít.
Quos expuliſſet ille Grylli filius
Sua familia, muſa noſtra nec tuos
Inter miniſtros allegi tutum putat.
Nec illa me vult temporis plus ponere
Sermone in iſto. nam putat te munia
Includere ſuis cuique poſſe terminis.
Sed excipi ex hoc illa vult tamen grege
Paruos miniſtros, qui ſolent reges apud
Latia vocari voce pueri regij.

ᾎΣΜΑ XI, ſiue CARMEN XI.

DE MINISTRIS illis qui *pueri regij* vocantur, quòd teneræ ſint ætatis: à Gallis *paies*; *i* conſonante: ex Græco παῖδες, eliſa litera *δ*.

ALIOS *miniſtros licèt omittam plurimos,*
Me præterire muſa paruos hos vetat,
Ætate paruos, principi charos tamen:
Quos noſtra Graio lingua dicit nomine.
Qui παῖδες *etenim nominati Græciæ,*
(Addenti & illud βασιλέως *vocabulum)*
Sermonis auida noſtra Græci Gallia
Pales *vocauit, literam vnam detrahens.*
Tales in aulis principum queis regia
Haud dignitas eſt, quis, mea ſententia,
Vocare pueros principum rectè queat.
Illuſtri habere regibus mos eſt loco

Ortos,

Ortos, frequenter, & ſient quibus patres
Proceres, vel ipſe principum quibus gradus.
(Quin & parentes vltro ſæpe regibus
Hos offerentes noſtra cernit Gallia)
At principes qui culmen illud regium
Non attigere, nobili ſaltem domo
Natos habere quoſpiam non negligunt.
Quid? an camœna noſtra quod nunc ſuggerit
Audebo pueris hiſce conqueri ſuper?
Audebo. nam ſi non & iſtud obſequar,
Fortaſſe reliquum deneget carmen mihi.
Hoc ergo queritur, talibus quòd quum locis
Cohors ſit illa nata, ſæpe principes
Dignantur illos haud ea quam debeant
Cura. putat enim (forſitan nec fallitur)
Exactiorem diſciplinam talibus
Adhibere poſſe (ſi ſatis curam gerant)
Quàm qua videmus principes quamplurimos
Suis in aulis tot ſuos dignarier.
Bene inſtitutos nanq; ſeminarium
Poſsit quis illos reddere magiſtratuum
Vel maximorum: literis quòd magna pars
Eſt tincta, in aulas antequam ſit aduena.
Sed ſæpe vidi literarum queis nihil
Linquebat aula, nec parum proteruiæ
Addebat, & quod peius eſt proteruia.
De ſeruiente regibus nunc eſt grege
Sermo (vocare ſeruientes ſi licet
Tales miniſtros: principum quum liberos

Ali-

Aliquando munus hoc obire dixerim:
Et ſcripta nobis hiſtorica teſtentur hoc,
Quoſdam quibus erat id decus natalium,
Apud Macedonas hoc eodem munere
Fungi eſſe ſolitos) id operæ qui regibus
Grex præſtat, ille ſæpe plus corrumpitur.
Sed hîc memor ego, Galliæ quo tempore
Sceptrum ſecundus geſtat Henricus mea,
Pueris fuiſſe regiis pulcherrimè
Conſultum, vt illas quas in aulam literas
Secum afferebant, prorſus haud amitterent:
Ac potius eſſent qui domos auctarium
Suas referrent aliquod, quum dicerent
Vale ſuæ aulæ. nanque literarius
Magiſter illis ſemper haud erat minus,
Equeſtris artis quàm magiſter. hanc eos
Carnaualetus edocebât, literas
Auratus. hoc ſi principes cuncti modò
Pueris mereri de ſuis velint bene,
(Nam nominare pergo ſic, cum Liuio)
O quàm beatos hoſce poſsint reddere,
O quàm beatas reddere horum patriás,
Reduces ab aulis quum videbunt principum.
At nunc, remigrant in ſuas quum patrias,
Pro literis quas extulerunt hinc, ferunt
Obliuionem literarum: moribus
Ac pro modeſtis, plurimum proteruiæ,
Petulantiá que, plurimum laſciuiæ:
Licet iuuentæ magna pars iam ceſſerit.

Hæc

Hæc ſunt, miniſtris muſa quæ de talibus
Queri imperauit, nomine haud tantùm ſuo,
Verbis ſed etiam (pauca ſi demas) ſuis.
Et quum rogarem tantus vndénam foret
Amor iſte natus, vnde tantus hic fauor:
Reſpondit illa, Perſei poſtquam mihi
Audita clades, illa clades vltima,
Atque puerorum regiorum maxima
Audita pariter eſt fides, haud deſtiti
Propenſa in illos eſſe vel medullitus.
Grex nanque ſolus proſequutus hic fugam
Illius, amicis iam relicti ab omnibus.
Vel iſta certè res, mea ſententia,
Digna extitare quemlibet ſit principem
Magis ad amandum quàm prius tenellulum
Gregem hunc, ſimúlque proſequendum quàm prius
Impenſiore cura. ab his quòd ſpes ſiet
Fidelitatis plus futurum in principem,
Quo liberalior erit educatio.

ASMA XII, ſiue CARMEN XII.

DE *ſatellitibus* principis: qui & *cuſtodes*, ſiue *cuſtodes corporis*: (quod Græco vocabulo reſpondet) & aliis nominibus appellantur. An ex ipſa patria ſumere oporteat, an exteros eſſe ſit ſatius. De Germanis ſatellitibus, ſub quibus & Heluetij comprehendi poſſunt.

SERMONIS *huius poſcis an coronidem*
Hos eſſe pueros? plura me vis de tuis

Loqui miniſtris,quos domeſticos voco?
Sermonis huius hîc videbatur mihi
Ponenda meta:(nam nimis longum foret
Reliquos miniſtros perſequi domeſticos)
Sed dum tenellus mente grex hic voluitur,
Paruóſq; in ipſo fingit hæc ſatellites,
Turbæ recordor illius ſatellítum
Quæ dicta Latiis corporis cuſtos *quoq;*
(Somatophylakas vt nominauit Græcia)
Et corporís *item dicta* ſtipatríx *fuit.*
Ac qui ſatelles *&* ſtipator *dictus eſt,*
Et ſpículator *ſolitus eſt vocarier.*
Hac nil egentes principes cuſtodia,
Hos ter quatérque quis beatos dixerit.
Sed tanta queis non contigit beatitas,
(Nam nec beatus nominatur qui pater,
Patérq; ſanctus: quem coronæ tres grauant,
Tripléxque rex eſt,qui deus terreſtris eſt:
Securus vnquam eſt,ni videt ſatellites)
Patrios habere debeant an milites,
Extraneóſne,lis adhuc ſub iudice.
Nec certa ſtatui poſsit vlla regula,
Iſta ſuper re,noſtra mens ni fallitur.
Natura ſed quum gentium diuerſa ſit
Quæ ſubdidere colla principum iugo,
Vbique habere non idem queat locum.
His adde,princeps,quòd prout ſpem quampiã
Concipere amore de ſuæ gentis poteſt,
Sui videtur corporis cuſtodiam

Ho-

Hominibus huius poſſe gentis fidere:
At nullus vlli quum ſpei tali locus,
Qui fidit illi, ſtultus is dicendus eſt.
Non miror Italos ergo multos principes,
Extraneos, non patrios, ſatellites
Semper adhibere corporis cuſtodiæ.
At miror equidem, factitaſſe Galliæ
Reges idem iſtud, non ligaria eſt modò
Ex quo timeri cœpta conſpiratio:
(Nam timuit aliquam plurimis annis prius
Hæc quàm coorta, Galliæ pars maxima)
Sed tum quoq; omni quum ſoleret Gallia
Reges amore proſequi, quem quis queat
Illi exhibere cuius eſt è ſemine.
Quæcunq; facto cauſa nos ſub hoc latet,
Helueticam amaſſe ſcimus hos cuſtodiam,
Seruare tanquam ſemper hæc ſciret fidem.
Fidelitatis magna ſic laus obtigit
Olim cohorti cuipiam Germanicæ:
Cui Galba & aliquot ante Galbam cæſares
Sui dederunt corporis cuſtodiam.
Heluetica noſtro natio ſed ſeculo,
(Qua terminatur vna pars Germaniæ,
Cui ſermo magna iunctus eſt vicinia)
Eſt credita dare principum cuſtodiæ
Qui iudicentur omnium fidiſſimi
Extraneorum, & inter ipſos Auſonas:
Qua gente gens eſt nulla diffidentior:
Illud Epicharmi nulla quæ ſic mordicus

Verbum retineat. Gallici at quidam tamen
Scotum ſatellitem addidere Heluetio
Reges. haberet ac licet ſatellitem
Vtrunque noſter ille rex, neci datus
Nuper, placuerat Gallicam cuſtodiam
Adiicere. Quidam ſic videntur cæſares,
Quos euocatos *nominabant, exteris*
Miſcere ſoliti corporis cuſtodibus.
Et forſan aliquis iure, ſit quò tutior,
Velit ſibi itidem duplicem cuſtodiam:
Niſi fortè malit & cohortes non minus
Eſſe inter ipſas mixtionem quampiam.
Verùm è latebris erui an nequit ſuis
Cauſa illa? cauſa regibus quæ Galliæ
Fuit, aduocandi milites extraneos?
(Nam comprehendit iſta vox ſatellites)
Non impuliſſe credo diffidentiam
Reges ad iſtud, ſed foret quò fœderis
Teſtis & amoris hæc eis fiducia
Quos euocabant. vel magis quòd ſplendida
Res iſta viſa, poſſe pro cuſtodia
Habere fida principem quos terra det
Externa pariter atq; longè diſſita.
Tanquam inde poſſit, (impetũ quum Mars facit)
Agmen vocare non minus vel maximum.
Quæcunque facto cauſa nos ſub hoc latet,
(Si fortè nondum ſit latebris eruta)
Vtinam imperare potius ipſe ſic queas
Princeps (camœna quem docere vult mea

Artem

Artem imperandi) talia vt cures nihil,
Et tutum amicis te putes cuſtodibus.

ASMA XIII, ſiue CARMEN XIII.
VEL
Epimetron ſeu Auctarium ad
CARMEN XIII.

DANDOS eſſe aulæ quoque ſuos cuſtodes: id eſt, ſuos quoſdã Argos, ad arcẽdos eius aditu eos ſaltẽ qui quopiam vitę genere ſunt famoſi.

MONITA *ſed inter iſta de cuſtodibus,*
Occurrit vnum, quod tibi videbitur
Fortaſſe mirum. quin futurum ſit nouum,
Haud ambigendum cenſeo. Non ſat putat,
Tibi ſe dediſſe iam tuam cuſtodiam,
Camœna noſtra: vult tuæ cuſtodiam
Aulæ dari etiam: præfici à te poſtulat
Argos ſuos huic, vt pedem non inferant
Qui genere vitæ quopiam notabiles,
Fama premuntur aut mala qui quapiam.
Aula procul eſſe Balliones *vult tua,*
Procul Gnathones, Phormiones *& procul,*
Procul hinc & artem quotquot illam factitant
Quam factitabat nomen inde cui datum
Catena, *mirè quòd peritus artifex*
Calumniarum complicandarum foret.
Quid? an Thraſones *pariter à tua velim*
Aula faceſſant? immo ſi faceſſeret
Cunctis ab aulis iſta natio quoque,

Proh ſolitudo quanta tunc ſuccederet,
Quanta (fateri ſi licet) frequentiæ!
Magnæ huic cohorti, quam voco Thraſonicam,
Plerunque duplex vanitas eſt inſita.
Haud nanque ſolum vana ſunt his pectora,
Vaniloqua lingua pectori vano comes.
Nec iactat illa res ſuas tantummodo,
Iactat ſuorum ſæpe res & principum:
Sonitúque tanto ſæpe verborum cohors
Replet ea terras, maria replet impudens,
Vt parturiſſe quiſq; montes dictitet,
Natum eſſe murem. ſícque principes ſuos
Audet cachinnis plurimis exponere.
Horum irrogetur deprehenſo cuipiam
Si pœna, lingua quapiam ventoſa mox
Aulam reuiſat AEoli, linquat tuam.

ASMA XIIII, ſiue CARMEN XIIII.

QVAM ob cauſam ad iudices tranſire muſa velit: quũ alioqui inexſpectatus hic tranſitus eſſe poſsit, & rationi nõ ſatis cõſentaneus videri.

CAMOENA *noſtra forſitan videbitur*
Haud eſſe certa nunc ſatis via ſua:
Errantia aliquis dicet hanc veſtigia
Cœpiſſe varios ferre nunc per tramites:
Et maximè quum cernet hanc hoc ingredi
Iter ad dicaſtas *Graia lingua quos vocat,*
Latina dicit iudices. *Quis tranſitus*

Eſt iſte (dicet) regis à cuſtodibus
Aut etiam alius principis (quicunque ſit
Opus ſui cui corporis cuſtodia)
Vllum ad tribunal? vlla num communio
Tam rebus eſſe diſcrepantibus poteſt?
Haud eſſe dico: ſed tu me audias peto.
Quum regi amici, quúmque conſiliarij
(Primas tenentes inter hos) dati forent,
Factus fuiſſet ſi camœnæ tranſitus
Eorum ad aliquos publica quibus munia:
Dixiſſet aliquis, Interim rex hic tuus
Quídnã quid aliud vis agat quàm contremat,
Quum latera nulla muniat cuſtodia?
Ne poſſit iſtud obiici, ſatellites
Prius eligendos nemo non fatebitur,
Quibus ille cinctus, quò velit ferat pedem.
Sed aliud ecce, quod mihi patrocinans
Afferre poſſit aliquis: Haud abrumpitur
Sermonis huius (ſicuti vos creditis)
Series, ad illos qui vocantur iudices
Quum tranſilitur. nanque ceu ſatellites
Regis vel alius principis cuſtodiunt
Corpus, tributi legibus ſic iudices,
Cuſtodum vt eſſent & ſatellitum loco.
Nam ſicut enſis hoſtium repulſor eſt
Et ingruentis impetus cuiuslibet,
Atque imminentis non minus fugator eſt:
Fortem requirit hic ſed enſis dexteram,
Quæ ſtringat illum: (nec ſatis ſit ſtringere,

Strictum & coruſcet) magna ſic potentia
Legum eſt: habere ſed volunt ſecum tamen
Autoritate qui ſua ius fulciant,
Datum quod ipſis principi debetur hac,
Sed in alios hanc, quos magiſtratus vocat,
Transferre ſolet: in iudices & maximé.

ASMA XV, ſiue CARMEN XV.

DE iudicibus, quibus titulis inſigniri poſsint. In iudicum mētione ſemper recordandum eſſe iuſtitiæ. De Aſtræa poetica, quæ à quibuſdam eadem cum Iuſtitia eſſe dicta eſt; ab aliis, eius mater. Iuſtitiæ aliæ laudes.

CVSTODIA *ergo legibus ſit vt ſua,*
Præſidium vt illis ſit ſuum, tu iudices
Deligito princeps. iudices nam maximè
(Qui ſint fideles exſequi munus ſuum)
Legum *vocari poſſe* cuſtodes *reor,*
Legum *vocari poſſe* tutores *quoque:*
Et addere auſim forſitan ſatellites,
Virtutis olim ceu quis eſſe dictus eſt
Cuſtos, ſatelles rigidus & vocatus eſt.
Mentem iſte ſubeat nec magiſtratus tuam,
(Iuriſperita nam mihi ſubtilitas
Nunc valeat illa, iudices quæ ſeparat
Viris ab illis quos magiſtratus vocat)
Quin pariter illi iuſtitia ſeſe offerat:
Aſtræa ſiue hæc, eius eſt ſeu filia.
Nanque illa profugum fertur è terris pedem

Tunc extuliſſe (cælitum ſed vltima)
Intrans parentis in ſua quum viſcera
Deterior ætas, hinc ferrum quoq; eruit.
Hominum peroſa eſt illa tum mores feros,
Nouáque ſemper cæde pollutas manus.
Niſi fortè earum poſt miſertam, credimus
Miſiſſe natam: vel reuerſa eſt ipſamet,
Verùm haud eodem dicta tunc eſt nomine.
Quocunq; ſed res habeat iſta ſe modo,
(Nam linquere libet vatibus lites ſuas)
Iuſtitia decus eſt principatus maximum,
Eſt quiſquis ille: nec minus firmamen eſt.
Ac regna digna ne putes hoc nomine,
Sed nominanda credito tyrannides,
Latrocinia vel magna (ſicut dicere
Eſt auſus aliquis) iuſtitia ſi non adeſt.
Huic iuncta pietas ſi ſiet, tum principes
Solere diuos fieri, qui Cæſarum
Fuit ſecundus, ore dixit aureo.
Vnde inſtitutus ille primis ſeculis
Reges creandi mos fuit? quòd omnibus
Eſſet cupido perfrui tanto bono
Quod iuſtitia vocatur. ac ne falleret
Spes iſta, cura tum fuit quammaxima,
Morati vt eſſent optimè quibus forent
Sceptrum daturi. Quanta virtus iſta ſit,
Quanti æſtimanda tibi, vel hinc ſatis patet,
Quòd alia virtus qualibet exigi ſolet
Ad regulam huius. en tibi clementia

(Quæ magna virtus ſemper eſt in principe)
Si fortè iuſto maior eſt, laudem ſuam
Amittit omnem. Liberalis dextera
Deprædicatur omnibus: ſed ſi tamen
Iuſto vocetur liberalior aliquis,
Laus quod fuiſſet, eſſe laus tum deſinit.
Elatus animus eſt ſophis laudabilis:
Iuſto ſed animus quiſquis eſt elatior,
Dedecore potius eſſe dignus dicitur.
Ac dos vt iſta maxima eſt mortalibus,
Dos eſt eiſdem pariter hæc rariſſima.
Viris Athenæ floruere plurimis,
Vrbéſq; multæ floruerunt Helladis,
Quos magna probitas reddidit clariſſimos:
Virtutis huius titulus at teſtis tamen
Vni eſt tributus: (ſi modò ſum ſat memor)
Hæréſne princeps? hunc Ariſtidis nequis
Tibi comparare titulum? at hoc ſaltem ſtude,
Ne detur ille qui repugnat prorſus huic:
Et ſicut ille iuſtus audiit, tibi
Contingat vt te populus iniuſtum vocet.
Quid? nónne multũ creſcit hinc huius decus
Virtutis, vna quòd ſibi cognominem
Habere diuam venditare ſe poteſt
Eam, memorata quæ fuit nobis prius?
Sed addo & iſtud, (decorat ipſam quod magis)
Deam quoq; illam, nominata quæ fuit
Nemeſis, & Adraſtea dicta non minus,
Illius eſſe creditam prolem deæ.

Sed

Sed claudere libet hoc camœnæ verſibus
Carmen, ea clauſit ipſa quo quoddam ſuum.
Quot pectus ornas in dies virtutibus,
Vni coronæ tot coronas adiicis.
Ornare cunctis ſi tuum pectus nequis,
Natura ſaltem facilis eſt ad quas tua,
Ad quas videtur ductilis. luctamine
Conare quouis compares vt has tibi.
Sed ſi (quod abſit) cæteræ deſint tibi,
Iuſtitia ſaltem ne tibi deſit vide.
Hæc vna ſedem figat in te ſi ſemel,
Nemo tyranni nomen impinget tibi.
An breuior autem principi ferens ad hanc
Vlla indicari poſſit à quoquam via,
Illa ſacratis indicata literis,
Tamen à profano prædicata principe?
Illa hiſce paucis continetur vocibus,
QVOD NON TIBI VELIS, ALTE-
RI NE FECERIS.

ASMA XVI, ſiue CARMEN XVI.

DE habēdo delectu eorum qui iudicum munere fungentur. De iis quæ præcipuè in eorum moribus & natura requiruntur.

SED *unde (dices) hæc mihi felicitas,*
Vt ad tribunal ſatis idoneos viros
Nanciſcar vllos, hac quibus ſit præditum
Virtute pectus? Principi felicitas
Eſt iſta rara: maior at, quo rarior.

In deligendis quam tibi conſiliariis
Viam tenendam iudicaſti, ſuadeo
Et hîc tenere. nam grege ex eo queas
Accire in iſtum, quum premet penuria.
Aliquas tacere nec tamen velim notas,
Magni aſtimandos quos viros inſignient,
Vt eſſe noris, & ſat aptos muneri
Cui quæris aptos. Integros vita velim,
(Humana quantum patitur hoc infirmitas)
Seuerior eis ipſa quàm clementior
Natura volo ſit. Atque ſedatos magis
Labora habere quàm celeres quos nomines,
Autore Flacco. (celerior quo quiſpiam,
Eo magis laborat impatientia.)
Et, ira, ne ſint, quos, velut torrens, rapit.
Ne creduli ſint, nil ſit his ſuperbiæ.
Ne ſint auari, prima (noui) cautio:
Verùm illa vitæ poſtulata integritas
Excludere iſtam credita eſt luem mihi.
Excludit ipſam forſan & ſuperbiam.
Sed taceo iuris cur tibi peritiam?
Vel me tacente, ſcis in hoc magnam expeti.
Sed ſi mediocris illa ſit tantummodo,
At ſaltem acumen habeat: vt ſubtilibus
Fucúmq; facere rabulis conantibus
Reſiſtat acris, óſque claudat impudens.
Exercitatus ac ſit in ciuilibus
(De conſiliariis monebam ceu prius)
Negotiis: ſit cura non hac vltima.

¶ *Sed*

¶ SED nec ea, princeps, denegare nũc velim
Conſilia muſæ quæ vocanda ſunt mea:
Quæ non quereris eſſe noſtris diſſona:
Diſcipulus eſſe ceu magiſtro non ſolet
Suæ aut magiſtræ multa circa diſcrepans.
Illius autem quum mihi nunc ſuggerat
Memoria voces, vtar eius vocibus.

Cura probitatis ſit tibi primaria.
Excuſat iſta ſæpe & imperitiam.
At improborum ſæpe te culpæ prement.
Præſtanda populus illa cenſebit tibi
Quæ peccat ille cui magiſtratus fuit
Mandatus à te: ſique (ſic licet loqui
(Caueto princeps) nomine is peccat tuo.

Vnum eſt, requiras quod velim potiſſimum
Viris in illis quos voles ius reddere.
Ingenia vt illis eſſe placida noueris,
Atque patienter audiendis omnibus
Eſſe ſatis apta. nam quibus contraria
Natura fuerit (quod tamen ſæpe euenit)
Vix poſſe credo ponderare ſingula
Quæ ponderare iudices vult æquitas,
Iuris licet eis deſit haud ſcientia.

Eſt qui celer ſit (Gallica ſubitum ſolet
Vocare lingua hunc) atque qui ſit feruidus.
Haud aptus ille, ſi mihi uis credere.
Iam capere mentem ſe putat loquentium,
Ad prima verba: nec ſinit vel muſſitent:
Sua tamen illis iura quæ dictauerint

Audi-

Auditur eius illico ſententia,
Vocanda præcox: ne quid hîc peius loquar.

ASMA XVII, ſiue CARMEN XVII.

DE SEVERI cæſaris (Mammææ filij) ſententia ſuper delectu quorundã magiſtratuum, cui & in deligendis iudicibus locum eſſe dandum exiſtimo. Sed aliquid tamen in illa non probandum videtur.

ELECTIONE ſed ſuper, princeps, tua
Morem & Seueri volo tibi proponere,
Mammæa mater cui fuiſſe dicitur.
Quos is quibuſdam muniis decreuerat
Præficere, eorum publicabat nomina:
Hortator & erat omnibus, ſi criminis
Subeſſe noſſent aliquid, vt ſilentio
Haud tegere vellent. quúmq; Iudæis foret
Et Chriſtianis iſte mos, quando ſuos
Creare ſacrificos volebant: non item
Id fieri in eis, dictitabat rem grauem.
Annon Seueri tu probas ſententiam?
Eius probo tamen hactenus ſententiam:
Probare totam non queam. nec tu (puto)
Aſſentieris omnibus quæ continet.
Adiungit etenim. criminis vbi mentio,
Ille manifeſtis vt probaret rebus id:
(Scriptoris ipſa nanque verba profero)
Si non probaſſet, capitis vt reus foret.
Hor tamen iſtud eſſe quale dixeris?

Con-

Conditio (dicam) quemlibet deterreat
Magis iſta multo. Crimen auditum mihi
Deferre ſalua conſcientia queo:
Loci ſed eſſe non ego poſſum memor,
Memórque non ſum temporis, quo talia
Audita mihi ſunt. maius & iſtis quod eſt,
Memor eius haud ſum cuius ex ore audij.
(Nanque iſta ſæpe cernimus contingere,
Quando quis audit quæ notanda non putat)
Tantum indicanti cur erit periculum?
Vlla haud ſimultas inter hunc & me fuit,
Affecit haud me vel meos iniuria:
Solúmque notus eſt mihi de nomine:
Spectatur à me publicum tantùm bonum:
Cur crimen ergo credar id confingere?
At ecce, capitis vis tamen pœnam luam
Si non probare crimen id poſſim tibi.
Tacebo potius, quàm periclo me offeram:
Tacebo potius, criminum vel ſi audiam
Sentina opertum: ſi tot & tanta audiam
Mare abluendis vt quis his exhauriat.
Tacebo potius: ſit furor quid eloqui.
Sed dicta dictis hæc quis opponet meis:
Impunè tanta fuerit huic infamia
Inuſta per te? ſi ſimultas haud tibi
Eſt vlla, & vllo non fuit ſi tempore,
At non ab alio forſan abſit. interim
Rumoris eſſe dicet id quod finxerit.
Sed eſto: nec ſimultas vlla ſit, nihil

A te

A te indicetur, auribus quod inditum
Non ſit: ſed illud ſit tamen calumnia:
(A qua cicatrix, vt ferunt, relinquitur)
Infamiæ ille ſuſtinebit hoc onus
Impunè? quiſque criminis veriſſimi
Factam eſſe dicet gratiam, nulla indicem
Quòd ſit ſequuta pœna. quis non hoc videt?
Hæc ergo, princeps, noſtra ſit ſententia,
Illam Seueri corrigens ſententiam:
Vt ſiqua famam talium turpantia
Audiuit aliquis, principi tantùm indicet,
Illíve, princeps indicari cui velit.

ASMA XVIII, ſiue CARMEN XVIII.

DE iiſdem de quibus in præcedente aſmate, ſiue carmine. Nonnulla etiam quæ ſunt propemodum eadem (ſed aliis verbis) ex ore muſæ, illa confirmantis.

INTERROGATA *muſa quum mihi foret,*
Annon & ipſa calculum ſententiæ
Mea libenter adderet, Tuam vocas
(Statim illa dixit) eſt vocanda quæ mea?
Et ſermo totus ille (dixit) eſt meus.
Ornare ſic te non pudet pennis meis?
Haud ad ſe iambi tranſtulerunt & mea
Vocabula tui: mens tuis vocabulis
Subeſt ſed eadem. quid? meos oblitus es
Legiſſe tibi me, ruſticabar quo die
Tecum? Memoriam refricare talia

Cœpe-

Cæpere verba: parcat vt mihi rogo.
Parcit libenter, illos & tradit mihi
Suos iambos, quos mihi tum legerat:
Hóſque inuidere principi vetat meo.
His ergo princeps præbeas aurem velim.
Fama tibi fuerit conſulenda publica
Viris ſuper eis, publicis quos muniis
Tu iudicabis eſſe dignos præfici,
Aut iudicabunt notiores queis erunt.
Velímque ſis hîc moris antiqui memor,
Vſum Seuerum dictitant quo cæſarem. Lāpr. in Alex. Seuero.
Prouinciis quos ille rectores dare
Volebat (alios nam magiſtratus libet
Tacere) populo nominabat: & ſimul
Hortator erat, vt quiſque, ſiquid criminis
Audiſſet in eum, vellet id proponere.
Atque inquiebat, iſtud, eſſe rem grauem,
Quos Chriſtianus in ſacerdotes legit,
Iudæus aut quos, nolle prius admittere,
Quàm nomina populo indicarit publicè:
Non facere Romanos idipſum in omnibus
Prouinciarum regimen in quos conferunt:
Committere illis quum tamen neceſſe ſit Idem ibidē.
Simúlq; fortunas, ſimúlque ipſa capita
Hominum, poteſtas quotquot illorum regit.
Sermonis huius eſt futura clauſula,
Huius Seueri cæſaris laudatio,
A quo profecta multa ſunt, prudentiam
Haud nomini tanto imparem teſtantia:

h

Sed & profectus ritus eſt hic optimus,
Imitandus & qui principi ſit cuilibet.
Conditio ab illo ſed fuit quædam addita,
Laudator eſſe cuius haud item queam:
Nam qui referret crimen auditum ſibi,
Sed non probaret, capitis hunc obnoxium
Pœnæ volebat eſſe. Quis probet tamen
Quæcunq; in aures indidit rumor ſuas?
Permulta paſsim rumor incerto vagus
Autore iactat, quæ referre qui velit,
Vera vt loquatur, haud probauerit tamen.
Sed nec viciſsim fama quod loquuta ſit,
Dum ſit an habendum quæritur dignum fide,
(Mendacior enim fama quàm veracior:
Aſcræus illam laudat & nimis ſenex)
Velim licere proloqui coram omnibus.
Præbet nimis ei dum quis aurem credulam,
Nam falſa poſsit fama famam lædere
Hominis, amabit ipſa quam vel ſanctitas:
Calumniámque detegat tempus licet,
Ab hac cicatrix quæpiam relinquitur.
Quum fiet ergo talis inquiſitio,
Velim eſſe cautum nequis auſit publicè
Loqui obloquente ſiquid ex fama audiit
(Interrogetur ille publicè licet)
Solius auri tradat id ſed principis,
Aurive quæ ſit illius vicaria,
Iurétq; nulli traditurum poſtea.
Sic conſuletur integri famæ viri,
Tacere

Tacere quidquam nec tamen coget timor.
Subſcribo certè perlibens muſa mea.
Nam (fateor) eius cautio accuratior.

ASMA XIX, ſiue CARMEN XIX.

PRINCIPES hortatur muſa vt tribunal non dedignentur, ſed in eo & ipſi ius aliquádo redadant: exemplo multorum cæſarum Romanorũ, & regũ Græciæ. Magnam corruptelæ forenſis parté poſſe illorum præſentia tolli dicit.

EA LEX *Seueri quæ ſeuera lex nimis,*
(Eſt ſi voluntas principis, legis loco.)
Examini dum tam ſeuero traditur,
Examiniq́ duplici, muſæ, & meo:
E mente ferme iam fugauerat mihi,
Quod te monere mea camœna iuſſerat:
Ornare velles vt tua præſentia
Illud tribunal vnde ius cunctis datur.
Sed ipſa noſtræ verba Muſæ proferam.
Auguſtius nil, dignitate principis
Nil eſſe poſſe credito dignum magis,
Quàm ſolio honores & tribunal ſi tuo
Quandoq;: ſola ſeu velis præſentia
Autoritatis addat huic quamplurimum,
Siue (vnde multo creſcere hac poſſit magis)
Et munus ipſe iudicis fungi velis.
Nempe & bonorum principum veſtigia
In hoc ſequeris, vrbs dedit quos Romuli.
Sed iudicia caueto ſic exerceas,

Vt opera poſſit iſta perfunctoria
Credi. eius eſſe qualem iure dixeris
Suet. *Qui ſolitus illic fertur obdormiſcere.*
Is Claudius erat cæſar. id factum tamen
Iudicibus eſſe cum quibuſdam diceret
Commune: at ecce, Claudio quod proprium.
Suet. *Nidore nam quum hic eſſet ictus prandij,*
Salij ſtruendum quod ſibi curauerant
In æde Martis proxima: ſe contulit
(Linquens tribunal) illud ad conuiuium.
Auguſtus ille, principum quem principem
Dixere quidam, cenſor illi ſi foret
Datus, eſſe dignum turpi diceret nota.
Támq; iſte contrà diligens, tam ſedulus,
Hoc iudicandi fungitur dum munere,
Vel ipſa vt inde vix eum nox abſtrahat.
Hunc æmulatus (ceu reor) præ cæteris
Et laude in iſta, qui ſequente ſeculo
Traianus vrbem tam beatam reddidit.
Quid ille cæſar tertius, quo tempore
Præſtare voluit principem? nihil magis
Seſe eſſe dignum, credidiſſe dixeris.
Suetonij verba. *Seſe offerebat ille conſiliarium,*
Cognoſcerent quando magiſtratus: & hoc,
In eo, tribunal qui vocabatur, loco.
Et aſſidebat ille mixtus cæteris
Suet. verba. *Quandoq;. rumor ſiquis euolauerat,*
Aliquem reorum gratia elabi, illico
Aderat: & ipſos admonens tunc iudices,

Leges

Leges quid ab eis poſcerent, perpendere
Illos iubebat, relligio quid poſceret:
Et cogitare, noxa qualis eſſet hac.
Falluntur ergo plurimum qui principes
Solio tribunal haud dignum putant ſuo.
Cur erubeſcat vllus hîc ius dicere,
Si quilibet rex eſt magiſtratus quoq;
Summus vocatus à quibuſdam: & gentibus
Dictus viciſſim ſi quibuſdam rex fuit,
Summus apud illas qui magiſtratus foret?
Quid plura? nónne vates Aſcra quem tulit,
Morum magiſter, cenſor & morum bonus,
Reges vocauit qui vocantur iudices?
Audire at auris obloquentes vndiq;
Videtur iſta principes quamplurimos.
Diſparia ſecla noſtra quàm ſint, non vides?
Non tanta turba litium turbauerat
Priſca illa ſecla. nullus aut rarus fuit
Qui iurgia fori rabida vendens improbus,
Iras locaret atque verba: qui dolos
In euidens ius necteret ſemper nouos.
Quid (quæſo) princeps hîc agat? quî nam queat
Tot audiendis eſſe par clamoribus?
Diiudicandis eſſe par tot iurgiis?
Atque tolerare veritati quæ palam
Reſiſtere audet rabulæ vox impudens?
At iſtud in vos, principes, retorqueo
Malum, vel iſta potius hîc quæ tot mala.

Occaſio malis eſt tot his abſentia
Veſtra. & mederi poßit hus præſentia,
Saltémq; ſenſim. nam mederi quî malis
Statim illa poßit immoratis tam diu?
Vbique multum veſtra maieſtas poteſt,
(Alij docere quod reſeruo tempori)
Apud tribunal ſed valet potißimum.
Neq; tamen, obſtat ſiquid huic præſentiæ.
Peſtes tribunal interim tot profligent.
Oſtendite eſſe pariter & vobis manus
Longas, fuere Perſicis ceu regibus.
Hic præparetur atque purgetur locus,
In tempus illud, otium quo ſuppetet
Inuiſere ipſum: veſtra ſeu negotia
Breui hoc datura, ſiue poſt longam moram.
Quid? an alicuius ditio quempiam locum
Si fortè haberet, quem futurum crederet
Oculis amœnum, poſſet ac ubi ſuam
Locare ſedem, ſordibus ſi plurimis
Purgatus eſſet: nónne vellet protinus
Abſentiæ iſtud tempore ſuæ fieri,
Augiæ vt eſſet ſordibus qualis labor?
Perpetua nolo ſit tamen hæc abſentia,
Quæcunq; vos hinc abſtrahant negotia.
Ne Phœbus vnquam finiat curſum ſuum,
Sua ſigna luſtrans, quin tribunal octies
Deciéſve viſos glorietur vos ſibi.
Longæ videre quid manus profecerint
Vobis licebit. Veſtra ſed tum maximè

Velim

Velim tribunal ornet vt præſentia,
Quum cauſa agetur maximi quæ ponderis.

ASMA XX, ſiue CARMEN. XX.

DE principibus aliis ius dicere pro tribunali ſolitis: & de quibuſdam ibi obdormiſcentibus. Idem verò & à pedaneis iudicibus interdum fieri, magno partis alterius malo. De quadam muſæ aduerſus hanc dormitionem cautione.

TIBI recitator infidelis haud fui
Mihi à camœna traditorum verſuum:
Vocem haud omiſi: potuit attamen addere
Exempla prompta vel ſacris ex literis,.
Aut aliqua certè Græciæ notiſſima,
Amantium ius reddere ſuis principum.
Pater ille magnus filij termaximi
Philippus annon iudicis partes libens
Egiſſe fertur? teſtis eſt anicula
Antè memorata: tu Machæta non minus.
Nanque celebratur dictum ab omnibus tuum,
Quòd rege ab illo prouocare dixeris
Eundem ad illum: quum ſua ſententia
Damnaſſet is te, iura dum forte ad tua
Dormitat. O quot iudices pedanei
Regis Philippi cæſariſque Claudij
Se venditare ſæpe poſſint æmulos
Indormiendi iuribus forenſibus?
Notata res hæc vnde ſit mihi rogas?
Fuit adeundum iudicis pedanei

(Maior erat immo iudice is pedaneo)
Tribunal ecce, iura patronus mea
Proponere oculis iudicis cupit mei,
Sed mentis oculis: aſt eidem iudici
Ipſius oculos corporis ſopor ſubit,
Artus & ipſos. excitatur, & licet
Se ſemiſomnum norit eſſe tunc quoq;,
Proſternit ille me ſua ſententia.
Clamo vt Machatas: ſed tamen non, Prouoco,
Vt ille, dico: Somnium (dico) tuum
Leuiſsimam rem vis rei grauiſsimæ
Habere pondus? iudicis ſententiam
Eſſe decet omnem ponderis quammaximi:
Tibi ſomniata dico quæ loquutus es.
Sed vt imitatus fuerat ille maximum
In dormiendo principem, factum tamen
Eius imitari noluit: ſed ne locus
Foret querendi de ſua ſententia,
Compoſuit illam commodo litem meo.

¶ *Sed opera nónne meritò perfunctoria*
Horum vocetur iudicum qui iuribus
Indormiunt ſic, legibus quiq; omnibus,
Et, ſomniarunt iura quæ dum dormiunt,
Solennium audent in locum ſupponere?
Miſer ille cauſa cadere quem ſic contigit,
Nónne iſta clamet? docuerat prouerbium,
Iura vigilanti ſubuenire, non ei
Dormire qui vult: nemo me vigilacior
Eſſe potuiſſet: vigilias at tot meas

Hen

Heu perdit vnus iudicis ſomnus mei.
De iure, tanquam non ſibi ſeruet fidem,
Iure hac queretur vigilias cui poſt ſuas
Ius denegarit ille iudex dormiens.
Dormitione ſed camœna quæ mihi
Iocata ſuper hac, carmini ponant modum.
Iuſtitia vult ſint, iudices dum dormiunt:
Sed iuſtitiā fortaſſe dormitoria
Omni libenter det tribunal principi:
Negante & illo cur ſibi non ſumpſerit?
At ipſe honorem quos ad iſtum prouehit,
Hoc arrogare cur ſibi permiſerit?
Ergo hoc oportet impetrent à principe:
Concedat an non, ipſe cautè viderit.

ASMA XXI, ſiue CARMEN XXI.

PRINCIPEM ſuis debere oſtendere, ſe à litigioſis ingeniis abhorrere. Mulctãdos etiam eſſe qui temerè litigant. Dandam quoq; eſſe operã vt lites breuiori tẽporis ſpatio finiantur.

MANDATA *muſa dedit & hoc inter ſua,*
Monere noſtrũ principẽ, vt, quantũ poteſt,
Amare lites haud ſinat ciues ſuos.
Vt litigioſa diſplicere plurimum
Ingenia ſibi, celare non eos velit.
Amare contra qui libenter arbitri,
Si fortè fuerit orta controuerſia,
Committere illam ſolitus eſt ſententiæ.
Nam ſæpe amoris vincla lites ſoluere:

Et liberales queis prius mores erant,
Illiberales ſæpe mores his dare:
(Præſertim earum magna ſi frequentia)
Pectúſq; vix iam candidum relinquere,
Quod ante fuerat: atque reddere inſuper
Contentioſos rebus & de paruulis.
Quin & auaros eſſe quos hæ fecerint.
Nummos in illas ſæpe quem profundere,
Quos collocaſſet potius in res ſplendidas.
Hoc addidit, eos aliqua mulcta plecteret
Ad litigandum quos malitia impelleret:
Iudéxque poſſet ipſe quos conuincere
In numero habendos temere litigantium.
¶ *Anguſtiores litibus te terminos*
Dare, admonendum cenſuit ea non minus.
Sed hoc & alia tradet hæc verbis ſuis.
Odiſſe lites vſque te præ te feras,
Ideóque cunctos litibus qui gaudeant.
Voto & Catonis conſonum tuum fore,
Sint murice vt ſtrata fora litigantium.
Vitare ſed quum non queas iſtud malum
(Humana nam quis ingenia refinxerit?)
Minuere ſaltem velle te pro viribus.
Odiſſe lites ergo ceu præ te feres,
Odiſſe & omnes litibus qui gaudeant:
Odiſſe quoque, præ te fer, & multo magis,
Quos addere iuuat huic mâlo malum alterũ,
Saltémq; per quos illud ars malum aggrauat,
Natura quod dat. q̃d loquor? qui vim inferũt
Natu-

Naturæ & ipſi litium, dum non ſinunt
Suam tenere, quæ breuis foret, viam:
Diuerticula ſed has iubent deflectere
Ad hæc & illa: rectum iter qui denique
Ambagioſis callibus iubent eas
Mutare. Sed huic poſſe quî putem malo
Cautum mederi principem, tacebo nunc:
Expromere animus forſitan tunc id feret,
Quum fuerit ortus ſermo de ſalariis.

ASMA XXII, ſiue CARMEN XXII.

QVODAM *monere de tribunali nouo*
Vult muſa mea te, Gallia vnde maximũ
Potiſſimúmque mea Lutetia (ſed meam
Regi eſt rebellis dum ſuo, ne dixerim)
Aliquot ab annis capere cœpit commodum.
Iuriſperitis (quod, ſcio, miraberis)
Tribunal iſtud haud datur conſcendere:
Ciuile quod ius nominare moris eſt,
Non eſt quod vllam iudicum ſententiam
Autorat: omnes cæſarum leges tacent.
Hîc Papinianus, Martianus hîc tacet:
Tacet Vlpianus, & tacet Calliſtratus:
Tota reliquorum pariter & ſilet cohors.
Bartolus itidem nec minus Baldus ſilet:
Et ille Iaſon, iuris Argo cui fuit
Deducta pelagus illud in vaſtiſſimum.
Doctè loquaces & peritè quî ſilent
Lingua tôt illic? an locus ſilentij?

Ne

Ne mira res ſit: inde nanq; ſunt procul.
Atque magis horum poſcit hoc abſentiam
Tribunal, horum quàm petit præſentiam.
Hîc qui patronus, haud is aduocatus eſt:
Seu qui cauſidicus, haud is aduocatus eſt:
Rudis patroni quiſquis hîc partes agit,
Aut cauſidici, non aduocari poſtulat:
Vltro patronus, cauſidicus vltro venit:
Rudis patronæ ſiqua partes hîc agit,
Aut cauſidicæ, non aduocari poſtulat:
Vltro patrona, cauſidica & vltro venit.
Nam quiſque quæque cauſam agit paucis ſuam.
Aio hîc Negóque verba ſunt primaria:
Diuerticula, vicina ſunt res crimini.
Vna hîc in hora ſæpe lis deciditur,
Suſpenſa maneat menſibus quæ plurimis
Vbi multa legum proferuntur agmina,
Vbi ius patronus torquet hic ad dexteram,
Ille ad ſiniſtram ius idem torquere vult:
Clamoſior vbi ſæpe quàm peritior
Fora ſimulatis turba complet iurgijs.
Hîc obſtupeſces forſan: &, Quid audio?
Dicturus hîc es. vera ſed tamen loquor.
Ergo tribunal omne quidni tale ſit?
Non hoc aguntur quælibet lites foro.
Dubia voluntas ſi tibi teſtantis eſt,
Aut eſſe dubiam dicit aduerſarius,
Hanc quæſtionem ſoluit haud illud forum.
Communi *agíque non in hoc foro ſolet*

De

De diuidundo, de regundis finibus.
Familia *non nouit quid* erciſcunda *ſit.*
Commerciorum ſed genus vix aſpicit
Vllum ipſe Phœbus, quod tribunal hoc ſibi
Nouum eſſe dicat, cuius & ſit inſcium.
Lites mouentur quotquot ob commercia,
Huius materia ſunt fori primaria.
Et qui petitor eſt ob hæc commercia,
Auditur illic: prouocare nec datur
Decreto ab illo, ſumma ſi non maior eſt
Quàm ſumma de qua licet eis cognoſcere.
Conſuls *vocantur è Latino* conſules.
Mercator horum quiſq; ſed tamen ſolet
Eſſe: & leguntur ſemper hoc ex ordine.
Eadémque mercatura non eſt omnibus,
Eius aliud genus alij: tanto magis
Commercia illis varia ſint vt cognita.
Nec fidere tamen ſic ſuæ peritiæ
Volunt, vt alios aduocare negligant,
Hærere ſi ſe viderint vel tantulum.
Quæ ſæpe viſa ſunt mihi, poſſum loqui.
Digna memoratu ſed videtur lis mihi
(Sit alia ſiqua) quæ fuit lanis ſuper
Diiudicata: Vendidi lanas huic,
Petóq; pretium. Cur recuſas ſoluere?
Iudex rogauit alterum. Bonam fidem
(Reſpondet ille) venditor non hic mihi
Seruauit in eis. facta nam primùm fuit
Miſtura quadam: deinde, quò maius foret

Pon-

Pondus, fuerunt humido in loco abdita.
Qum pernegaret venditor, miſſi duo
Qui venditores mercis huius euocent
Celebriores. interim, ne temporis
Iactura fiat, alia cauſa promitur.
Mora longa non eſt, offerunt ſe iudici
Quos is vocauit. hos fidem iubet dare,
Deo vocato teſte, ſe bona fide
Quidquid ſubeſſe viderint lanis doli,
Id prodituros. Et reuerſi qum forent,
AEtate reliquis omnibus prouectior
Ait, aliorum non minus verbis loquens,
Illis ſubeſſe duplicem lanis dolum.
Nam ſe videre prorſus illas vuidas,
Atque puteo fuiſſe qui demiſerit,
Quantum daretur ſuſpicari: & alteram
Illa haud minorem detegi fallaciam.
Miſturæ in illis eſſe nanque plurimum.
Miſtura cuius illa ſed rei foret,
Memoria mihi nunc infidelis denegat.
Addicta fiſco merx fuit: damnum quoq;
Sarcire iuſſus maxima pecunia
Quod emptor ille ceperat, promiſſa merx
Quia non dabatur. Sícque, menſium decem
Quæ lis fuiſſet in foris quamplurimis,
Horas popóſcit vix ſibi impendi duas.
Sic id ad tribunal ſi vocetur artifex
(Qui nominatur & opifex) quòd huic opus
Numeris ſit artis abſolutum haud omnibus,
AEquó-

Æquóve pretium maius hic quòd poſtulet:
Satíſve pacto tempori non fecerit:
Multi acciuntur qui locum primum tenent
Hac ipſa in arte. conſuluntur, & fides
Exigitur itidem: fertur hinc ſententia.
Sic ſæpe multis litibus tribunal hoc
Venire gaudet obuiam: nec temporis
Pecuniæ' que damna ferre grandia
Lites per illas in aliis foris ſinit.
Vide ergo princeps, tu tuos quò ſubleues,
Tale vt tribunal his velis concedere.
Si non habebunt pariter iſti plurimos
Quos euocatos conſulant (vt fieri
In maxima illa ciuitate diximus)
At commoda tamen ſentient hinc maxima.

ASMA XXIII, ſiue CARMEN XXIII.

PRINCIPEM à muſa rogari verbis pauperum, & tanquam legata ab his ad illum veniente, vt ſibi proprium det tribunal, apud quod à potentibus etiam conueniatur: aut ſaltem vt aduocatos & procuratores (quos vocant) ſuis ſumptibus illis conſtituat.

VENIRE *monitrix ſolita quæ prius fuit*
Ad te camœna, duplici nunc nomine,
Veréque fungens duplici nunc munere,
Auſa eſt venire. nanque partes ſuſtinet
Quas ſuſtinebat te monentis & prius:
Legata miſſa ſed ſimul nunc aduenit.

Quo

Quo miſſa fuerit iam rogas à principe.
Nunc immo paruis prodit à penatibus
Aulam hanc ad amplam. téque ne morer diu,
Ad ſericatos eſt redux tot nobiles,
Ad purpuratos eſt redux tot principes
(Magnum tuæ aulæ quos habes auctarium)
A diſpare iſti plurimis certè modis
Turba: ſed etiam (quod oculis ſeſe magis
Offerre noſti) maximo quam ſeparat
Vel ipſa veſtis ab aliis diſcrimine.
Pullata nanque eſt illa turba maxima,
Cuius fuit ſuſcepta nomine hæc legatio.
Futura breuis hæc: Supplices per plurimas
Contendit iſtud vnicum (princeps) preces,
Vt, opprimi ipſos diuitum potentia,
Si non ferenda res videbitur tibi,
Tot litibus eos & tot appetentium:
Dari tribunal proprium ſibi velis:
Huiúſque iudex hanc ſui curam gerat,
Tribunus olim quam gerebat omnium
Tribuum quibus erat iura ſolitus reddere:
(Voci tribunal res originem dedit)
Petitionem vel repulſam ſi pati
Dignam hanc putabis: ſaltem vt iſtud annuas,
Sibi aduocatos ſumptibus tuis duos
Vel eſſe plures: pariter & qui litium
Gerant ita curam, quíque procurent ita
Negotia illa litibus quæ iuncta ſunt,
Vt tam potentum præda non ſint caſibus.

Quid?

Quid? es monendus inſuper, ſinas vt hanc
Te (iuſta quum ſit) gratiam exorarier?
Et hic breuis erit: Iuſta iuſtum principem
Decent, decéntq; magna magnum principem.
Iis rebus autem gaudeat magnis mage,
Quibus minórque ſumptus & minor labor.
At magna ſit an hæc, ambigis? Nemo ambigit
Quin à luporum poſſe permagno agmine
Gregem tueri, magna res dici queat.
Iubet & honeſtas munus hoc vt impleas,
Titulo futurus dignus es ſi principis
Illo, receptus à te qui prius fuit,
Quum ſubditorum paſtor eſſe dictus es.
Quæ nanq; magis hac cura ſit paſtoria?
De iudice tacet illa turba pauperum:
Sed ſperat & opis eſſe iuncturum ſuæ
Opi tua illum iura quantum non negent.

ASMA XXIIII, ſiue CARMEN XXIIII.

IVDICI videndum eſſe quales ſint principis leges, antequam in eas iuret. Sæpe contingere vt boni principes malas leges habeant, dum iis à ſe non examinatis vtuntur, quibus iam aui & proaui ac priores etiã illis vſi ſunt.

AT *cur tribunal lingua tot verbis mea,*
Sonátque verbis lingua tot cur iudicei,
Silentiúmq; eſt interim de legibus?
Legum ille campus eſt arena iudici,

Deſcendere in quam debet, vt munus ſuum
Rite exſequatur: vel potius huic arma ſunt
Quibus tueri cuiq; ius poſſit ſuum.
Quid ergo? Leges (ille dicet) nil moror
Quales eæ ſint? antequam conſpexerit
Arma illa dextram muniet quibus ſuam,
Dabit ſe arenæ, accinctus vt certamini?
Immo gladiator arma poſtulet bona,
Pedem priuſquam conferat libens pedi.
Iudex ita ille poſtulet leges bonas
A principe ipſo: iuret haud in has prius
Iſtud mereri nomen has quàm viderit.
Eſſe arbitror te principem (princeps) bonum:
Quid ſi mihi tamen tu futuro iudici
Leges auorum vis malas proponere,
Atque proauorum, vel priores omnibus
Auis proauiſque? ſed bonas quas tu putes,
Dum nullus illud admonet te libere.
Fuere multi principes vel optimi,
Quorum fuere ſæpe leges peſſimæ
(Aut pars earum) traditæ à maioribus,
Examiníque quas ſuo ſubmittere
Haud cura fuerat. Haud (ſcio) tyrannus es,
Tuúmque pectus nil ſapit tyrannicum:
Quid ſi mihi tamen iudici leges dabis
Vel quinq; vel ſex, vel duas tantummodo,
Vnámve ſolùm, quæ ſapit Buſiridis
Pectus cruentum, vel Typhonis, aut Gyæ?
Vel aliquot inter cæteras notauero,

Quæ non merentur imputari forſitan
Pectoribus iſtis, aut quibuſdam talibus:
Sunt improbandæ principi bono tamen.
Non rara lex eſt fronte quæ prima licet
Placere poſsit; ſi tamen ſubiuerit
Examen acris iudicis, uix ſanctio
Eius videri legitima ſatis queat.
Accommodamus rebus iſtud omnibus
Verbum, eſſe cuncta legitima requirimus:
Vel ipſa bella, legitima ſint poſcimus:
Quàm turpe ſi qua legitima lex eſt parum.

ASMA XXV, ſiue CARMEN XXV.

PRINCIPEM non debere tam religioſum circa omnes ſuæ ditionis leges eſſe, vt nihil in vlla audeat immutare: aut etiam aliquã totam abrogare, recordãtem, vſum eſſe legum correctorem. Sed non tamen niſi adhibitis multis in conſilium id ſibi permittere debere.

SI ponderata dicta ſunt tibi mea,
Quæ ponderari talia trutina decet,
Iam nunc teneri pectus ingenti tuum
Ardore credo conſulendi de tuis
Legibus (auorum quæ fuere non minus
Atque proauorum) quos putas prudentia
Valere: certè ſi voluntas hac tibi
Sedet, camæna conſonam menti meæ
Tibi eſſe mentem gratulor. Sed certior
Ex eius hiſce verſibus fiet fides:
Laudare nullo principem poſsim modo

Qui principatus vult ſui relinquere
Famam futuris ſeculis, quòd legibus
Iunxerit auitis aliquid, aut correxerit
Legem hanc vel illam (Roma ceu palatio
Multis ab annis experitur in ſacro,
Pontifice ſemper aliquid à nouo nouum
Accedere: atque ſæpe, quæ rotunda ſunt,
Ab hoc quadrari: at iſta quæ quadrata ſunt,
Illi haud placere, ſed rotundare vt prius.)
Tali tenetur ille dum cupidine,
Quem dico, princeps, forſitan nouauerit
Suo relinqui quod decebat in ſtatu.
Sed nec viciſsim principem (quicunq; ſit)
Satis valere dixerim prudentia,
Legum in ſuarum verba qui iurare vult;
In verba legum quælibet quarumlibet:
Incognitum ceu ſit vetus prouerbium,
Eſt ſæpe ſummum ſumma ius iniuria:
Dicti inſcius ſit huius aut veriſsimi,
Ex Liuio. Correctorvſus eſſe legum creditur.
Hic nónne medicas corrigit leges quoq;?
Hippocratis annon dicta tam veracia
Multa eſſe ſcimus, vt queant oracula
Tot eſſe dici? (dandus à me ſi modò
Prouerbialis honor is eſt oraculis)
At ecce quædam, denegata queis fides,
Elapſa fuerant ſecla iam quum plurima:
Mens poſterorum ſiue perſpicax magis,
Natura ſiue quidpiam nouauerit:

Vt

Vt fœminas negat eſſe quum podagricas,
Defecerint eas priuſquam menſtrua.
Sic eſſe quædam cenſeas in legibus.
Dedere nobis iura quæ ciuilia,
Quæ quis reformet, nec tamen malè audiat.
Quid? nónne totas abrogatas cernimus
Leges ab ipſis ſæpe conditoribus,
Aut certè ab illis ſceptra queis reliquerant?
Nedum tibi nefas eſſe quiſquam dixerit,
Quarundam habenas laxiores reddere,
Quarundam habenas arctiores reddere.
Sic imperator quintus haud à poſteris
Fuit reprenſus, quòd volens ius dicere,
Nec duritíam legum *ſibi proponeret*
Semper ſequendam, lenitatem *nec magis* Ex Suetonio.
Vellet aliquarum ponere ſibi regulam.
Sed quod ſit illud cunq. quod vel mēs tua,
Vel alia, leges ſuggeret contra tuas,
Vt aliqua in vlla fiat aut mutatio,
Aut abrogata hac ſubrogetur quæpiam,
Aut aggregetur illa lex vt cæteris:
Ne magna deſit turba conſultrix caue.
Nec adhibeatur celeritas: rumor prius
Hic pulſet aures ciuium, quos cæteris
Probitate noſti nec minus prudentia
Præſtare: vt aliis prædicent hoc ciuibus
Conſilia de quo ſcire prudentum expetis:
Vltróq. ciues flagitent id plurimi,
Dubiam ſuper quo dictitant tuam moram.

Pratentes ac tum maximè velut viam
Rumor per vrbes perſtrepens tuas vagus,
Quum fuerit aliqua in mente legiſlatio,
Aut aliqua veteris legis immutatio,
Habere dubium quæ videtur exitum.
Sed maximè iſtud tu mihi circumſpice,
Ibi innouetur vlla ne vel ſyllaba,
Vbi tua quiſquam te putet compendia
Spectaſſe: fiſcum nempe ditant qualia,
(Vt poſſit aliquis ſatyricus, te vellicans,
Tibi quoq; dulce quod caducum dicitur,
Obÿcere) ſi non commodum poſſit ſimul
Penſare tale ſubditorum incommodum.
Ac potius eſſe quàm lucrum ſcopum tibi,
Quis muſſitare poſſit haud iniuria,
Facias vel vnde iure ſuſpectum tuis
Contingat eſſe de lucri cupidine:
(Suſpicio quamuis hæc prematur pectore)
Eſſe tibi ſiqua fortè lex videbitur
Odio laborans hoc eodem nomine,
(Hoc nomine, tuam ſit quòd hac in rem nimis)
Seruarit illam principatus is licet
Multis ab annis, ab aliquot vel ſeculis,
Tamen reforma, prorſus aut extermina.

ASMA XXVI, ſiue CARMEN XXVI.

PRINCIPI nullas leges aut co͂ſuetudines eſſe potius abrogãdas, quàm quę ipſi conſciẽtiæ & humanitati repugnant, ſúntque exteris damno magis quàm ſuis: quarũ exempla quædam afferuntur.

CORRECTOR *vſus eſſe legũ dictus eſt,*
(Camœna monuit noſtra te ſicut modò)
Et iure dictus. abrogatæ quæpiam
Leges ab ipſis nónne conditoribus,
Vel certè ab illis ceſſerant quibus locum,
Vſu docente noxiæ quantum forent?
Legi vetuſtas ergo nulla dat ſatis
Autoritatis, aut (licet ſi dicere)
Iuris, retinendam doctor ille ſi negat.
(Corrector vſus nanque ſi vocatus eſt
Legum, eſſe doctor idem cur negabitur?)
Sed quid loquendum ſit mihi de legibus
Quibus & repugnat ipſa conſcientia?
Atque gemebundis inſuſurrat quas ſonis
Humanitatis legibus contrarias?
Numero ſed in hoc dixerim teterrimas,
Damna inuehuntur vnde magna & exteris,
Multóq; certè ſæpius quàm ciuibus.
Subitque mentem (proloquor dum talia)
Ea lex in illos lata quæ fuit, quibus
Miſerior vlla ſors nequit contingere.
In naufragos lex lata, queis pepercerit

Et ira maris, & agmen AEoli ferum.
Si nanq; fluctus expulere quidpiam
In litus aliquod, plurimarum & mercium
Has ille ſolas reliquias ſibi videt:
Iniicere in illas is ſolet princeps manum,
Sua ditio cui litus iſtud accolit.
Sic relliquiarum facta qua ſpes naufrago,
Fruſtratur illum. quúmq; ſpes boni foret,
Solamen aliquod eſſe quod poſſet malis,
Contra aggregetur tot malis malum nouum:
Dolórq; maior, principis rapacitas,
Rapacitate cenſeatur æquoris.
Non ille tabulas eripit tantummodo,
Quot eſſe ſaluas æquor ipſum ſiuerit,
Tabulis ſed quod eſt omnibus præſtantius.
Alia memoriam lex ſubit quædam meam,
Quæ, quòd farinæ prorſus eiuſdem ſiet,
Tradenda pariter auribus nunc eſt tuis.
Furatus aliquis eſt bonorum maximam
Partem tuorum, vel (malo longè quod eſt
Maius malum illo) quiſpiam furatus eſt
Quidquid bonorum clauſeras arcis tuis,
Quidquid bonorum clauſeras tua domo:
Prædatus aliquis aut aperta vi tibi:
Perſequeris eius tam ſagax veſtigia,
Vt aſſequaris: atque mox conuincitur
Prædationis, ſiue furti: & omnia
Bona tua habere comperitur: vnde tu
Eſſe tibi ſalua mente cuncta concipis.

Ridet

Ridet ſed iſtam ſpem tuam lex principis,
Quæ ſalua tibi non eſſe vult quæ ſunt tua,
Ipſi ſed eſſe ſalua quæ vult principi:
Exhibitus ab eo carnifex ſit dummodo,
Et factus ab eo ſumptus ille maximus,
Quem furca vel crux poſtulauit fieri.
Mihi viſa ſcito me loqui: bona omnia
Niſi quòd ab illo fure rapta non erant.
Miſeríque cauſam dum viri defendere
Volo, ipſe fio pœne criminis reus.
Illis dominium nanque mutatum bonis,
Iniector ille qui manus ibi fuit,
Aiebat eſſe: pernegabam pertinax.
His aggreganda legibus ſit tertia,
Vt pulchra legum ſit tibi, princeps, trias.
Abſorptus aliquis eſt viator flumine,
Ferocientis dum minas non præuidet:
At enatat equus, pera cui grauis fuit
Impoſita: & amnis ipſe forſan expuit.
Extrahitur ipſis forſan aut à nauitis
Illud cadauer, quæpiam circumferens
Pretioſa quæ ſunt. hæres hoc ad nuntium
Accurrit: eſſe dicit hæres, ac probat:
Et ſalua quæ ſunt, iure pro ſuo petit.
At iſte ſurdis auribus ius inſonat:
Locíque dominus aut magiſtratus ſua
Hæc eſſe facta, more maiorum, probat.
Nam more in iſto ius is omne collocat.
Non obſtupeſcis hæc ad acroamata,

Cui pectus ære triplici haud obduruit?
Si titulus aliquis illius uoluminis
Ciuile quod ius (vt vocant) complectitur,
Eſſet dicatus legibus Scironijs
Cyclopicíſue nominatis, has ibi
In ſede vellem collocari principe.
Sed Vlpiani, Papiniani, cæteri
Harum fuere (credo) legum neſcij,
Aut Læſtrygonicæ ſunt ab illis credita.
Nec iura forſan (iura ſi uocanda ſunt)
Eſt talia auſus literis quis tradere:
Sed (vt frequenter) ſumptus à maioribus
Ipſiſque pariter traditus mos poſteris,
Autoritate temporis, qui peſſimus,
Tandem occupauit optimæ legis locum:
Si, quæ lucroſa plurimum lex, optima:
Illis lucroſa ius ei qui uendicant.
At ne vetuſtas vlla ſic te faſcinet
Princeps camœnæ commodans aurem meæ,
Vt, dum vereris à tuis maioribus
In inſtituto quopiam deſciſcere:
Natura ab ipſa, cum tuis maioribus,
(Humanitatis illa ſi leges dedit)
Dicare velle turpiter deſciſcere.
¶ *Neque hoc tacebo, non decere principem*
Immodica velle penſitent vt exteri
Tributa: tanquam leniter ciues ſuos
Tractare, & alios, ſubditi quicunque ſunt,
Satis ſit illi. Nolo rex quidem ſuis,

Bo-

Bonúſve princeps (tanta ſi non dignitas)
Dicatur eſſe, ſed tyrannus exteris.

ASMA XXVII, ſiue CARMEN XXVII.

PRINCIPEM leges bonas ab exteris etiam gentibus poſſe mutuari: præſertim verò ſi malas quaſdam conſuetudines ſuis valde damnoſas eſſe animaduerterit, quæ exteris ſint ignotæ, eo magis per aliquas nouas leges debere abrogari. Principi cogitandum eſſe, ſuis potuiſſe maioribus vſuvenire idem quod Romanis, qui tanto tempore quaſdam malas ſiue leges ſiue cõſuetudines immotas relinquerẽt: quarum exempla afferuntur.

EXEMPLA *legum protuli, quas barbaras*
Extrudere bonus ad gentes princeps velit:
Afferre legum nunc libet quas principes
Contrà aduocare extraneis à gentibus,
Ipſóſve genti ponere deceat ſuæ.
Salubriores at quis vllas dixerit,
Et quas oporteat mage neceſſarias
Vocare, quàm queis cernimus faceſſere
Ab auis mala recepta conſuetudine
Permulta noſtris, cauſa magni quæ mali?
Ignota & aliis quæ putantur gentibus.
Non qualia meum, (prægredi quod huic vides)
Tibi memorabat carmen, haud frequentia,
Et noxia ipſis quæ magis ſunt exteris:
Sed vnde gemitus excitentur in dies,

Ac ferme in horas, ciuibus multis noui.
Romana nobis hiſtoria quamplurima
Exempla præbet remediorum talium.
Hac eſſe poterat vlla res iniquior,
Seruire patrum filios ob debita?
Móſque tamen iſte peſſimorum peſſimus,
Immotus annos manſerat quamplurimos:
Diocletiano ſuggerit pectus ſuum
Poſt terna ſecla, cæſarum quod nemini
Illo priorum, quamlibet prudentium,
Abolere morem peſſimorum peſſimum.
Conſultáque prius quàm ſenatus hæc forent,
Quod à Macedone nominatum dicitur,
A Velleóq; trahere quod nomen putant,
Sibi filióque multa pertimeſcere
Pater ſolebat: ídque tum potiſſimum,
Illum videbat luxui quum deditum,
Et velle prorſus viuere nepotaliter.
Miſeræ ſolebant multa pertimeſcere
Ob ſponſiones pro maritis coniuges
Factas, vel aliis: atque pœnitentia
Miſeras iuuare nil valebat fœminas.
QVID? *liceat iſtam nónne conſuetudinem*
Scythicam vocare, dicere & Cyclopicam,
Videre in vrbe quam Quiritum ſecula
Permulta (quamuis barbaros vel maximè
Odiſſe mores crederetur omnibus)
Hanc dico, ſeruos qua ſibi ius in ſuos
Dabant, ſibi dare plurimi quod horreant

In vlla bruta. nanq; eos occidere
Parum putabant eſſe non pauci, niſi
Ea cruciatus mors haberet maximos.
Quid tu, Vedi quid Pollio, quid hîc ais,
Tuis perire mortibus vulgaribus
Seruis recuſans? inde muranas cupis
Piſcina habere qua tua quoq; innatent.
Nam ſplendor haud eſt iſtud, at crudelitas.
Seruos eis vis obÿci, ſi tantulum
Offenderint te: vis ſaginent ſanguine
Miſeri ſuo illas: luxui quas non alis:
In hoc alis eas, ô cyclops, vt ſic alas.
Ab uno eorum frangitur cryſtallinus
Calix: repente corripi iubes eum,
Sit carniuoris vt eſca piſcibus tuis.
Sed te reuiſit ſermo iam (princeps) meus,
Narrator vt ſit totius rei tibi.
Auguſtus ille qui ſecundus cæſar eſt,
Primum ſed inter cæſares tenet locum,
(Dicíque forſan cæſarum cæſar poteſt,
Princeps vocatus ſicut idem principum)
Conuiua noſtri Pollionis tum fuit.
E manibus ille ſubtrahit ſe ſeruulus,
Ad cæſaríſque confugit ſtatim pedes,
Non, gratia ſibi mortis vt fiat, volens
Illum rogare: mors ſed vt tantummodo
Mutetur iſta morte qua ſit mitior,
Diríſq; ne ſit eſca uiua piſcibus.
Mouet noua iſta cæſarem crudelitas,

Miſsúmq; faciant ſeruulum, mox imperat.
Contentus haud eſt, vaſa vult cryſtallina
Præſente frangi cuncta ſe, complerier.
Piſcinam eam vult. Sic amicum cæſar hic
Caſtigat, vtens rite ſic potentia
Quam principatus ille tam potens dabat.
Minórq; tamen eſt iſta caſtigatio
Quàm quiſq; meritum cenſor eſſe dixerit:
Tu Pollio hominis diſtrahi vis viſcera;
Calicem quòd ille fregerit cryſtallinum?
Perſona nec te cæſaris quidquam mouet,
Conuiua tibi qui futurus aduenit?
(Niſi iam peractum fuerat id conuiuium)
Sed cæſari à te ſtruitur vt conuiuium,
Vis vt ſuum ſit piſcibus conuiuium,
Quod inſtruatur dapibus haud vulgaribus:
Humana inter has viua caro ſit iubes.
Hinc pectus intret iſta cogitatio,
Quàm ſors foret eo miſera ſeruis tempore.
Auguſtus ergo, tanta cui potentia,
Auguſtus ille tanta cui clementia,
(Nanque iſta virtus huic decus magnum fuit)
Cur non, miſertus ſortis huius aſperæ,
Communis iſti ſeruulo cum millibus
Quæ tot erat & tot (alia quum crudelitas
Sæuire in alios tum ſoleret) illico
Legem tulit eam quam tulere poſteri,
Sæuitiæ, vt antè, non ſinentém obnoxios
Eſſe dominorum, quiſquis his eſſet gradus.
Quid?

Quid? iſte princeps poſsit an à quopiam
Dici fuiſſe præditus clementia,
Verùm fuiſſe commodorum negligens
Suæ huius vrbis, principatus & ſui?
Gnauus erat immo prouidere commodis
Eorum, habebat principatus quos ſuus,
Quàm porrigebat terminos latè ſuos.
Necnon erat idem præditus prudentia,
Cernenda ad ipſa perſpicax quæ fieret.
Ad illud ergo cur velut cæcutiens
Tantum fuiſſe quiſq; quod videt malum,
Quam ferre poterat haud opem tamen tulit?
Sic aliquis. ipſi numini tu talia
Soli eſſe poſſe nota princeps credito.
Miranda nobis hæc ſcias relinquere,
(Innumera ſicut alia) verùm ſenſibus
Haud eſſe velle peruia hæc mortalibus.
Res mira & iſta, quod per annos plurimos
Vitæ poteſtas & necis ſit patribus
Suos relicta in filios, ſicut fuit
Dominis in illos qui ſibi ſerui forent.
Illud ſed ipſum quod prius reſpondeo.
Miretur & quis forſitan quòd cæſarum
Tam parua viduis atque pupillis ſuper
Cura eſſet, illos poſteris ſi conferas.
Recentiores nam videmus cæſares
Cauiſſe viduis atq; pupillis quoque
Cura acriori quàm priores cauerant.
Fortaſſe tamen haud quòd foret prudentia

Data

Data maior illis: vellet has ſed quòd deus
In tempus aliud cautiones protrahi:
Nec ſineret vt eis vſus, ille maximus
Magiſter, optimúſque conſiliarius,
Mentis aperiret ante clauſa lumina.
Rem clauſa ad iſtam nanque fas eſt dicere.
¶ Sed conferuntur ethnicis hîc ethnici.
Nam Chriſtianos cæſares non profero:
Quòd ethnici illis impares dici queant,
In legibus quas condidere, dum volunt
Eſſe obſequentes Chriſtianis ritibus:
(Relligio leges ipſa ceu dictauerit)
Licet quis & eas ſpectet, ad ciuilia
Quas pertinere viderit negotia:
Quibus aut honeſtas ipſa, queis humanitas
Aſſeritur illa prorſus aduerſum omnia,
Cæſaribus antè quæ placuiſſe ethnicis
Scimus, mala recepta conſuetudine.
Humanitati nam repugnans quid magis
(Silentium ſit nunc mihi de cæteris)
Quàm quæ eſt arena tam cruoris prodiga
Romana, maximéque gladiatorij?
Et paſcere oculos talibus ſpectaculis?
Sunt quæ ipſa honeſtas reſpuebat propalam:
Nonnulla quorum poterat & præſentia
Eius vetare qui ſua præſentia
Ipſis pudorem incuſſerat Floralibus.

Asma XXVIII, ſiue Carmen XXVIII.

Exemplo alio inſigni confirmantur quæ dicta ſunt, pœnæ in calumniatores nullius tot legibus conſtitutæ per aliquot ſecula: deinde conſtitutæ quidē diuerſis ętatibus, ſed ad hanc vſque nullius ſatis grauis.

Exempla *noſtra terminis claudi ſuis,*
Princeps, volebam, facta poſtquam mentio
Legum, tulerunt cæſares quas vltimi,
Vicini & illis: Chriſtiana queis fides.
Tot nempe legum, quarum opera & humanitas
Simul & honeſtas ius receperunt ſuum.
Sed muſa iuſsit adderem quoddam mea
Turba ſceleſta de calumniantium,
Qua nulla peſtis eſſe tetrior poteſt.
Hanc nanq; mirum, tam grauis cauſam mali,
Dediſſe pœnas tam leues quo tempore
Sceptra tenuere tot priores cæſares.
Traianus is eſt (vt ferunt) dignas magis
Facinore pœnas cui dederunt hi ſuo.
In nauigia quæcunque temere occurrerant,
Congeſti ab illo quotquot huius agminis,
Et fluctibus ſunt atq; ventis dediti:
Fugerent vt illas ante quas vaſtauerant
Calumniis terras. eorum quiſpiam
Si fortè ab vndis ac procellis cautibus
Eſſet reſeruatus, ibi ſaxa vt incolens
Nuda, agere vitam cogeretur anxiam.

Inſolita facies hac oculis erat omnium:
Ventorum ea fuit omnium libidini
Permiſſa claßis, agmen illud quæ vehit:
Coactáque fuit vela tempeſtatibus
Dare, atque fluctus (fecerat concepta iam
Quos ira tumidos) ceu duces ſequi ſuos,
Quoſcunq; vellent in ſcopulos detrudere.
Sic viſus iſtos ille cæſar plectere
Pœna facinori par eorum quæ foret.
Alios ſpoliare per calumnias ſuas
Pecuniis ſolent: at excidant ſuis.
Expellere alios hi penatibus volunt,
Pellantur ipſi laribus à ſuis procul.
Ridicula contra viſa, quæ fuit prius
Statuta, pœna, literam quando imprimi
Fronti iubebat dicta qua lex Remmia.
Vnde quis adulans inquit, Iſti ne viri
Exanguem, vt ante, præbeant & ferream
Conuulnerandam punctulis frontem ſuam:
Notas vt ipſi rideant dehinc ſuas.

Ex Plinio Secundo.

Traiani at ipſe pace dixerim tamen,
Et hac in eius gratiam loquentium,
Pœna iſta grauitas (viſa ſi grauis fuit)
Grauitate ſceleris partibus multis minor.
Hoc quæ minora ſcelera nanque multa ſunt,
Plectuntur ipſa morte, mortis & quidem
Genere quod atrox atque dirum dicimus.
Sed iſta longo ſat probaui carmine,
Dictauit olim muſa mihi quod Gallica:

Noſtér-

Noſtérque quod rex legere viſus eſt libens
Sibi dicatum. principes ac non minus
Proceréſq;, regis aula queis tunc hoſpita,
Muſæ approbarunt illius ſententiam.
Fidem ergo princeps tu mihi ne deroges:
Principibus illam ne tot vnà deroges,
Proceribus illam ne tot vnà deroges,
Atq; adeo ſceptra tunc tenenti principi.
Ac diſce ſimul hinc, ſeculis vt ſecula
Linquant futuris vbi queant prudentiæ
Monſtrare ſpecimen quodpiam planè nouæ.
(Nouam vocare ſi licet prudentiam
Quæ ſuperioris ſeculi prudentiæ
Adiicere multa, laude cum magnâ, poteſt)
Atque hoc ferendis ſæpe poſſe in legibus,
Si perſpicaces principes, contingere.
Tibi comparare tale nunc poſſis decus,
Mea camœna ſi libebit Gallicæ
Hac de ſceleſta gente totam aduertere
Aurem: nec ipſam detinebit hac diu.

ASMA XXIX, ſiue CARMEN XXIX.

PRINCIPEM inuenturũ ſemper eſſe alicui nouæ & bonæ legi locũ, etiáſi illas quoq; omnes perluſtrarit, quę multo recentiores ſunt iis quarum facta mentio fuit. Affertur in exemplum & quædam lex lata demum ab Henrico ſecundo Galliæ rege, quáuis valde neceſſaria.

TANDEM *volebam dicere huic meo vale*
Sermoni: erátque iam paratus tranſitus
Ad alia monita, muſa quæ dictauerat.
Sed ipſamet me iuſſit vltra pergere
Sermone in iſto: méque dixit omnibus
Haud poſſe facere (cupio quod valde) ſatis,
Exempla ſecli niſi meĩ quoq; adderem,
Meáque reges Galliæ proponerem.
Hic nanque princeps quem monemus, inquiet,
(Dicebat illa) cæſarum poſt tempora
Se Roma ſenſit ſub quibus labaſcere,
Tandémque labi ſub quibus ſe ſenſit hæc,
Fuere leges legibus quot additæ,
Tótque variarum gentium per principes
Romana ſpolia partientes acriter,
Simúlque per eos iſta cuncta iam quibus
Partita fuerant, ac per horum poſteros?
Excogitari poſſit ergo quæ noua
*Nunc lex ab vllo, *poſſit vnde gloriam*
Referre? At iſtud audiat primùm, velim:
Per me licebit mutuari ab omnibus,

In rem putabit quæ ſuam, rectoribus
Quotquot fuere gentium: illarum quoque
Quas nominabat Hellas olim barbaras,
Laudare & harum ſolita leges quaſpiam:
Fuere quarum Perſicæ potiſſimæ.
Sed & alij (res nota cunctis) barbari
Laudanda quædam ſeculis prioribus
Sanxere quidam principes. &, quod vetus
Eſt nationi forſitan quæ mutuat,
Illi futurum, mutuatur quæ, nouum.
Aurémq; verbis hiſce commodet dehinc:
Licet aliunde mutuari nil velit,
Latè patentis principatus ſi libet
Partes in omnes perſpicaces vertere
Oculos, quod addat legibus mox ſe dabit
Quæ iam receptæ, vel quod illis detrahat:
Materia vel ſe legis & nouæ dabit
Semper alicuius. Nulla poſſit natio
Firmare melius teſte ſe dictum meum,
Quàm mentio mouet lacrymas cuius mihi.
Nam natione nunc loquor de Gallica:
Cui decus auitum rapere Mars conatus eſt
Multis ab annis, nititur in dies magis.
Hac natione ſolis haud videt iubar
Fundata rectis quæ magis ſit legibus
(Seruentur hæ ſi) quæ quepluribus ſimul.
Occaſióque ſemper offert ſe tamen
Nouam aggregandi quampiam tanto gregi
Veterum. nouúſque ſi quum ſceptra rex capit,

Dicat, Potuítne fugere maiores meos
(Qui tot fuere támque gnaui) quidpiam
Dignum aggregari ſanctionibus bonis:
Mox aderit iſta iure qui reſpondeat,
Homines fuere nempe maiores tui,
Potuere multa fugere prouidas licet
Mentes eorum: vel noua res haud eis
Occaſionem præbuerunt quam tibi
Sunt præbituræ forſan. ac licet noui
Nil eueniat, & cuncta poſsint vt ſuum
Statum retinere, nónne vel vulgaribus
Materia legis poſsit in rebus noua
Oriri? & eſſe poſsit hîc teſtis mihi,
Moderatus illa ſceptra noſtro ſeculo
Henricus ille hoc qui ſecundus nomine.
Nanque licet eius à parente conditæ
Nouæ fuiſſent plurimæ leges bonæ,
Iam legibus tot à patre additũ bonis
Et ipſe reperit adderet quas his bonas.
Numeroſ ed vna fuit in hoc præ cæteris
Non laude tantùm iudicata ab omnibus
Magna eſſe digna, nec modò perutilis:
Sed talis, vt vix dicere neceſſariam
Mage poſſet vllam Gallia pars qualibet.
Hunc nanque titulum quæ meretur lex magis
Quàm quæ eſt honeſtis lata de connubiis
Rectore ab illo? turpius quid Galliæ
Damnoſiúſque per tot annorum gradus
Hoc poterat eſſe more, qui licentiam
De nuptiis. *Tribuebat iſtam liberis, vt nuptiæ*
Quas

Quas non parentum autoritas firmauerat,
Firma manerent & rata: conſenſio
Ac ſola ad illas poſceretur coniugum.
Quot Gallia tibi viſa tum connubia
Rationis omni regula carentia,
Natura honeſtis legibus pugnantia?
Hymen paris vbi copulam non cum pari
Quæſierat, immo diſparem omnibus modis
(Ludibrium ceu) iunxerat cum diſpari.
O quot parentes mœror ex connubiis
Conceptus iſtis luce priuauit: ſuis
O quot parentes coegerunt liberis
Diras precari ſic inita nuptiæ.
Ego lacrymarum quum recordor flumina
Vidi è parentum quæ genis manantia
Tædas ob iſtas, fletibus meas quoq;
Rigare cogor. Sed tamen tot ſeculis
Mos ille manſit: & maneret forſitan
Hodie, periclum ni fuiſſet prouida
Mens regis huius euidens auertere
Quod imminebat familiæ primariæ.
Miretur aliquis hoc magis, quòd tam malum
Morem fouebant Gregorij quæ nominat
Decreta vulgus: coniugum dum quæritur
Conſenſus ab eis ſolus (eſſe coniugum
Si nomen ipſis dicimus iam debitum)
Parentum ab illis nulla dum fit mentio.
Quid? Roma nónne legibus iam tot fuit
Inſtructa, ſceptris ſub priorum cæſarum,

Vt crederetur vix nouarum poſteris
Locus relictus: poſteri contra tamen
Tot addidere, numerus vt maior fere
Sit additarum. dicit atque conditor
Alicuius harum plurimum mirarier
Quòd non prioris ſeculi maioribus
Sit cogitata, tantus eius quum ſiet
Fructus. Fuiſſe nec tamen quaſdam additas
Nego, principatus ipſe quum ſeneſceret
Romanus, illa quæ minus digna forent
Laude. vnde dicat aliquis, haud iniuria
Has abrogaſſe ſubſequentes cæſares.
Tantóque oportet principis prudentia
Sit maior aliquam quum libebit addere.
Hæc obloquentis credo verba principi
Illi futura cum meis concordia.
¶ Monitum ſed ille quod ſalubre præterit,
Addetur à me: ſit datum prius licet:
Inſinuet aliqua pectori ſi ſe tuo
Lex, quam rearis cæteris dignam adijci,
Vel te abrogari digna ſiqua iudice,
Aut innouare quid velis in quapiam:
Vt vel uideri poſſit iſtud tantulum,
Ne ſapere tantum pectore è tuo velis,
Sed ſocia iungas plurimorum pectora,
Iudicia quorum facta ſunt ſagacia,
Siue quòd acumen compararunt literis:
Exercita aut quod maximis negotiis,
Per functiones publicorum munerum.

ASMA XXX, ſiue CARMEN XXX.

DE IIS quæ in noua legiſlatione ſpectanda eſſent principi, ſi ad eam veniendum eſſet.

SED finge, nullas eſſe dum leges tibi
Quibus acquieſcas: ideo velle ponere
Nouas: mea viam muſa ſic pandet tibi.
Spectare debes in ferendis legibus,
Natura populi obnoxia eſt quibus tui
Vitiis, laborat & magis quam cæteri.
Eſt ille populus cæteris bibacior,
Hic populus autem cæteris furacior,
Et in libidinem alius eſt procliuior.
Tanto ergo maior legibus ſit cautio,
Cura ſua ope ſagacis atq; prouida
Minuere ſaltem, ſi negetur tollere,
Has cupiditates: maximorum germina
Frequenter eſſe quæ malorum cernimus
(Has nanque princeps ſæpe ſcis erumpere
In facta pœnas iure quæ luant graues)
Veneris amica quum ſit ac libidinis
(Vt Naſo teſtis, vſus & ceu comprobat)
Deſidia: talis eſto prouidentia
Legum tuarum, criminis ſit vt loco,
Infamis aut ſit illa ſaltem inter tuos.
Et illa nimium larga compotatio
Frequenter hominum (ſcis & hoc) eſt deſidum.
Furaciores cæteris & ſæpe ſunt
Quotquot remiſſi, qui pigri atq; deſides.
Athenienſis vnde dignus maxima

Eſt laude legiſlator ille, qui iubet
Inquirat in eos vt quis vrbis incolas,
Vlli labori qui manus non admouent,
Caréntque cenſu victui qui ſuppetat.
Nanque (inquiebat) quis bonis hos artibus
Sibi comparare vita quæ poſcit putet?
Eſſe his neceſſe quis neget furarier?
Leges ferentis ergo iam prudentia,
Vitiis origo quæ ſit, vbi perſpexerit,
Conetur aliquod ponere huic obſtaculum:
Natura vt iſtud ſi ruentis impetum
Superare prorſus haud poteſt (nanq; arduum
Superare tales impetus mortalibus)
At eius aliquid detrahat de viribus.
Maior alioquin illa laus multo foret,
Teneros ita annos inſtitutos reddere,
Adeo vel vti cautione prouida,
Vitio ire cuiuis poſſet hæc vt obuiam.
Haud vlla ſtomachans omnium legum foret,
Minans nec vlla. dico quid? tunc legibus
Foret otiandum. ſed aliquis ſimul ſuis
Reuocare votis aureum ſeclum velit.
¶ Tu monito & iſti pariter aduertas velim
Aurem, paritérq; (non minus quàm cæteris)
Mentem: eſſe verbis ſi meis pondus putas.
Legum omnis iſtud debeat quum conditor
Spectare, ſua ſint vt ſtatuta præmia
Virtutibus, vti criminoſis vt ſua
Vitiis ſtatuta ſupplicia: fac vt prior

Cura tibi maior cura quàm ſit altera.
Sic grata fuerit illa legiſlatio.
Videq́ue, pecces hæreſin ne Stoicam,
Peccare vel quis cenſeat, diſcrimina
Quòd tollere ſua velle delictis putet,
Dum ferme cunctis irrogas pœnas pares.
Ferulæ mereri quem quis ictum iudicet,
Scuticæ mereri iudices ne verbera:
Scuticæ repertus ille qui tua ſiet
Dignus, flagello ne velis hunc inſequi.
Dignus flagello ſiquis & compertus eſt,
Hunc capite plecti ne tuæ leges velint.
Nam ſi ius ipſe pro tribunali tuis
Reddens, minuenda ſupplicia putaueris,
Minuere vt illa ſolitus Antoninus eſt,
Et vt aliquando cæſar ille Claudius:
Res iſta fuerit indecens multo magis
Quàm ſiquis alius conditor legum foret.
Neque tamen eſſe tam ſeuerum te velim,
Supplicia vt vlla minuere haud vnquam velis.
Tota immo pœna forſitan donanda ſit
Aliquando, & illud audiendum ſit tibi,
Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.
Sed hoc memento, tum tibi multo minus
Eſſe minuenda, quum quis id deliquerit,
Exemplum habere quod malum fateberis,
Atque id, vocare Chriſtiani quod ſolent
Et ipſa quoque monumenta ſacra, ſcandalum.
(A Chriſtianis nanque noſtra vocibus

Haud

Haud muſa abhorret: ridet immo queis videt
Sordeſcere illas: verba quum vel barbara
Maro indicarit haud ſibi ſordeſcere)
Et peſſimum quis forſan auſit dicere
Exemplum habere, non malum tantummodo.
Quæ duritatis cunq; cauſa ſit tamen,
(Eſt à quibuſdam dicta ſic ſeueritas)
Hoc addo tibi ſuper ferendis legibus,
Peccare potius illam vt in partem velis
Quòd mitiores, aſperæ quàm quòd nimis:
Vt aſperiores occupent harum locum,
(Terroris iſtæ ſi ſatis non excitant)
Potius ferendæ mitiores quàm ſient.
Nanque imputabit populus id malum ſibi,
Aiétque, pœnam ſe mereri quam ferat,
Quòd lenitate abuſus antè principis.
¶ *Res magna, potius aut vocanda maxima,*
Oblita pœne fuit in iſto carmine:
Velis ab illis vt cauere legibus,
Humanitatis quæ rebelles legibus.
Haúdque tamen antè diximus quales tibi,
Sed qualis illa, maſculam cui moris eſt
Ditare prolem, nata prima quæ fuit,
Quandoque reliquos pauperando liberos.
Quæ nota multis Galliæ meæ locis,
Vellent ſibi eſſe quæ vel ignotiſſimam.

ASMA

ASMA XXXI, ſiue CARMEN XXXI.
VEL
Epimetron ſeu Auctarium
AD CARMEN XXX.

PRINCIPI, qui ipſemet leges tulerit, multo magis eſſe indecens, illis nō parere. Hinc autoritatis etiam multum legibus decedere: ſicut & quum aliquis alius impune illarum iugum (vt vocat) excutit. De delectu habendo eorum quæ ex aliis legumlatoribus excerpentur, & de duobus quæ in ipſa ſcriptione legum cauenda ſunt præ cæteris.

SED *ipſe fueris ſi tibimet legifer,*
Non illud vnum credito tibi indecens
Magis eſſe multo, facta cuius mentio:
Quin pariter iſtud, eſſe ſi fortè obſequens
Iis recuſes quas tuliſti legibus.
Túmq, magis iſta cura te remordeat,
Autoritatis legibus decedere.
Multum, autor ipſis obſequi quum negligit.
Nam muſſitabunt iſta paſſim ſubditi,
Saltémve tacitis iſta voluent cordibus,
Quid iſte princeps vult ſibi, qui iura dat,
Accipere at ipſe reſpuit? cur ingredi
Viam iubet is hanc, nec ſinit ab hac digredi,
Tenere eandem ſi tamen interim abnuit?
Minus iſta certè mira res, minus noua
Res eſſet iſta, iura ſi maioribus
Eſſent ab ipſis (ſæpe ceu fit) tradita.

Fuit

Fuit ipſe contra legifer: ſibi imputet
Si dura nimium & rigida leges ſanxerint,
Nimíſve rigidis ſoluat & nos legibus.
Vel hæc vel hiſce muſsitabunt proxima,
Tacito vel illa ſæpe voluent pectore.
Aut ſi profecta tota legumlatio
Non ab illo ſit, immo tantùm paucula
Leges ab illo nouerint ſi conditas:
Id cogitabit hiſce mens de pauculis,
Is iuſſa earum ſi rebellis exequi.
Tu potius ergo ſemper hoc præ te feras,
Arctare habenas velle te legum tibi,
Laxare ſibi quas nemini magis datur:
Nedum te Achillis velle more Homerici,
Negare, vt aliis, iura nata eſſe & tibi.
Autoritate ſed ſuper legum, nec his
Aures repugnes vocibus dare faciles.
Si vel quis alius, ſit potens licet, excutit
Impunè earum nominat ipſe quod iugum,
Sciente ſcitur fieri ſi principe:
Decreſcit & tunc haud parum illa legibus,
Earum ſit quicunque legum conditor:
Sed amplius, ſi conditor ſit ipſemet.
Eſſe queat exlex quæ magis licentia,
Aduerſus ipſas illa quàm quæ ſumitur
Leges, receptæ quæ, probatæ iam ſient?
Contemptus iſte pœnè ſit talis tibi,
Qualis miniſtri iuſſa tua qui negligat.
Statímque latè ſerpit hæc licentia,
Anarchia ſit vt vel hinc periculum. Sint

Sint ergo qui ius aſſerant illis ſuum:
Quos cum Quiritum prouidis cenſoribus
Commune habere quidpiam quis dixerit:
Has ni tribuere mauelis partes quibus
Nomophylaxωn à Græcia nomen datum.
N E C *tam ſtudere te velim, quid vt noui*
Poßit tuis tua dare legumlatio,
Quàm verè vt aliquis poßit hæc de te loqui,
Delectus habitus eſt ab illo principe
Prudens eorum cauta quæ prioribus
Fuere legibus hominum prudentium.
Re diſcrepare te velim potißimum
In hac (alicubi diſcrepandum ſi putes)
Media quòd à te tum tenebitur via
Vbi variare videris ſententias.
Sed non vbique fiat hoc tamen velim:
(Nec patitur ipſa ratio vbiquè fieri)
Sed rebus iſtud rite fiat in quibus,
Exempla duo dabuntur hæc à me tibi.
Leuiore pœna facinus hic videbitur
Mulctare quoddam, iuſtitia quàm poſtulet
Exacta trutina: ſed aliud uidebitur
Idem grauiore velle pœna plectere:
Mediam tenere nónne debes hîc viam.
Exemplum at iſta ſit tibi res alterum:
Tutela ab onere tres alicubi liberos
Defendere vides, alibi quinque liberos:
(Quum nanque primò numerus is trium foret,
Venere iura ad quattuor ciuilia,

Ad quinq; deinde) ſed alibi pluribus
Opus, vt id oneris quis queat repellere:
Et vſque ad octo vel decem requirere
Aliquæ feruntur ciuitates Auſonum.
Hîc agere oportet ergo quid te principem?
Mediam tenebis (ſi mihi credes) viam.
Exempla plura ſi requiras, id velim
Te facere, agetur quando de ſalariis:
Quæretur aut quis numerus eſſe debeat
Hominum futuri qui tibi conſiliarij.
¶ Monebo & iſtud, omnis vt ſit ſanctio
Aperta, quámq; nemini neceſſe ſit
Exponi: & habeat plurima quod non habent,
Vt ambigendi nemini detur locus.
¶ Neque hoc omittam, talis illa ne ſiet,
Vt aduocanda ſit dehinc reſtrictio
Tibi vlla, vel ſit aduocanda exceptio:
Quocunque vel ſit nuncupanda nomine
Quæ nominata modificatio
Sermone (fateor) Gallico, ſed qui nouus
Hoc ante noſtrum, credo, ſeculum fuit.

ASMA

ASMA XXXII, ſiue CARMEN XXXII.

VEL,

Epimetron II. ſeu Auctarium II, AD CARMEN XXX.

SI velit princeps ſuam legumlationem habere aliquid nouitatis, quæ huius materiam ſubminiſtrare poſsint:

HOC monita quãuis habueris inter mea,
Nouitatis eſſes cupidus vt multo minus,
Quàm deligendi ſuggerunt quod optimum
Leges aliorum: forſitan contra tamen
Nouitatis huius corripit pectus tuum
Cupido. nónne id vis mihi faterier?
Habeat & aliquid ergo legumlatio
Noui tua volo. nam tuæ cupidini
Videtur eſſe mos gerendus. cogita
Quam rem eſſe circa mãuelis princeps eam.
Hor tamen aliquod ante memini me dare
De puniendis acrius, ſeuerius;
Calumniarum peſſimis textoribus,
Quàm puniérit hos vlla legislatio.
Tibi placet iſtud? perplacebit, (hoc ſcio)
Meæ camœnæ ſi libebit Gallicæ
Hac de ſceleſta gente totam aduertere
Aurem. nec ipſam detinebit hac diu.
An iſta nouitas potius in votis tuis,
Reddatur illa litibus ſua vt via
Per te; via illa quam vocare regiam

l

Quidni licebit? Illa claudatur via
Ambagioſa quæ tot eſt anfractibus,
Diuerticula & habere quam tot cernimus:
Homines vt eſſe litibus ſuperſtites
Aliquando tandem, munere ex tuo, queant:
Quum mos ſit, ipſis potius has ſuperſtites
Hominibus eſſe. quæ Megæra protulit
Genus miſeriæ tale? nam recenſeat
Si miſeriarum genera quiſpiam omnia,
Homini videbit ſolam eam ſuperſtitem.
Viam ſed ad eam forſitan quæres via
Quæ ducere queat. vnicam puto viam
Quæ ducat illuc, ſi forenſes rabulas
(Sed quid forenſes eſt neceſſe adiungere?
Suis ab illis tot foris ad Minois
Forum AEacíve miſeris, vel Gnoſii
Rhadamantis. eſſe dictus hic ſeuerior.
Sed carmen iſtud clauſerim verbis libens
Mea camœna, nuper auditis mihi,
Hominum videbis quum genus quos rabulas
Latium vocauit, te tuorum cernere
Peſtem putato. naribus ſagacibus
Odorantur hi rabulæ veſtigia
Negotiorum: & perſequentes omnia,
Occulta veniunt litium ad cubilia.
Vel aliquis iſtud curat emiſſarius
Hac eruditus arte venatoria.
Procudere illis ora mercenaria

Eſt cura prima: nec latratibus fora
Implere ceſſant, præda donec capta ſit.

ASMA XXXIII, ſiue CARMEN XXXIII.

DE QVIBVSDAM Iuſtiniani verbis, quibus plerique abutuntur, vt probent, principes non teneri legibus; quibus ſuos adſtringunt. Præſertímque de abuſu iſtorum Vlpiani verborum, *Princeps legibus ſolutus eſt.* De iis qui cõtrà libẽter legibus ſuis obſequuti ſunt. Reſpõſio ad quandã obiectionẽ. Quomodo deo reſiſtere videri poſsit qui bonis legib. reſiſtit.

TAM *multa quorſum differo de legibus,*
Dubium manere ſi ſino de principe,
Hiſne teneatur ipſe pariter obſequi?
Nam ſuper & hac re nullus haud eſt ambigens.
Sed dubitet idem, ſitne munus hoc ducis,
Præire ſemper agmini: munúſne ſit
Artẽ docentis, regulas quas edocet,
Præſcribit & quas, his eiſdem inſiſtere.
Ecce inſuſurrat iſtud auri iam tuæ
Camœna, vt in commune ſiquid iuſſeris, Ex
Tu iuſſa ſubeas primus: obſeruantior Claudiano.
Fit populus æqui, tũncque ferre non negat,
Parere quando cernit autorem ſibi.
Edicta nulla ſic valent inflectere
Hominũ animos, regentis vt mores queunt.
Se mutuatam muſa non iſtud negat
Aliunde monitum, quod tibi perutile

Mutaſſe numeros, non item voces, ait.
In pectus iſta verba quum demiſeris,
Et in eo ſæpe, vera quàm ſint, volueris,
Auris adulantum reſpuet dictum vetus,
Præeſſe debes non ſubeſſe legibus.
Et pariter iſta reſpuenda dixerit,
Labefacta per quæ Baſsiani mens fuit,
An te imperare Baſsiane es neſcius?
Accipere leges non ſolere, ſed dare?
Atque memoratas antea tres voculas
Haud poterit auris ferre, Si libet, licet.
At iſta amabit, Superior non legibus
Eſt ipſe princeps, ſuperiores ſunt ſed hæ.
Quid? obſtrepétne veritati quiſpiam?
Codex nec ipſe (cuius eſt autoritas
Non parua tamen) iſtud ſibi perſuadeat,
Lex ſoluit illum iuris ex ſolennibus
Eſt qui imperator: *ſi quidem putandus eſt*
Dici ſolutus imperator legibus,
Quum iuris eſſe dicitur ſolennibus
Solutus. iſtis hunc licet ſenſum dare
Videamus auſos eſſe quoſdam vocibus.
Refutat illam ſed vel hoc audaciam
Nobis quod alius exhibet dictum locus,
Regnantis ea vox digna maieſtate ſit,
Profiterier ſeſe alligatum legibus.
Adeo vel ipſa autoritas regnantium
Autoritate pendet ex iuris. *Nec his*
Contentus ille eſt imperator: adiicit,

Submittere ſuum principatum legibus,
Imperio & ipſo maior eſt profectò res.
At Vlpiani id (inquient) ſententia
Euincere poteſt ipſe quod nobis negas:
Princeps (*ait ille*) legibus ſolutus eſt.
Leges ad omnes iſta verba qui refert,
Is Vlpiani vel ſciens vel inſciens
Detorquet aliò verba, dum cauſæ ſuæ
Seruire vult hæc. de duabus nanque ſunt
Scripta hæc ab illo legibus tantummodo,
Quas titulus oculis ipſe ſubiicit tuis,
Proponat illis iſta verba quàm prius.
Nam Papiæ ibi ſit mentio atque Iuliæ.
Nec Vlpianus ergo iam fiduciæ
Illius autor principi dicendus eſt.
Rideret immo, ſi redux ad nôs foret,
Et, Sicne verbis vos meis abutier?
Clamaret ille. Sic nihil verbis vetat
Quin poßit aliquis his abuti pauculis,
In iure ſcriptis, omnia eſſe principis:
Nec nullus iſtis eſt abuſus vocibus:
Multo tamen ab his maior incuſſus metus
Oppoſuit illi machinas abuſui.
Ride ergo poſthac, Vlpiano non minus,
Hanc indere volunt principum qui mentibus
Fiduciam, quæ redditur tam frigida.
Ride ergo princeps: potius & fac vt tuo
Vſque hoſpitetur illa vox in pectore,
Submittere ſuum principatum legibus,

Imperio & ipſo maior eſt profectò res.
Os id ſonare vera crede. principum
Eſſe ora poſſent omnium ſi conſona,
O quanta legum autoritas & dignitas
Tunc eſſe poſſet. Conſonat prouerbium,
Hanc patere legem cuius ipſe lator es;
Iſtis Charondas obſequens iuſſis fuit:
Vt qui, ſua quò moriger legi foret,
Quæ pœna tota debita fuit filio,
Cùm filio illam perlibens partitus eſt.
Dignus habeatur ille laude maxima
Antigonus, hæc qui ſcribit vrbibus ſuis,
SIQVID REPVGNANS LEGIBVS MANDAVERO,
FACTVM ISTVD ESSE CREDITE IMPRVDENTIA.

Opponat aliquis, Acquieſcit legibus
Suorum auorum principum pars maxima,
Aliiſve quarum maior eſt antiquitas:
Fert ipſa nullas, fért ve quampauciſſimas.
Addit quibuſdam, ſúntque detrahit quibus:
Aut mutat aliquid: ſúntque quas & abrogat.
Quid? acquieſcit quando princeps legibus,
Nónne profitetur has ſibi probarier?
Pondúſque dat idem, legibus quod quis daret
Quarum autor eſſet atque lator ipſemet?
Princépſque legi qui recuſat cedere
Ipſámque potius qui ſibi vult cedere
Legem, deo ipſi non minus reſiſtere

Nequit

Nequit increpari. nanque legumlatio
Humana ſi ſit (eſſe ſicuti decet)
Miniſtra legum queis voluntas eſt dei
Patefacta nobis: illa legumlatio
Si conſonans eſt ipſius iuſſis dei,
(Spectare capita quum libet primaria)
Sed comprehenſa paucis iſta vocibus
Extendit: atque (ſi loqui fas ſic mihi)
Species laborat in ſuas partirier
Dicta generatim: quis deo reſiſtere
Neget illud eſſe? velle, quod ius dicimus,
Leges loquentes ore ceu iuris ſacro,
Sua eſſe planè obnoxias libidini?
Totúſq; populus queis erit coercitus
Septis, eiſdem cur coerceri quoq;
Princeps repugnet, ſceptra cui vel maxima?
E populo vt ipſo nanque fateor ſingulos
Ipſo minores rege, multis partibus,
Vel principe alio: ſic, tibi proponitur
Quum corpus ipſum multitudinis ſimul,
Populúſve totus (breuius vt tibi loquar)
Illo minorem ſe negare vix poteſt.

ASMA XXXIIII, ſiue CARMEN XXXIIII.

VEL

Epimetron ſeu Auctarium AD CARMEN XXXIII.

LEGI, vt cuidam maioris dignitatis reginæ, parendum eſſe à principibus.

VERùm inſidebit (noſtra ni mens fallitur)
Pitho camœnæ potius in labris meæ:
Ideo loquenti commodes aurem velim.
In præpotente contigit quamuis tibi
Sedere ſolio, quod paternum iam fuit,
Et vllus haud eſt quo minorem te geras,
Niſi imperator ille ſummus cælitum:
Regina terras incolit quædam tamen,
Cui vel tiaram te decet ſubmittere,
Submittit omnis vt magiſtratus ſuos
Faſces libenter, magnus haud paruo minus.
Regina quæ ſit illa, me mirans rogas?
Eſt muta certè (quod magis miraberis)
Interpretes dans mentis haud paucos ſuæ:
Totóque ſunt quot in orbe linguarum ſoni,
Interpretes dat illa tot mentis ſuæ.
Regina quæ ſit illa, nondum coniicis?
Habet, dea uelut, hæc ſacerdotes ſuos.
Iuriſperiti munus iſtud dant ſibi:
Iſtas ſed ipſa ſuſcipit partes quoque
Iuſtitia: & eius incolit ſacrarium:

Vnde

Vnde arma promit, protegi quibus queat
Humana ſocietas. Quid hîc princeps ais?
An tu, illa quæ ſit, aſſequi nondum vales?
Vocata quondam prætor *hæc* mutus *fuit.*
Regina quæ ſit illa, nondum perſpicis?
Manus eius eſſe dictus olim carnifex.
Nec iſtud ipſum, quæ ſit hæc, tibi indicat?
Dicam ergo tandem, Nomen illi LEX *datũ.*
Huic ſi tributus ille reginæ fuit
Titulus, vetuſti calculo ſeclis quoq;:
Auguſtius nil, dignitate principis
Nil eſſe poſſe credito dignum magis,
Quàm ſolio honores & tribunal ſi tuo.
Sed iſtud eius longius non perſequar
Monitum, quod ante commemoraui tibi,
Præfixo eodem non tamen proœmio.
At eius ipſe verba ſubſequens meis,
Hortabor huic vt non graueris obſequi.
Regina honoris quidquid illi deferas,
Defers tibi ipſi. nam velut Lex *dicitur*
Regina muta, *dicitur* Rex, Lex loquens.
(Vt prætor *etiam* Lex loquens *vocatus eſt,*
Et nominata prætor *ipſa* mutus *eſt)*
Operáſque poſſunt tradere ſibi mutuas.
Nam muta quum ſit, eſſe non poteſt ſui
Interpres, aliquid ambigi quum contigit:
(Seu minus apertè ſcripſit illa quidpiam,
Siue ambigendi repperit ſibi locum
Malitia quadam callidam mentem gerens)

At ipſe queat hoc fungier rex munere.
Sic rex ab illa commodum magnum capit.
Nam fragilitati quum pariter obnoxius
Humanæ & ipſe ſit, vocari & quum queat
Animal ad auram quamlibet mutabile
Simul & amoris, & ſimul odij: preces
Nec non ad omnes, lacrymas, & munera:
Quid faceret, & quò (quæſo) ſe, quò verteret,
Quum venia petitur precibus atq; lacrymis,
Sit qualecunq; quod patrauit quis ſcelus?
Nunc, precibus atque lacrymis ſuccumbere
Se poſſe cernens, hunc & hanc, quum ſupplicans
Aduoluitur quis ad genua, remittere
Reginam ad illam mox poteſt, quæ non minus
Eſt ſurda, muta dicta quàm prius fuit.
Idcirco rigida perſtat, & ſeruat ſuum
Tenorem, & omnes omnium aduerſus preces,
Lacrymáſq;, & omnes omnium aduerſus minas.
De rege dicta, quolibet de principe
Putato dici, vel minore cæteris.

Epimetron ſiue Auctarium AD CARMEN XXXIIII.

DE ALIA obiectione, qua lex regia proponitur. De iis propter quæ principes non grauatè legibus obſequium præſtare debeant.

DECISA *lis hac iam mihi tanquam foret,*
Abitum parabam: iámque ſe pes verterat
Verſus patentis latius campi latus,

Quum

Quum ſubitò mentem pulſat hic timor meam,
Abſente ne me iura proponat noua
(Eſt vt loqui mos) noſter aduerſarius,
Poſt qua triumphet, atque ſe cauſam ſuam
Fulciſſe dicat maximo firmamine.
Hæc primùm ab illo quæſtio mouebitur,
Quid ergo prodeſt regibus lex regia?
Lex regia (inquam) qua poteſtas, quæ penes
Populum manebat antea, in reges fuit
Tranſmiſſa? quid eos hæc iuuat, quandò iubet
Vt placita regum ſint ei legum loco?
Voléntq; fatear, & minores regibus
Ius obtinere poſſe principes idem.
Sed quid ſi & ipſis illa ius quod regibus
Quæ nominata regia eſt lex arrogat,
Diuinum haberi ius decet, non regium?
Et vnde (quæſo) poßit huic autoritas
Tanta eſſe legi? iam mihi reſpondeat
Iuriſperitus quiſpiam (nam talium
Verſatur illa ſæpe lex in oribus)
Quando ſit & à quo lata ſit, verbis quibus
Concepta. ſi non & parentem nominant
Legis loquentis adeo verba grandia,
Audebo pariter grande verbum proloqui,
Pro lege habendam potius eſſe ſpuria.
Legitima verò quæ vocari, haud ſpuria,
Poßit, reperta cuipiam ſi fortè ſit,
Is magna dignus conſequi ſit præmia
A principe omni: vellus omnis aureum

Sibi

Sibi eſſe dicat, quod queat vel vincere
Ab argonautis magna per pericula
Aduectum, & ipſa quod grauata Tethys eſt.
Tamen eſto, leges inueniri regias,
Quæ iura vel dent plura quàm lex regia,
Rumore nobis eſt tenus quæ cognita:
Nihil morentur principes illas boni.
¶IMPreſſionem faciet hîc verba in mea
Hanc pariter ille noſter aduerſarius,
Quam fronte prima quis timendam iudicet.
Sátne tibi conſtas? eſſe quem vis liberum,
Huic renuis vt ſit & ſolutus legibus?
An liber ille, vincla quem legum tenent?
Detruſus harum qui velut in ergaſtulum?
Cui pœne ab his ſunt iam timendæ compedes?
Occurro dictis illius ſic protinus,
Iucunda, leges, atque res cui grata ſunt,
Haud certè earum ſint moleſta vincula.
Sic ſæpe amicæ quis tenetur vinculis,
Dulces catenas illa vincla ſed vocat,
Illis ſolutus eſſe vinclis nec velit.
Dominámq; quamuis nominet, quamuis ſibi
Hanc imperare dicat, iſtud attamen
Exuere quamuis poſſit, haud vnquam velit,
Subire quod amor perpulit mentem iugum.
SECundus iſte ſubſequetur impetus,
Quas ergo leges loqueris? vllas principi
Quis tam placere poſſe leges dixerit,
Niſi quas ſuam ipſe tulerit ad libidinem?

Quas

Quas tulerit ipſe commodo allectus ſuo?
Verùm loquetur iſta quiſquis, principem
Bonum inter atque quem tyrannum dicimus,
Diſcrimen omne tollet. is princeps bonus
Docilíſq; recti, muſa cui carmen dicat,
Præcogitabit hoc, medicaminum vicem
Præſtare leges: atque amari ſint licet
S ucci, medicorum porrigit quos dextera,
Neceſſe tamen illos ab ægris ebibi.
Præcogitabit, corpus vt ſcit plurimis
Obnoxium eſſe non minus morbis ſuum,
Habere mentem ſic ſuam cum cæteris
Commune & iſtud hominibus periculum.
Maliſque corpus vt gerens humoribus
Morem, ſibi cupit multa quæ ſunt noxia:
Ita poſſe prauis hanc gerentem affectibus
Morem, atq; amori vel odio forſan ſuo
Plus obſequentē quàm decet, (nam quod animal
Ad omnem amoris magis & odij mutabile
Auram? indere ſuis conſilia præcordiis)
Preſſura quorum eſt terga pœnitentia.
Omittam vt illud ira quod ſuaſerit.
Leges nec iſto non amabit nomine,
Securitatis eſſe quòd cauſam ſua
Eas videbit. cupiet ergo pondus his
Suum manere, cupiet his autoritas
Vt ſarta tecta perſtet. huius attamen
Voti eſſe compos vllus an princeps petit,
Qui tantum in illas ſibi licentiæ arrogat,

Vt

Vt auſit ipſis obloqui loquentibus?
Obſtrepere vt auſit, auſit os occludere?
¶ *Neq; tamen vllus iuret ita princeps velim*
(Monitus hoc ante iam fuiſti ſat mihi)
In verba legum, nil reſeruet vt ſibi:
Sed caueat iſtud omnibus præ cæteris,
Ne lenitati ianuam claudat ſua.

ÆSMA XXXV, ſiue CARMEN XXXV.

DE CAVTIONE adhibenda in delectu aliorum magiſtratuum: & eorum nominatim qui ad ærarium pertinentia adminiſtrant.

IVDICIBVS *ille ſermo qui fuit ſuper,*
Differere cœpit aliquid & de legibus:
Sicque eſt coactus à via diuertere
Sua parumper: nunc magiſtratus redit
Ad cæteros is (non ſequor qui iudices
Vocare pariter haud magiſtratus volunt)
Quales ſolent qui nominari præſides,
Qui præpoſiti *(vox unde facta Gallica:*
Sed Latia ſolita lingua præfectos *fuit*
Vocare, haberet dum priores cæſares)
Illiq; nomen eſt quibus quæſtoribus.
In his quoq; tibi ſit legendis maxima
Cura: vitiis vt noueris potiſſimum
Illis carere, maius à quibus ſiet,
In functione quam dabis, periculum.
Eſt eligendus dignitas quæſtoria

Cui

Cui detur? ille non auarus ſit uide.
Nam facere quæſtor hic volet quæſtum ſuum
Omnes per artes, & magis quæſtor ſibi
Ille eſt futurus quàm tibi. necnon tamen
Odio flagrabis ipſe vel multo magis
Quàm flagret ille: quòd tuo deglubere
Iuſſu putabunt quotquot hac iniuria
Afficiet. Illi tenuis haud res ſit velim.
Nam reddere amplam ſumptibus tuis volet.
Nec diues ille ſit quidem, ſed ære ſit
Preſſus alieno: quo leuet ſe per tuum.
Nec diues ille ſit quidem, ſed prodigus
Aut luxui ſit deditus. Præ cæteris
Sit ne aleator. principem non eſt ſatis
Haud aleari (cæſares quoſdam ſuos
Sæpe aleantes Roma viderit licet)
Sed & videndum ne miniſtri quos habet
Sint quos pariter dixere teſſerarios.
(Nanq; aleator dictus & hoc nomine)
Potiſsimúmq; cura queis ærarij
Eſt vlla. magnum hinc imminet periculum,
Ne nudet illos pro ſuo more alea,
Luſum & per illum principem ludat quoq;,
Licet immerentem: faciat & ludum omnibus,
Quum ſeminudus redditus ridebitur.
Præfecti & ipſi, ſiue dicti præſides,
Si ſint auari, res vel his anguſtior
Si fuerit, amplam cogitent quam reddere,
AEs vel alienum ſi velint diſſoluere:

Nec

Nec hîc parum eſſe cogita diſcriminis,
Quodcunq; munus quæſtuoſum ſit datum.
Subit memoriam quidpiam digniſsimum
Loco hoc referri, quod hilaret mentem tuam.
Dum regis aula me teneret proximè
Necati (ab ore triſte quàm uerbum exijt)
Huius rogauit fortè mater coniugem
Viri tenentis inter illuſtres locum,
Cui muneris erat functio haud pridem data
Valdéque honori, quæſtuôſi nec minus,
Domine (quæſo) ſalua vobis omnia?
(Nanq; his Latinis noſtra poſſunt exprimi)
At illa, ſimplex, atq; reginam putans
Quod neſciebat ſcire, & illuc tendere,
Bellè ſe habere domina (gratia dei
Tuáq;) res cœpere noſtræ. Et hæc volens
Illi explicare, Tempus (inquit) eſt breue
Maritus ex quo munere illo fungitur,
AEris alieni ſed tamen iam plurimum
Diſſoluit ille. Riſus ex his illicò
Reginæ obortus fecit illi vt manſerit
Sermo inchoatus. hæc, Aliud (dixit) fuit,
Animus auebat quod meus cognoſcere.
Ab ore verba ſic profecta ſimplici
Reginam ad illam nil minus quàm ſimplicem,
Eam monebant (id monenda ſi fuit)
Núncque monitorum ſunt tibi princeps loco.

ASMA

ASMA XXXVI, ſiue CARMEN XXXVI.

De quibuſdã magiſtratibus ſeculo noſtro nouis futuris, quos tamẽ requirere videtur: præſertimque de cẽſura, ſeu dignitate cenſoria. De quodam magiſtratu, qui hactenus ne de nomine quidem notus fuit. De cautione maiore in legatorum delectu adhibenda.

ADDENDVS *aliquis num magiſtratus nouus,*
Demendus & num ſit aliquis, nunc cogito.
Sed ſcit odioſam noſtra muſa ſe fore,
Si de abrogando quid loquatur quopiam.
Nullúmq; linguæ ſuggerit nunc mens mea
Dignum abrogari, ſuggerit quos cenſeat
Eſſe aggregandos: illa quos valde libens
Tibi memorabit. Iámque facta mentio
Vnius antè tibi magiſtratus fuit,
Iungendus eſſe viſus eſt qui cæteris.
Nomophyla*κων vt obtineret is locum,*
Princeps, volebam. Græcia quid hoc ſonat?
Cuſtodia legum queis data eſt, ſonat quidem:
Agi ſed illis ſcito de cuſtodibus,
Sartum atq; tectum qui tuentur legibus
Quod illæ habent ius. dico plus, cuſtodibus,
Queis eſt neceſſe functionis vt ſuæ
Quiſq; rationem reddat, & pœnas luat
A legibus ſi contigit diſcedere.
Huic ſimile munus noſtra Gallia exhibet

Viris in illis quos ſua lingua vocat
Contrarotularios. *ſed eſt iſtis minus*
Autoritatis: quámq; nobis varia ſunt
Munia:(vocare functiones ni magis
Tibi libebit officia *quæ dicimus)*
Tam varij & illi. quodq; nam ſuos habet.

SED *nomophylakωn quũ nomẽ & cẽſoribus*
Poſſe videatur conuenire non minus,
Noſtróq; valde dignitas cenſoria
Sit apta (noſtra teſte muſa) ſeculo:
Et vlla vix ſit, conijcere quantum datur,
Accreſcere aliis quam velit libentius:
Quædam ſuper ea diſſeram: verſus ſuos
Mihi ſinet eſſe muſa nunc exordium.
O quid fuiſſet Roma priſco ſeculo,
Hæc ſi abfuiſſet dignitas cenſoria?
Sui monumenta quæ dediſſent poſteris
Mores Quiritum, ſi notæ cenſoriæ
Nullæ fuiſſent? tempore an tanto locum
Suum tenere ciuitate in Romuli
Pudor, & honeſtas, & decorum quod vocant,
Poterant? aperta luxui quum ianua
Laſciuiendi poſceret licentiam
Vſq; ampliorem? Coniugem dimiſerat
Si temere quiſquam, ſacra coniugalia
Spreta eſſe cenſor, his ſacris iniuriam
Factam eſſe cenſor clamitabat: illico
Motum ſenatu, ſi ſenator hic erat,

Omnes

Omnes videbant. Ea tamen dimiſſio
Crebra erat, & habita res fuit leuiſſima,
Omnino temere dicerent factam licet.
Hæc muſa priſcis noſtra de Quiritibus:
Quorum vocari poſſe mores aureos
Quis iure dicat, moribus ſi conferat
Cum poſterorum: dignitas cenſoria
Illo ſuum ius quòd teneret ſeculo.
En, aliud illo quod magis mirabere
Exemplum habebis: Facta quum mutatio
Morum fuiſſet magna iam: quum iam gulæ
Multi obſequentes fierent, licentiam
Tantam & dediſſent luxui, vt frugalitas
Res abominanda crederetur plurimis:
Tamen epularum ſumptibus lex eſt data.
Sed huius oſor maximus, Duronius,
Plebis tribunus, auſus eſt conſcendere
Roſtra, auſus eſt hæc concionari ſuis,
Vobis Quirites frena nunc iniecta ſunt, Ex Valerio.
Nullo toleranda quæ modo vobis erunt.
Conſtricti amaro ſeruitutis vinculo
Nunc eſtis omnes. lata quæ nunc lex, iubet
Vos eſſe frugi. iuſſa, iuſſa talia
Antiquitatis horridæ rubigine
Dicenda quæ ſunt obſita, *atq; ſeculo*
Indigna noſtro, prorſus atq; moribus
Indigna noſtris, abrogemus *illico.*
Quorſum data nobis nanq; libertas erit,
Luxu perire ſi volentibus haud licet?

Ac ſeditioſa concio hac Duronij
Haud irrita fuit: abrogatur illa lex.
Sed non poteſtas voluit hunc cenſoria
Impune ferre ſemper id. nam poſtea
Factus ſenator quum fuiſſet, ordine
Hunc ſuſtulerunt ex eo: nec crimini
Aliud dederunt quàm quòd auſus hanc foret
Legem abrogare dum tribunatum tenet.
Depulſus ex hoc fertur alius ordine
Ob comparata vaſa quædam argentea,
Vſq; ad decem pondo. eſſe luxus hîc quoq;
Viſus, malíq; dictus exempli fuit.
Catoni & inde Flauius ſubmotus eſt,
Quòd adminiſtrat ille dum prouinciam,
Quendam ſecuri noxium percuſſerat,
Ad arbitrium ſpectaculúmq; fœminæ,
Amore cuius captus eſſet, tempore
Accommodato ſupplicij. Turpis metus
Exacta pœna non minus ſeueriter.
¶ Cuſtos pudoris quum magiſtratus ſit hic,
Cuſtodis habeat hunc honeſtas quum loco,
(Tutoris aut ſi dicere hunc malis loco)
Præſidium in iſto quum bonis ſit moribus:
Quàm Chriſtianis hoc inexcuſabile,
Eo carere quo putarunt ethnici
Sibi haud carendum? Roma ſaltem dum fuit
Roma prioris perſequens veſtigia.
Atqui duos ſi cæſares quis excipit,
Aut tres, vel etiam quattuor, luxus minor

Colen-

Colentibus tot atq; tot falſos deos,
Quàm Chriſtianis nunc ſient ſub ritibus,
Quibuſdam in oris.inter & quas Gallica
Locum tenebat, ante Martis quàm furor
Tanto impiatam reddidiſſet ſanguine.
Quúmque duo poſſent eſſe cenſores ſatis
Romæ, vna poſcat vrbs, licet Roma minor,
Octo decémve: ſitque reprehenſio
Nunc iure maior atq; caſtigatio.
Nam rarò luxus veſtium ethnicis fuit
Cibóſque circa: (dempſeris ſi cæſares
Duóſve tréſve) cernis vt nunc plurimi,
Qui vix in albo ſint locandi illuſtrium,
Duo iſta iungant. Vſitata plura nunc,
Natura clamet eſſe quæ pugnantia
Sibi ſuiſque legibus. quorum vel hoc,
Viri quòd aures nunc ſuas inauribus
Ornare gaudent: fœminis illuſtribus
Ornatus eſſe quum ſoleret proprius.
Nec niueus iſtis nunc placet tantùm lapis,
Aliúſve, rubri aut Indici donum maris:
Appendit auri pondus & quis, quod magis
Deducat aures fœmineis inauribus.
Spectare quòd ſi mauelis quas ſeculi
Noſtri gula artes artibus ſuperijcit:
Non vniones ex aceto dat ſuo
Ventri (furioſus iſte & immenſus fuit
Sumptus, ſaporem nec tamen gratum ferens)
At delicatos quod cibos omnes putat

Poſſe ſuperare: ſed quod vel magis poteſt
Offendere illam quæ parens dicta omnium,
Quàm ſi vniones in cibum vertas tuum.
Natura nanque fœdius ſpectaculum
Humanitáſq; poſſit vllum cernere,
Et eſſe triſte quod magis poſſit ſibi,
Quàm quum quibuſdam cernit eſſe fercula
E ventre matris erutos tenellulos
Fœtus: miſella, cerua ſeu, mater ſit hæc,
Seu mater hæc ſit ſuibus ex ſylueſtribus.
Peccata ſed ſunt iſta tantùm diuitum.
Peccatur aliud in quibuſdam gentibus
Et à popello. quod ſit huic diſpar licet,
Diſpárq; multum, non negaueris tamen
In numero eorum collocare poſſe me
Inuiſa ſibi natura quæ dicat gemens,
Et legibus quæ fieri inuitis ſuis.
Quidnam? quid iſtud? caſeus corruptus eſt,
Multóſque vermes peperit hæc corruptio:
Illis placet tum caſeus, vermes magis.
Romanus aliquis cenſor ad nos ſit redux,
Quid ille dicat? ni ſtupor loqui vetet.
Nam qui obſtupeſcat facta non ad talia?
Sed hunc creare ſi magiſtratum tibi
Princeps libebit (vt te velle peruelim)
Ignota priſcis alia multa ſeculis
Vitia, ſimúlq; quotquot & fuere tum,
Materia ſunt ei futura ampliſſima.
Vbiq; tamen haud debet exemplo tibi

Eſſe illa qualis tum fuit ſeueritas.
Nolo referatur aliquis in ærarios
Ob iſtud, eſt quòd ſue equo curatior:
Iocus vel eius ore quòd quis excidit,
Scurrile habere qui putatur quidpiam.

¶ MEN*tem meam inter atq; linguam ſentio*
Diſcordiæ quid. iſta non vult eloqui
Quod dictat illa. Se pudore clamitat
Iſta retineri. r gerit illa, An impudens
Vnquam tibi ſum viſa? an, erubeſcere
Vllam coacta vel fuiſti ad voculam
Meo eloquuta quam fores hortamine?
Præcurrere ſua lingua mentem plurimis
Solet: itidem tu, me volens præcurrere,
Pudore digna ſiqua proloquuta ſis,
Pudoris huius autor ipſamet tibi:
In me immerentem parce culpam impingere.
Sed iam redire ſentio concordiam:
Parata lingua eſt, quæ iubet mens, proloqui.
Attentus animus ergo fac ſit vt tuus.
Mihi placeret & magiſtratum inſuper
Alium creari principe à meo nouum:
Nouúmque nomen cui daretur, & velut
Nomophylakes *ſunt nominati Græcis,*
Commiſſa legum queis erat cuſtodia:
Id eſt, tuendi cura leges tradita,
(Cura illa cujus antè facta mentio)
Demophylakes *ſic dicerentur, queis foret*

Commiſſa populi peruigil cuſtodia
Aduerſus omnes impetus potentium.
Sed dico partis illius potiſsimum
Quæ plebs vocatur. hîcque ſis memor velim
Legationis quam mea muſa obſequens
Obiui apud te. plena nunc petitio
Noſtra eſt futura, ſemiplena quæ prius.
Abſit, tribuni plebis vt quales erant,
Tales & ipſe cogitem, cuſtodiam
Mandare populi te quibus velim tui.
Populum tribunis cura ſola non fuit
A tot potentum vindicare iniuriis:
Hunc concitabant, & valebant reddere
Potentiorem ſæpe præpotentibus.
Tantùm per illos hoc vt indices peto,
Quàm tu eſſe populi paſtor ambias bonus.
Finiuit vt mens, lingua ſibi dari rogat
Veniam: quòd illam de tribunis antea
Quid cogitare credidiſſet. Hanc dedit.

¶ SERmonē & *illum ſubſequutus iſte mox:*
Eſt munus aliud quod quidem non eſt nouum,
(Ceu quod memoraui tibi modò cenſorium,
Noſtro nouum eſſet ſeculo: priſco quoque
Nouum vt fuiſſet munus illud alterum)
Sed indigere cautione quod noua
Mibi videtur. hîc loquor de munere
Legationis. dicitur legatus, *is*
Qui fungitur eo munere: & ſic dictus eſt

Paſsim

Paſſim Latinis: à quibus (ſed rarius)
Is nominatus pariter orator *fuit.*
Quam cautionem poſtulas (dices) nouam
In munere iſto, temporarium quod eſt?
Vt cautior delectus illius ſiet
Cui dabitur iſtud muneris: tum maximè
Quum ponderis erit res agenda maximi.
Volo conſulatur hìc honori principis,
Non eius ab eo mittitur qui principe:
Multo illud eſſe quum ſciam frequentius.
Ambitur iſta nanque pariter dignitas:
Et nomen aliquis vult ſuum clareſcere
Per hanc: ſed inde maximum diſpendium
Fert ipſa fama principis ſæpiſſime.
Iudicium in illo nanque tum deſiderant,
Legatus eius muneri quum non ſuo
Idoneus eſſe iudicatur: nec capax
Huic eſſe pectus illius prudentiæ,
Solertiǽ que, munus id quam poſtulat.
Me docuit uſus iſta quæ tibi loquor.
Verſatus olim nanque ſum cum Gallicis,
Extraneiſq; tum fui cum plurimis
Frequens: ferebant plura puncta Gallici.
Nec mira res hæc: nanque literariæ
Scholæ ſcholam omnes aulicam coniunxerant.
Siquando miſſi ſunt duo, tunc ſi minus
Inſtructus vnus literis, tanto magis
Alter. & hic alter erat eccleſiaſticus:
(Ceu nominare moris eſt lingua meæ)

Vt quum Marillacus atq; Bourdillonius
Venere ad Auguſtana comitia, vt ſimul
Legationis fungerentur mûnere,
A rege miſsi Ferdinandum ad cæſarem.
Monlucius ille, vir foret qualis, poteſt
Sat eſſe teſtis ipſa vel Polonia.
Hanc arte mira pariter & facundia
Linguæ Latinæ flexit ad regis ſui
Nutum, atque fregit peruicaces ſpiritus.
Quod ergo monitum nunc datũ eſt, eo minus
Dici indigere principes noſtri queant:
Poſſe indigere non tamen negauerim.

ASMA XXXVI, ſeu CARMEN XXXVI.

DE afferenda à principe magiſtratibus ſua autoritate, ſic tamen vt ei ſua ſarta tectà maneat. De principibus qui magis curant quot habeât qui fungantur magiſtratibus, quàm quales eos habeant; idemque ſpectantibus & in conſiliariis. De iis item qui, licet boni ſint conſiliarij, poſtquam tamen eorum conſilia audierunt, ſuum tãtûm ſequuntur. Cauendũ eſſe principibus ne vel magiſtratibus nõnullis, vel cõſiliariis ſuis, vel aliis amicis, interdum & miniſtris, aut coniugi, vel amicæ, tãquam ſuis rectoribus, ſe addicât & velut obnoxios reddât.

VALERE *poſſint vt magiſtratus tui*
Autoritate, qua valere eos cupis:
Autoritatis autor huius ipſe ſis.

Decreta

Decreta eorum (quidquid obſtrepatur his)
Ne facilis eſto, ſi ſapis, reſcindere.
Omiſſa ſiqua ſit forenſis formula,
(Vox noſtra quales continet formalitas)
Obrepſit alius error aut ſiquis leuis,
Reprenſio tua pariter hîc eſto leuis.
At peccet aliquis digna ſi pœna graui,
Periclitatur tunc autoritas tua,
Mutetur iſta pœna ſi grauis leui.
Vide tamen vt ſit illa pœna ſic grauis,
Vt illi ineſſe non queat crudelitas
Dici (vt refertur pœna regis barbari,
Fuit expetita quæ malo de iudice)
Ineſſe iuſta ſed modò ſeueritas:
(Quæ facilè ad illam ſæpe tranſit alteram)
Sic nanque princeps in malos dum te geres,
Autoritati conſulens eris tuæ.
Ac, quum viciſſim te geres ſic in probos
Vt antè monui, ſaluam eis linques ſuam.
Nolo ſuperbus fiat vllus interim
Autoritate quam libens ipſi adſtruis:
Ceu ſe minorem gerere te non debeat,
Et in rebus eis limites ad quas ſuos
Eius poteſtas iure prouehit ſuo,
Sibi quod ab ipſis legibus dari videt.
Qualis aliquorum poſſit arrogantia
Fortaſſe dici, qui magiſtratum volunt
Imperium habere, principe haud minus, merum.
¶ *Caue & imiteris neſcio quos principes,*
Qui

Qui quantus horum qui magiſtratus gerunt,
Sibi ſit vſus principatui & ſuo,
Haud mente voluunt: ſed, velut res ſplendida
Tantùm ſit iſta, quæ'q; famæ ſeruiat,
Curare quot ſint, non, ſient quales, ſolent.
Nautas vt aliquis ſi putet rem ſplendidam
Et glorioſam quòd habeat quamplurimos,
Parum peritos nauticæ licet rei.
Itidémq; in illis conſilia quorum ſequi
Seſe profitentur velle, quot ſient, magis
Curare, quàm quæ præditi prudentia,
Solent. quaſi turba magna conſiliantium
Quæratur haud vt ſeruiat negotiis,
Sed gloriæ illi pompa quam dat aulica.
Conÿcere cuius hæc vel ex incuria
Licet, ipſa quanto conſilia contemptui
Habere ſoleant, conſulant quamuis eos.
Cenſura meritò principes illos notet,
Conſulere tales qui viros non negligunt,
Conſilia quorum ſic habent neglectui,
Vt quæ vocanda prorſus inconſulta ſint:
Cenſura ſed eos iuſtius certè notet,
Qui ſe arbitrantes eſſe conſultoribus
Prudentia qui præditi circumdatos,
(Opinióque non eos fallit ſua)
Conſulere cunctos non habent neglectui,
Sed conſilia valere longum poſtea
Sinunt eorum, propria dum volunt ſequi.

AVTO-

AVTOritatis ne tamen tantum dato
(Nanq; es monendus hac mihi de re amplius)
Viro vlli eorum qui magiſtratus gerent,
Tua inde tandem poſsit vt decreſcere.
Paritérq;, quibus vtere conſultoribus,
Tibi fideles eſſe quamuis noueris,
Horúmq; noris artibus prudentiæ
Scatere pectus: ne tamen ſic omnia
In hos recumbant, & regantur nutibus
Horum, vt puteris ipſemet per hos regi.
Duos pudore magno digna cæſares,
Qui quintus & qui ſeptimus (non peſsimos
Inter locandi, intérve ſecordiſsimos)
Peccaſſe iure dixeris: dum non cauent
Cauere carmen vnde te monet meum.
Nam Galba ſic ſe geſsit, (id non prauidens)
Infamia nunc vt laboret maxima,
Dum legimus illum ſe tribus rectoribus — Ex Sue tonio.
Sic tradidiſſe, vulgus vt iocans eos
Illius eſſe pædagogos diceret.
Peiora memorat Claudio de Cæſare
Idem ille ſcriptor. nanque ſe non principem — Ex eodem.
Egiſſe narrat, ſed miniſtrum quempiam:
Certis quibuſdam dum miniſtrorũ è grege,
Vxoribúſque viuit addictus ſuis.
Exempla moneant iſta te: (nam me piget
Alia aliorum perſequi tot cæſarum,
Quos ipſa Roma vidit contemptiſsimos,
Eius labare cœperant quum cardines.

Eunuchi & illis cæſarum rectoribus
Fortaſſe poſſent adijci quamplurimi.)
Exempla moneant iſta te, ne vocibus
Miniſtri, amici (vnus ſit ex eis licet
Qui conſilia dant) ne propinqui, aut coniugis;
Aut liberorum, queis ſit ætas grandior,
Aurem aſſueſcas adeo credulam dare
Vt blanda Siren quiſq; menti ſit tuæ.
Quid dico? ea ſint ne tibi ſic illices;
Vt auris illas hauſerit poſtquam tua,
Circæa poſſit & videri pocula
Hauſiſſe pariter pectus: aut ne denique
Veternus illud occupet totum grauis.
O ſi referre liceat huius ſeculi
Exempla, proh quot maximorum principum
Penetraſſe peſtis iſta dicetur domos?
Nanque eſt videre (mira, vera res tamen)
Qui ſic amico cuipiam, vel pauculis,
Qui ſic miniſtro vel miniſtris pauculis
Sua manciparint pectora (haud expertia
Quæ viſa fuerint antea prudentiæ)
Vt, tanquam in horum verba iam iurauerint;
Solámque eorum debeant fidem ſequi,
Probent quæcunq; fecerint vel dixerint,
Examiníque ſubijci nulli velint:
Licet aliorum (forſan & cingentium
Sæpe latus illis non minus) facta omnia
Et dicta ſoleant ponderare, & cæteris
Rebus adhibere perſpicaciæ ſatis,

Etiam

Etiam ſeuero digna quæ ſit iudice.
Mitto, propinquis hoc qui ſe modo ſuis,
Mitto ſuæ qui mancipant ſe coniugi:
Mitto qui amicæ cuipiam, aut amiculæ.
Magis ab amicis ſed quis hoc mirabitur,
(Minus ab amica, mente ſæpe quæ mouet)
Magis à miniſtris: vnde faſcinatio
Contingat illa, quæ tot euertit domos.
Ni fallor, herbas præbet aſſentatio
Primas ad illam. Sed ſatis tamen mihi
Tanto monere de malo te principem:
Scrutetur alius totius cauſam mali.

ASMA XXXVII, ſiue CARMEN XXXVII.

PRINCIPIS pleriſque in locis præſentiam magna commoda afferre: atque adeo hâc poſſe dici vrgere ad fungendum officio, non minus quàm Turni in prælio præſentiam. De ſimulata ſeu mentita principis pręſentia. De vicaria amici præſentia. De præſentia quæ diſsimulatur, ſeu celatur: ſiue de clancularia præſentia. Sed principi qui fidos habeat amicos, necnon fidos miniſtros, minus eſſe neceſſariá talem præſentiam. Neque tamen ita videri explorandos vtroſq; vt quidá cẽſuerũt.

VERùm fideles ſint licet vicarij:
(Sic adminiſtros nominabo nunc tuos,
Siue datus à te queis magiſtratus fuit,
Seu conſilia tibi miniſtrant qui ſua)

Licet

Licet fideles ſint tibi vicarij,
Autoritáſque plurimum licet tua
Autoritatis poſſit his adiungere:
Spectata eorum de fide præconium
Vbi tua lingua ſparſerit latiſſimè,
Operámque nauant quam tibi quum dixeris
Implere voti maximam partem tui:
Ad omnia tamen pondus eſt magnum quibus,
Præſentia tua non parum præponderat.
Nec crede ſolo Martis in certamine
Vrgere domini plurimos præſentiam.
Et Turnus, & cui dignitas par eſt viro,
Opus ſua vrget Martium præſentia:
Sed tu loca tamen non minus præſentiam
Exigere credas illa principis ſui,
Aſtræa quondam præſes in quibus fuit:
Induruiſſent are ſecla quàm prius,
Durata ferro quæ rigente poſtmodum.
Illa loca dico iudices vbi ſedent,
Viri vt potentis arceant iniuriam,
Necnon ope legum ius vt inopi fulciant.
Quàm pulchra fuerit copula hæc, quā ſplendida,
Quæ ſolium honores & tribunal iunxerint!
Laudata multum fuerit hæc vt antea,
Iterans eaſdem (quid vetat?) laudes & hîc,
Hoc pace Martis (grata cui pax eſt parum)
Dixiſſe liceat, Principi haud pulchrum minus
Ibi præſidere, maximis quàm copiis.
Sit hîc triumphus fortitudini ſuus,

Ibi

Ibi triumphum iuſtitia habeat ſuum.
Ac non ibi modò principis præſentia
Afferre magna rebus eius commoda
Poſſit: ſed aliis plurimis queat locis
Præſentia iſta principis cuiuslibet,
Sua ornat etiam dote quem prudentia,
Afferre decoris plurimum atq; commodi:
Ceúque eſſe quædam dignitas cenſoria,
Loquens aliquando, muta ſed ſæpiſſime.
¶ *Hanc (dicet aliquis) principis præſentiam*
Et ipſe multum prædico: ſed quî poteſt
Simul intereſſe, qui ſit vnus, tot locis?
Vbi prœliandum, poſſit & præſentia
Simulata rebus commodare principis.
Nanque intereſſe te putabit agmini
Pars magna, maior & quidem pars militum,
Quamuis remotus inde ſis longiſſimè,
Præſentiam ſi fama ſparſerit tuam:
Ductúq; tanquam militabit ſub tuo.
(Magnæ ſub iſta copiæ fallacia
Geſſere ſæpe fortiora pectora,
Feliciores & dedit Mars exitus)
At non & alibi principis præſentia
Simulata veræ pœne vires obtinet.
Hoc ergo ſaltem poſtulo, nulli loco
Negare tali hanc vt velit: nec, quò frequens
Venire nequeat, nolit illuc infrequens
Venire: ſemper dubius vt ſaltem ſiet
Aduentus eius. eſſe promiſſus poteſt

Quæ fama diues, diuites huius ſpei
Pleroſq; reddat. (nam quibus eadem metum
Incutere poſſit, his queat quî ſpem dare?)
Saltem voluntas principis (fama tenus)
Illa veniendi nota non ſit nemini.
Et, quod aliquando fecerit, nunc hoc idem
Facturus eſſe dictitetur: ac duo
Hinc conſequantur, magna quæ ſint, commoda:
Vt ſpes honoris, eius ex præſentia,
Quam cœtus omnis mente iam conceperit,
Ferat aliquantum honoris exſpectantibus,
Saltémque velut honoris illis vmbra ſit:
Vtque moneantur inde, diligentius
Fideliúſq; munus exſequi ſuum:
Superuenire ne remiſſe agentibus
Contingat vnquam (quod verentur) principem.
Ac ſicut illa in prælio præſentia,
Simulata nobis nominata iam fuit,
Simulata poſſit iſta pariter dicier.
(Illa ſimulata, tanquam nempe iam ſiet,
Iſta ſimulata, ceu breui futura ſit)
Mentita necnon nominetur haud malé.
¶ *Sed quid ſi amicum mittere libet principi*
(Aliquando ſaltem) præſidere qui loco
Dignus ſit illi, creditur princeps vbi
Præſes futurus? cæſaris res neutiquam
Iſta caritura fuerit exemplo: docet
Hiſtoria factum tale quarti cæſaris.
Autoritatis hoc amico plurimum

Illi

Illi det: iſtud ſed decet perpendere,
Vt deligatur qui futurus gratus eſt,
Dignúſq; multis eſſe iudicabitur
Vicaria illa (ſic voco) præſentia:
Perſona magna quòd ſit, inter cætera,
(Licet ille quartus cæſar haud hæc omnia
Spectaſſe facto credi in iſto debeat.)
Nec fama mendax prorſus hîc futura ſit,
Quum principis tenere promiſſi locum
Omnes videbunt hunc amicum principis.
¶ Sed ſermo noſter principis ſit vt redux
Præſentiam ad eam, ferre quam nos diximus
Eiúſque pariter principatui decus,
Eiúſque pariter multa rebus commoda:
Et diſsimulata poterit eſſe principis
(Simulata ſicut vna dicta iam fuit)
Præſentia mei, ſiue clancularia.
Clathrata poſsit nam feneſtra principem
Celare multis in locis. & hanc vocant
Feſtiuiores Gallia quidam in mea
Videre, non videri. *Sic ſcio ſe principes*
Celaſſe ſæpe: qui ferebant commodum
Et iſtud illinc, intereſſe quòd locis
Poſſent, abeſſe crederentur à quibus:
Et intereſſe crederentur quòd locis,
(Nanque antè ſparſa fama præſtruebat id)
A queis remoti contrà erant longiſsimè.
Et interim illa, falsò quamuis credita,
Ad continendos efficax multos erat.

¶ *Suſpenſa ſed nunc penitus hæret mens mea,*
Vtrum licebit, an decebit & ſimul,
Aliam docere principis præſentiam,
Quæ nominetur ſitque clancularia,
Vt altera illa: ſed tenenda cui via,
Tenere multi quam recuſent principes.
Eam nocebit quid tamen præſentiam
Proponere tibi, qualis illa cunq; ſit?
Quoſdam cupido ſubijt olim principes
Audire linguas verba fantes libera
Aduerſus ipſos, & ſuam totam domum:
(Diſſeminare fama gaudet qualia)
Coram tremuiſſet quilibet quæ proloqui.
Vt ergo voti compotes ſui forent,
Et mentiendi cura veſtitus erat,
Et mentiendi quæ liceret inſuper
Oculis, neq; minus auribus, ſpectantium.
Comites legebant poſtea quoſdam ſibi,
Nemo comitari principem quos crederet.
Turbæ frequenti quum dehinc & garrulæ
Se miſcuiſſent, callidis ſermonibus
Accerſiebant mentionem principis,
Iſtáſve comitum cuipiam partes dabant,
Iactaret in eum qui prior dicteria.
Sic audiebant proloquentes liberè
Dicenda pariter & tacenda garrulos.
A Græcia iſtud eſſe factum regibus
Aliquot, habere Græciam teſtem potes.
Exempla tamen an ire te per talia

Hor-

Hortator eſſe debeam, certè mea
Partes vacillat in duas ſententia.
Hac (fateor) vtens arte, non tot auribus
Oculiſque non tot indigebis: & fides
Simul futura eſt tutior tibi tuis.
Perſona ſed non poßit hæc à principe
Quouis gerive, vacua vel periculo
Dici gerenti. mitto quæ concurrere
Ad hanc agendam ſit neceſſe fabulam.
Illa inter, iſtud, rumor hic vt praeat,
Habere & ipſam pauculos plebem viros
Qui prorſus ore principem ſuo exprimant.
Vt turba in illa, principis cuicunque ſit
Sat nota facies, increpet ſuos tamen
Oculos, & illos plurimum falli putet,
Quoniam videre principem ſe dixerint,
Plebeius ex his quiſpiam quum ſit tamen
Viſus, ita vultus principem quibus refert.

SED *ſiqui amicos principes fidos habent,*
Arcana poßint omnia quibus credere,
Siqui & miniſtros principes fidos habent,
Oculis eorum & auribus vicariis
Confidere queunt. vetere ſic prouerbio,
Oculos & aures plurimos ac plurimas
Regi eſſe cuiq;, peruagata vox fuit.
At non licebit (iſta regeres forſitan)
Id facere, amicos vt ſatis probem meos,
Solitos quod eſſe facere reges dictitant.

Scio quid hoc ſit: muſa iampridem mea
Suam ſuper hac re prodidit ſententiam.
En, eius ipſa verba proferam tibi.
Verùm vt probatos atq; ſpectatos tibi
Poſsis amicos eſſe, princeps, dicere,
Tibíne libebit illud exemplum ſequi
Regum? culullis plurimis vrgentium,
Torquentiúmq; plurimi potu meri,
Habere quorum cognitas mentes volunt,
Ac ſcire amicos inter an fidos ſient
Cenſendi. vt iſtos æmuleris haud placet:
Sed conſulatur diligenter vt prius
Fama ſuper illis, hoc mihi, princeps, placet.
Etiam in miniſtros aliqua cautio data eſt,
E mente quamuis illius cenſorij
Catonis, illi non placens tamen ſatis
Meæ camœnæ. Volo loquatur ipſamet:
Cato miniſtros ſolitus eſt inter ſuos
(Sed ſeruitutis ſubiacebant hi iugo)
Diſcordiarum iacere quædam ſemina,
Suſpecta inter hos quòd foret concordia,
Detegere contrà multa poſſe crederet
Diſſenſionem: quòd per hanc ſæpiſsime
Deferret alter alterum. Cato, poteſt
Tibi placere cautio hæc, vt ethnico:
Vt Chriſtianæ diſplicet prorſus mihi.
Hanc abſit vt rem principum quis vſpiam
Feratur vnquam aggreſſus hortatu meo.
Tamẽ hoc Catonis quod parum factum probo,
Alicu-

Alicuius eſſe conſilij poſsit mihi
Materia: cuius haud velim ſis neſcius.
Si nata inter hos aliqua ſit diſcordia,
Occaſio ex hac commodè captabitur
Tuis amicis, detegendi quidpiam,
Durante retegi quod nequit concordia.
Ego haud camœnæ conſilium temno meæ:
Sed addere vni ſi putatur alterum
Fas eſſe, quod mens ſubminiſtrat nunc mihi:
Exploret horum pectora ipſemet velim
Princeps, iubendo id exſequi quod exſequi
Haud ipſa probitas ſiuerit virum probum:
Iuſsis & inſtet talibus non ſegniter.
Nanque hinc patebit mente qua ſint præditi.
Quid verò amicos aggredi hac ipſa via
Vetet? ſed in eis maius eſt periculum,
Eſt quàm in miniſtris. ergo ſeſe cautius
Gerat hîc, & illos tentet hoc ſolos modo,
Quos aliqua poſſunt reddere ſuſpectos ſibi.

Epimetron ſeu Auctarium
AD CARMEN
XXXVII.

PRINCIPI videndũ eſſe vt ſemper ſuæ prę-ſentiæ ſit comes principalis maieſtas: & ne faciat vnde ſuã ipſe maieſtatem lædat, & ſe ſibimet huius criminis reum efficiat.

Excíderat aliquid tũc mihi quũ de tua
Non pauca princeps traderem præſentia:
Illud videndum, prouidendum ſedulò,
Eſſet vt vbique huic ſemper & præſentiæ
Sermone Latio dicta maieſtas comes.
Vllius eſt quid principis præſentia,
Si principalis illa maieſtas deeſt?
Natiua res eſt principi (dices) ea:
Haud poſſit vllo deperire tempore.
Hoc immo (credo) fallitur qui cogitat.
Caligulæ an eſſe poterat iſta dos comes?
Neroni an eſſe, tótque monſtris cæſarum?
Neq; tamen illis iſta ſolis deperit
Qui tali in omnes ſæuiunt tyrannide,
Tantáque qui ſe polluunt libidine:
Sed hæc & eorum deſerit quamplurimos
Qui non tyranni ſunt quidem, ſed deſerunt
Tamen in quibuſdam traditum ſibi locum:
Inq; grauitate permanent qui non ſua.
Crede mihi, multi quum querantur principes
Sua à quibuſdam læſa maieſtas quòd eſt,

Ipſi

Ipſi quoq; iſtud inferunt ſibi malum
Frequenter: & ſunt ſæpe criminis ſibi
Huius rei illi, iudices æquos apud.
Rectè ille quondam vates hoc loquutus eſt,
Renuunt in vna ſede maieſtas tua
Morari & amor. *ſed alia ſunt quamplurima*
Illam fugare quæ ſolent à principe,
Et à quibus ille ſe tamen non abſtinet.
Verùm iſta quondam muſa latius mea.

ASMA XXXVIII, ſiue CARMEN XXXVIII.

PRINCIPEM non debere magiſtratus vendere, ſed donare iis qui illis digni ſint. Nec illi patiendum eſſe, vt alij qui ſe impetraſſe illorũ nomine dicat, magnũ dandum ſit munus. Sed & ſuæ potius gratiæ debere id beneficij facere quàm procerũ: qui eos quibus id impetrarũt, ſuas creaturas vocant, & velut obnoxios ſibi eſſe volunt, ſiquando eorum opera opus habeant in iis quæ magiſtratus ſui ope gratificari poſſunt. De dandis ſalariis magiſtratibus, & præſertim iudicibus.

AT *ecce quendam ſcrupulum, qui vellicat*
Mihi pectus vſq; nec (puto) ſoli mihi:
Titulus honorus quem magiſtratus habent,
(Quum ſint honores nominati, non lucra
Quæſtúſve dicti, commoda, aut compendia)
Eos vetat horum functio eſt quibus data,

Vlli ſtudere quæſtui & compendio:
Nedum vt quid agere ſordidè ſibi fas putent.
Quid ergo, eis anguſta ſi domeſtica
Sit res? iniri ratio quæ tum debeat?
Qui tot aliorum conſulunt rebus bene,
Non conſulent ſuæ rei domeſticæ?
Sæpe ſcio honores ditioribus dari,
Illíſve in iſto qui locantur ordine:
Sed iudicia frequenter hic falli ſcio.
Verùm eſto, ſit honor diuiti cuidam datus:
Quid ſi haud inemptus venit hunc ad diuitem?
Amans, vbi ad ſe iam redire cœperit,
Eius puellæ limina haud vnquam petam
Amica quamuis illa ſit. Quid mox ait?
Iuro frequenter, illa nunquam ad limina
Eſſe rediturum: lingua ſed iuret licet,
Reuertitur pes. Nempe reges hoc modo
Multi potuerunt, imperant dum Galliæ,
(Noſtróq; certè ſeculo potiſſimum)
Sua de amica dicere id pecunia,
Iuro frequenter, Talis haud pecunia
Sumetur à me: lingua ſed iuret licet,
Dextra ipſa ſumit. Quæ tamen fingi queat
Venditio ſordida magis ac turpis magis?
Quo poſſit ore iudicem reprendere
Princeps, quòd habeat quæ libet venalia
Eius tribunal, ſi tribunal iudici
Se vendidiſſe non potis negare ſit?
Olim iſtud eſſe creditum ius gentium

Vt

Vt uendere aliquis poſſet id quod emerat.
Prouerbialis éſque ſat dicti memor,
Claues & aras vendit & Chriſtum quoq;:
Iure ille vendit emerat ea quæ prius.
Cæſar Seuerus hîc magiſter ſit tibi;
Iuris gladij honores *vetans venumdari:*
Addénſque cur haud eſſe fas id crederet,
Haud patiar eſſe qui poteſtates ſibi
Mercentur:illos paſſus,haud eſt quî queam
Damnare. nam me pudeat illum plectere
A quo illud ipſum venditur quod emerit.
Ergo tribunal ſi facit nummarium
Qui fuerit emptor,audeas reprendere?
Sed & aliud committitur crebrò malum,
Cuius monebo. Forſan à te venditi
Non ſunt honores,à miniſtris ſed tuis,
Ac te inſciente. Noſtra commendatio
Sola impetrauit hunc honorem à principe
Tibi: (inquiunt hi) liberali dextera
Hæc nónne verba proſequi ſtatim decet?
At tanta ſumma non datur, quanta foret
Emi hunc neceſſe. Fateor: interim tamen
Eſt ſumma quæ rem deminuat domeſticam.
Quòd ſi monendus aliquis illorum foret
Geſtare ſceptra Galliæ qui ſeculo
Noſtro ſolebant, eius hæc auri darem:
En alia quædam nundinatio tuos
Circa hos honores,quæ caret pecuniis:
Sed peior illa quæ pecuniaria.

Pri-

Primóque quamuis ſit carens pecuniis,
Affulget harum ſpes tamen vel maxima.
A te procerum quis hunc magiſtratum impetrat,
Quem poſt mihi dat: lege ſed dat hunc ea,
Vt eius eſſe me creaturam memor
Sim ſemper: eius atque ceu libidini
Obnoxius ſit qui magiſtratus mihi
Geretur, eius impetratus artibus.
Vt arma ſicui fortè procurauerint,
His, antequam dent, ſic paciſcantur ſuper:
Noſtros in vſus arma té conuertere
Hæc quum volemus, atq; noſtra in commoda,
Præſto futurum nónne vis promittere,
Sit quiſquis hoſtem lingua quem denuntiet?
Hæc vni eorum verba mente condita,
Fortaſſe prorſus haud fuiſſent irrita.
Sed finge potius illa iam me proloqui
Tibi verba princeps: nónne nundinatio
Res turpis eſſe hæc & videtur improba?
Verùm illa credo vox creatura *haud tibi*
Sat nota fuerit. Roma Gallis hanc dedit
Vocem, haud vetus illa Roma, Roma ſed noua.
Promotus eſt vbi quis honores ad ſacros,
(Id eſt, ſacrarum dignitatum ad quampiam)
Illius omnes hunc creaturam vocant,
Cuius fuit ei gratia ac potentia
Fautrix: nouáque voce, promotrix fuit.
Sed Roma (dices) has creaturas ſuas,
Vt alia multa, ſibi reſeruet: Galliæ

Cur

Cur commodat illud inſolens vocabulum?
Vel propter illud iſta nundinatio
(Verum fatebor) diſplicet multo magis.
Avdi ergo princeps quid tibi ipſe conſulam.
Primùm, ne honores eſſe venales velis.
Naturæ & ipſi quis rebellat, vendere
Quum vult honores quod vocat, quod munera
Vocauit etiam Latia lingua. Vendita
Quæ res ſit, eſſe munus illa quî queat?
Gratuitus & ſit qui fauor ſit præſtitus,
Et opera, ne ſit opera mercenaria:
(Niſi potius vis dicere mercatoriam)
Quantúmque poßis, facere gratiæ tuæ
Conare honores ſolius, quicunque ſunt.
Quia tamen iſtud vix queas: & quis fauor
Interueniat his rebus, haud rarò eſt opus:
Gratuitus eſto. ſin minus, fauoris hic
Qui venditor ſit, ſit tibi ceu venditor
Fumi ille quondam: ſed tamen nocens minus
Hic quum ſit illo, non velim ſeueritas
Seueri in iſtum conferatur cæſaris.
Superueniret ſi tamen penuria
Nummorum in aliquos bellicos vſus tibi:
(Miſcere cogor bellicis de rebus hoc,
Alij reſeruo quas alioqui tempori)
Vllos vel alios: atque ſubleuarier
Alias per artes poſſet haud ærarium
Tuum laborans: tum liceret forſitan
Ad tempus aliquod aliqua promercalia

(Niſi

(Niſi malit hîc quis dicier venalia)
Facere: licere noluiſſes quæ prius.
Et numero in hoc magiſtratus quoq; ponere
Forſan liceret quoſpiam. Diſcrimine
Sed res egeret iſta longè maximo.
Potiſſimùmque ne ſimul cum cæteris
Venalis vllus & tribunalis foret
Honos. ſic ante cæſar auditus fuit
Seuerus ille de gladij potiſsimum
Honoribus, quòd venderentur, conquerens.
¶ *Superueniat ſed tale quamuis nil tibi,*
Et emptiones has vt omnes abroges:
Obſtiterit illud haud ſatis, nummarium
Ne ſit tribunal, non tribunal vendere:
Nullóſque venumdare magiſtratus tuos,
Nullus ſit vt honor ex tuis nummarius:
Niſi functioni ſint ſua & ſalaria.
Eſſe ergo iuncta ſua velis honoribus
Salaria: eſt quæ facta vox & Gallica.
Furacitatis præuidere cæſares
Malum illud ôlim, quæ tribunali comes
Plerunque, & aliis eſt quibuſdam muniis.
(Recentiores cæſares quidam licet
Fures querantur iudices potiſsimum)
Remedium at iſti principes tanto malo
Haud reppererunt aptius. quare vtere
Et ipſe, princeps. illa nam furacitas
Si permanebit in quibuſdam furibus,
Patrocinari nil ei ſaltem queat,

Se

Se digna habebunt ſi modò ſalaria.
Addámne & iſtud? munere vt quo quis ſuo
Fungi feretur melius, ampliora ſint?
Saltem merentur iudices hæc conſequi
(Habenda noſtræ ſi camœnæ ſit fides)
Quorum tribunal litibus ſenium negat,
Effugia claudat omnibus quòd omnia.

ASMA XXXIX, ſiue CARMEN XXXIX.

QVVM magiſtratus appellatione honorũ ornẽtur, indigenis horum functionem eſſe reſeruandam. Quod Galli ad ſuos admiſerint plerunque exteros, id ab ipſis inſita hoſpitalitate profectum eſſe. Alioqui enim tantum abeſſe vt plerique Gallorum reges talia ad honorem gentis pertinentia neglexerint, vt etiam aliquẽ honorem & aliquam gloriam illi peculiarem conſequi ſummopere concupiuerint. Cuius cupiditatis & Henrico tertio inſitæ aliquot exempla afferuntur.

EXSPECTAT *aliquis forſan à muſa mea,*
Vt addat iſtud, an viris extraneis
Impertiendi ſint honores patrij.
Ridebit illum quiſquis hoc quæſiuerit,
Vt credo. ſenſus ipſe communis poteſt
Hanc quæſtionem (dicet illa) ſoluere.
Si iura honores pertinent ad patria,
Cur tranſilibunt patrios hi limités?
Et eſſe dici quum queant hi ciuibus

Hære-

Hæreditatis temporariæ loco,
Quare migrabunt ad viros extraneos,
Quibus eſt in illam iuris haud quidquam datũ?
Muſæ ergo princeps eſſe qui vult moriger
Meæ, haud libenter, quos magiſtratus vocant,
Vocant honores, patriis è finibus
Ferre pedem in oras exteras permiſerit.
Alleget aliquis illa dicta quæ prius
Viris ſuper eis conſilium per quos datur:
Indigenæ vt illi, neutiquam ſint exteri.
Quòd ingenia eis eſſe poterunt cognita,
Moréſque: iura cognita, & ritus quoque.
Nam ſcimus aliis plurimis gerentibus
Aliquos honores fructuoſam non minus
Notitiam eorum. Sed quid alleget quis hæc?
Vel nomen illud principem moneat velim,
Hæc munia inde ferre ne ſinat gradum.
Non lucra *dici, cogitet, vel* commoda,
Sed dici honores. *exteris per me licet*
Communicetur omne commodi genus,
Quæſtus lucríve: non recuſo quin & hîc
Sit κοινὸς ἑρμῆς: iſtud autem flagito,
Vt patrij honores patria è ſua petant
Per quos gerantur. Nulla gens tamen minus
Habet ſibi illos proprios quàm Gallica,
Magis & libenter exteris communicat.
Profectò Gallis inſita hoſpitalitas
(Quam prædicabant & vetuſta ſecula)
Patet ſatis & hinc. ciuitate plurimi

Dona-

Donare nolunt: noſtra multis addidit
Gens etiam honores exteris vel maximos.
Debétque Gallis Itala gens potiſſimum
Hac merita noſtro ſeculo. nam vidimus
Et dignitatem maximam indigniſſimo
Italo tributam, verba multa Gallica,
Ad functionem pertinebant quæ ſuam,
Non aſſequentem, plurimas & formulas.
Nec doctiorem petaſus illum reddidit,
Equis citatus vectus vrbe ex Romuli.
Atqui vel iſta potuit ignorantia
(Sed nec timebo dicere etiam, debuit)
A dignitate dehortari principem
Danda: neceſſe ni fuiſſet, principem
Tunc velle mater ipſa quidquid dixerat
Sibi placere, patriæ fauens ſuæ.
Maiore iure ſuperiora ſecula
Miretur aliquis, quòd fuerunt traditi
Et tunc honores exteris: quum regibus
Noſtris ſciamus plurimis, gentis ſuæ
Fuiſſe honorem (ceu decet) chariſſimum.
Minor tamen eſſe poſſit admiratio,
Reſpicere ad illa ſi libebit tempora
Cœpere vendi queis magiſtratus quoque.
Credibile nanque tunc minus diſcriminis
Hos inter emptores & illos Galliam
Eſſe ſolitam ſtatuere. nam cur non ſuis
Potius honores quàm dediſſet exteris?
Sed nunc tenenti ſceptra laudem maximè

Debebit iſtam noſtra gens, ipſam diu
Si regere dextra numinis permiſerit.
NEC *inuidebo quam meretur gloriam,*
Et parte in iſta, tertius, cognominis
Quarto, ille princeps, cade cuius antea
Monachum querebar impiaſſe dexteram.
Libet referre qua docent gentis ſua
Vt fuerit illi res honor chariſſima.
Rex mè hic rogauit, vera gloriatio
An eſſet Italûm, proprium quum dicerent
Hoc eſſe ſibi, Ciceronianè ſcribere.
Reſpondi, ab illis hoc ſolere dicier,
Sed arrogantius tamen quàm verius.
Tunc ille, Gente nullus in noſtra fuit
Mendaciꝫ illos qui queat conuincere?
Saltem Bunellum memoria mihi ſuggerit,
Dixi. Quid? vllum non habes quem nomines,
Hunc præter? Addo, ſcriptitaſſe plurimos
Sermone eodem plurimas epiſtolas:
Et inter illos nomino Daneſium.
Sed fateor (inquam) curioſam ei minus
Hanc ſcriptionem, ſicut & noſtratibus
Aliis quibuſdam, tunc fuiſſe: quòd dare
In publicum illam non eis cordi foret.
Excepit ille, Sed Itali, quot prædicant
Ciceronianos eſſe ſibi? Quum quattuor
Dixiſſem habere, Tótne? ait. quid? laus ea
Illis tribuitur omnium ſuffragiis?
Vni tribuitur omnium ſuffragiis,

Ma-

Manutio cui nomen eſt: vix cæteri
Tantum tulerunt iam decus & ab exteris.
Si pauciores fortè ſint in Gallia,
Cauſam ſciat iſtud eſſe maieſtas tua,
Quòd pauciores partibus multis ſient
Qui ſcriptionis æſtiment tanti hoc genus,
Quanti æſtimatur ab Italis: labore qui
Dignum eſſe credant, quem requirit, maximo.
Fecere verba hæc vt videretur minus
Dolere, noſtræ pauciores Galliæ
Ciceronianos eſſe: ſed iuſsit tamen
Fieret vt à me diligens ſcrutatio.
Hic ſermo memori pectore à me conditus,
Et cupiditati conſona mea regiæ
Cupido mentem non ſinit quieſcere,
Eſt ſparſus oras donec à me in exteras
Habens volumen & Bunelli epiſtolas
Galli, & Italus Manutius quas ſcripſerat.
Vel ipſe titulus Galliæ magnum decus
Tulit, verúmq; non minus. nam Gallus hic
Bunellus, eſſe dictus eſt Manutij
Magiſter, ipſo teſte vel Manutio.
Præfixa libro fuit & huic epiſtola
Mea regem ad ipſum: longa & illic mentio
Sermonis, habitus qui fuiſſet antea
Illum inter ac me, gloriantibus ſuper
Italis ſibi eſſe propriam ſcientiam.
Oblatus illi gaudium ſummum attulit:
Quod arguebat omnibus quantum prius

Ægrè id tuliſſet, pauciores Galliæ
Ciceronianos eſſe. Quin & plurima
Loquutus eſt id amplius teſtantia,
Sibi nil honore charius gentis ſuæ.
Dixítque tandem, Spero, ſi ſcrutatio
Exacta fiat, pauciores non fore,
Potiúſque plures, Auſonis quàm quos habet.
QVOD *dico, honore gentis huic regi ſuæ*
Nihil fuiſſe charius tum temporis,
(Nempe ante monachi quàm dediſſent faſcina)
Plerique noſſe non minus Galli queunt:
Volo tamen alia re tibi teſtarier.
Promiſſum is à me quum librum quendã audiit,
Linguam ſtudebam quo probare Gallicam
Præcellere aliis omnibus (ſed excipi
Græcam volebam, priſca qualem ſecula
Illam audiere, non eam qualem ſonant
Qui nunc eorum poſteri dici volunt)
Vrgere cœpit, hunc vt in lucem darem.
Reſpondeo, A me ſcriptus is nondum fuit:
Promiſſus à me eſt. hæc requirit ſcriptio
Quædam memoriæ ſubſidia. ſed hæc domi
A me relicta. Tunc, Quid? an caput quoq;
Domi relictum? (dixit) at ſi non domi
Fuit relictum, memoriæ pars maxima
Remanet in illo. ſi ſecus, dicenda ſit
Valde infidelis: ſcripta quum tamen tua
Teſtentur aliud. ſit animus præſens tibi.
Boni illud ipſe conſulam quod ſcripſeris.

Vnum

Vnum videto, longa ne ſit hîc mora.
Quod pollicetur (aio) maieſtas tua,
Conſulere ſeſe velle quæ ſcribam boni,
Alacriorem iuſſa reddet ad tua.
Diſcedo honore lætus: at valdè anxius,
Onere ſub iſto ne labans, ſim fabula.
Tandem ſed animum colligo: vires ſimul
Colligere conor. eſſe me Lutetiæ
Reputo. Librorum in hac Italicorum mihi
Scio futuram copiam: quid roboris
Et iſtud addit. Luna vix orbem ſuum
Ter (credo) iunctis cornibus compleuerat,
Offertur ille quum liber, non qui foret
Calamo exaratus, ſed typorum literis.
Placere munus plurimis rex vocibus
Oſtendit, & re laudat inter cætera
Quòd celeritate ſpem ſuam preuenerim.
Digna memoratu res ſed hæc potiſſimum,
Quòd ex honore hoc gaudium tantum capit,
Quo nationem Gallicam affici videt,
Quàm proprius ei ſi futurus eſſet hic.
Obmurmurantes audit ille ſæpius
Italos, & horum murmur ipſe reprimit.
Aliquótque quum iam poſt dies quis diceret,
(Locum inter illos obtinens primarium)
Mutaſſe regem de ſuo ſententiam
Sermone: nec iam velle præcellentiam
Dari huic, ſed Italo: regis ad aures venit
Vox iſta. & ad ſe quum vocaſſet me, Putas

Verum iſtud? (inquit) tam tenacem me parum
Sententiæ eſſe? vult is vrere cor tuum.

RElata, princeps, iſta rege de meo
(Quem nominari principem audiſti quoq;)
Faciant vt eius æmuleris feruidam
Curam, ſtudiúmque prouehendi gloriam
Gentis ſuæ, ceu promoueret propriam.
Exempla cuius alia non deſunt mihi:
Sed iſta ſat erunt: facere queis poſſunt fidem
A me dicati qui fuerunt huic libri.
Perpende tecum, principis quantum excitet
Amor hic ſtudiúmque ſubditorum protinus
Ingenia: amore qui pares iſto volunt
Huic eſſe: & audent principe auſpice aggredi
Vires negare quæ videbantur prius.
Illius (inquam) laude in hac ſis æmulus.
Sed abſit à te (ſermo plangat hîc meus,
Plangat parumper, finiatur & ſimul)
A te abſit, abſit, abſit hoc, vt mens tua
Præda monachorum faſcinis dici queat
Facta eſſe tandem, regis huius mens uelut:
Abſitque mage, monachalia vt poſt faſcina,
Monachalem & enſem, ſicut ille, ſentias.

ASMA XL, ſiue CARMEN XL.

HVIVS *ſuſurri tetigit aures pridie*
Stridore muſa, ſe tibi molirier
Paruum, futurum ſed tibi quammaximum,
Opus. Quod eſſet, denegabat addere:
Addebat vnum hoc, A Seuero cæſare
Occaſionem non nego mihi datam
Operis iſtius. Cæſar eſſet hic vter
A me rogata, dixit, Ille cui fuit
Mammæa mater. huic agendæ gratiæ
Occaſionis. Hoc fui diu modo
Suſpenſus ab ea. patuit at tandem mihi
Abſentis eius ſcrinium. quæ charta tunc
Prima dedit oculis obuiam ſeſe meis,
Hos obtulit eis exaratos literis
Quæ grandiores cæteris, verſus duos,
QVOD PRINCIPI NOLIS TIBI
FACERE PRINCIPEM,
CAVETO ID ALII PRINCIPI NE
FECERIS.
Leguntur oculis iſta feſtinantibus,
Et lectionem ceu breuem furantibus,
Dum magnus, illa ne ſuperueniat, metus.
At otij plus video quum furto dari,
(Sed furta furtum hoc colloces inter proba,
Saltem inter illa licita quæ vulgus vocat.)
Hæc præloquentis lecta verba ſunt quoq;:
Hòc experimur ſæpius veriſsimum,
Sint vt aliis noſtra melius bona cognita

Quàm nota nobis ipſa poſsidentibus.
Huius Seuerus præbet exemplum rei
Inſigne cæſar, vt vir inſignis fuit.
Sed dico eum Mammææ quem Roma dedit,
Dico Seuerum, ſceptra cuius optima
Mutata ſceptris Maximini peſſimis.
In pretio habebat ille cæſar ethnicus,
In ore habebat ille cæſar nec minus,
E Chriſtianis hæc libris quæ ſumpſerat,
QVOD NON TIBI VELIS, ALTERI NE FECERIS.
Hæc verba amauit, publico præconio
Digna hæc putauit. nanque caſtigatio
Vix edebatur vlla publicis locis,
Quin hæc ſonaret voce præco maxima,
QVOD NON TIBI VELIS, ALTERI NE FECERIS.
Contentus haud eſt: illa digna cenſuit
Inſculperentur quæ ſuo palatio:
Inſcribi operibus atque iuſsit publicis.
Sed iſta partes verba ſi verſaueris
Princeps in omnes, prædicator forſitan
Horum futurus & Seuero maior es.
Hæc attamen erit omnibus præ cæteris
Tibi hinc petenda cautio, me iudice,
QVOD PRINCIPI NOLIS TIBI FACERE PRINCIPEM, CAVETO ID ALII PRINCIPI NE FECERIS.
Nam quid vetabit quominus quod omnibus
Vox

Vox ea canebat, ſingulis tui ordinis
Propriè canatur? proprium ſed id tamen
Quodam arctiore tu tibi reddas modo?
Suadebat ipſi deinde muſa principi,
Vt quod Seuerus fecit in dicto unico,
Id ipſe dictis faceret in quamplurimis.
Curaret vt ea ſingula locis ſingulis
Inſculperentur: poſſet vtq. dicier
Dicto eſſe cuiq. commodum datum locum.
Illius alias dum voluto chartulas,
Occurrit vna, principi quæ conſulit
Vt illa maior aula quæ præ cæteris
Excipere gaudet confluentes exteros,
Vbi ſpatiantur aulici mixti exteris,
(Sint exteri illi quotquot haud ſunt aulici)
Verba habeat iſta ſcripta grandibus notis,
NE CVPIAT VLLVS ESSE FVMI VENDITOR,
THVRINVS ILLVM DOCEAT EXEMPLO SVO.
Sed hic ab illa iam prius notatus eſt
In carmine alio. Súmque verborum memor,
Caueto amicos ne quis ſit inter tuos
Lædátve famam qui ſua iactantia
Tuam, ſuiſve lædat illam ſordibus.
Thurinus ille qualis, ille venditor
Fumi Thurinus: cuius omnes regias
Scimus refertas eſſe ſucceſſoribus.
Pœna ſed eius illa ſi ſuccederet

Turba, atq; fumi venditor quiſquis foret,
Fumo periret: numerus hic eſſet minor:
Taléſq; merces vendere aut deſineret,
Occultiores machinas vel quæreret.
Conſilium vt illud perſequar muſa meæ,
Monebat ipſum principem vt reconderet
Mente illa dicta: & aulicis vt redderet
Tam nota, quàm ſunt nota vel prouerbia.
Aliáque vellet vt aliis ſic partibus
Inſcriberentur. illa quæ ſuperbiam
Afferre poſſent, fugeret omnibus modis:
Illóſq; titulos maximè, quales erant
Quum nominabant quempiam G E R M A-
N I C V M,
Quum nominabant P E R S I C V M, vel
M E D I C V M,
Et quum vocabant P A R T H I C V M, quum
denique
A gente victa quapiam alia (ſiue quam
Victam ferebant) tale cognomen dabant.
Mallem (inquiebat) quis P A R E N S P A-
T R I A E O P T I M V S
Poſſet vocari. Riſus (addebat) mihi
Et hinc ſubortus ſæpe, dum M O N A R-
C H A vult
Audire princeps aliquis: & ſe dicere
Solitam ferebat, Chriſtianis quis poteſt
Monarcha dici, niſi deus qui dicitur?

Haud

HAud plura ſiuit illa feſtinatio
Legere. camœnæ ſed meæ exemplum ſequens,
Dum reliqua ſponte mihi ſua communicet,
Nonnulla & ipſe principi ſcripſi meo,
Affigere illum ianuis quæ regiæ.
Hortabor, apta deligentem ſingulis (TA,
Locis. vocare ſeu libet PROGRAMMA-
Libet alio ſeu nominare nomine.
Incipiam vt à te (ratio quod vult) principe,
Cubiculorum ianuæ quæ cæteris
Magis frequentas, vel aliarum partium
(Quæcunq; reliquis plus teruntur) regiæ,
Has ſemper oculis offerant voces tuis,
QVALEM CVPIS SE PRÆSTET VT DEVS TIBI,
PRÆSTARE TALEM CIVIBVS TE SIS MEMOR.
Haúdq; procul iſtud collocetur programma,
VT TV IMPERENT VIS CIVIBVS LEGES TVÆ,
SIC IMPERARI LEGIBVS VELIS DEI.
Et audienda quum tibi accuſatio
Sit perfrequenter, (grata res licet parum)
Plenúmque ſit hoc maximi diſcriminis,
Habere hîc aurem credulam: ſententia
Iſta monitricis hîc agat partes velim,
EST AVDIENDA NVNC TIBI PARS ALTERA.
Atque vt ſtatuere parte inaudita altera
Vereare quidquam, pectus intret in tuum

Seueri ab ore iudicis ſententia,

QVI STATVIT ANTEQVAM AV-DIAT PARTEM ALTERAM,

VT STATVAT ÆQVVM, NON IS EST ÆQVVS TAMEN.

Et quum ſit iſta mos loqui accuſantibus,
Negabit ille, pernegabit omnia:
Sed eſſe tamen hæc credito veriſſima.
Quis puniatur ſi negare ſit ſatis?
Incurrat oculos in tuos ſæpiſſime
Programma & iſtud, hac vbi eſt obiectio,
Cordata ad illud pariter & reſponſio,

QVIS PVNIATVR, SI NEGARE SIT SATIS?

AT INNOCENS QVIS, SI SAT ACCVSARE SIT?

Si fortè talis ſit tibi rerum ſtatus,
Cauendum vt eſſe clamitent auri tuæ:
Programma tibi ſit Gallicum prouerbium,
Quod audiere prima noſtra ſecula,
(Ero Gallicorum fidus interpres tibi)

CAVET MALE SIBI QVI SIBI HAVD SEMPER CAVET.

Neque monitum iſtud inde colloces procul,

SAT. NEMO TVTVS QVI PERI-CLO PROXIMVS.

Monere iuuenem nec timebo principem,
(Illicia vt illi ne gynæceum mala
Suum miniſtret) verba mente verſet hac,
Quæ ianua illi quæpiam legenda det,

VT

VT VIDI, VT ILLICO PERII, MALVSQVE ME
VT ILLICO ERROR, ERROR ILLICO ABSTVLIT.

Ne fortè & ipſum talis error auferat,
Id quum ſubeſſe cernit huic periculum
Loco, inde potius ſe cito gradu auferat.
Illum æmuletur atq; regem Græcia,
Hoc qui pericli quum timendum cerneret,
Proripere protinus Epheſo ſe maluit.

Mei relinquens principis cubicula,
Aut quæ frequentat is magis cœnacula,
Tranſibo ad aulam quæ magis quàm cæteræ
Excipere amicos principis ſolet mei.
Ornentur eius hoc fores programmate,
FACIVNT AMICI PRINCIPEM PROBVM PROBI.
Et grex adulans ſæpe quòd miſcere ſe
Solitus amico eſt huic gregi (ceu te mea
Docuere muſa monita) non iſtud minus
Fores eas habere præfixum velim
Carmen: (gregis eius dicere fugatorium
Quod auſit ille, prorſus exemplo haud carens)
CVI LINGVA ADVLANS, HVC PEDEM NON INFERAT.
Atq; ex amicis quòd ſciamus principum
Fumi eſſe factos venditores quoſpiam,
Iſtud programma reprimat mentem malam,

SIT

SIT NEMO AMICOS INTER AD-
MISSVS MEOS,
QVI FIERI VNQVAM VENDITOR
FVMI VELIT.

IAM *monita & ipſis tradere conſiliariis*
(Locum hunc amici nanque non omnes tenent)
Fert animus, etſi cæteros monentibus.
Conclauis eius volo fores in quo ſolent
Conſilia haberi, tale quid proponere,
AD CONSVLENDVM PRINCIPI
RECTE TVO
VIA PRIMA, AMARE PVBLICIS
MINVS TVA.
Iſtúdve dictum (ſiquis iſtud mauelit)
QVI CONSILIA DANT PRINCI-
PI SVO BONA,
PRINCIPIS AMICI, PRINCIPA-
TVS NEC MINVS.
Atque hæc vel ipſi (credo) non minus probent;
HAVD CONSVLIT ILLE PRINCI-
PI SVO BENE,
QVI COMMODO EIVS, NON HO-
NORI, CONSVLIT.
Ni fallor, iſta, vera pariter haud negent,
CONSILIA SEMPER ILLA CRE-
DAS OPTIMA;
QVÆ SVNT FVTVRA PRINCIPI
TVTISSIMA.
Sed dicet aliquis, Qui meo tutiſſima
Conſilia ſemper principi poſſim dare?
Ambigua ſæpe ſe offerunt negotia,

Per-

Perplexa, cæca: quis in ea caligine
Perſpicere poſsit conſilia tutiſsima?
Periculoſa quæ minus, poſſe aſſequi,
Magnum ſit illic. Veritas hæc comprobet
Opponet ille quæ meo programmati.
His ergo cedam: ſed programma adiecerim,
Vicina in aliqua ſede cui detur locus,
CONSILIA SEMPER ILLA CREDAS OPTIMA,
QVÆ SVNT FVTVRA TVTIORA PRINCIPI,
SALTEM PERICLVM QVÆ MINVS MINANTIA.

AC *publica quoq; talibus programmatis*
Ornare loca monebat illa principem
Camœna mea: (ſed nomino quum talia,
Dico apta ſimili quæ modo ſuis locis)
Potiſsimúmq; vbi magiſtratùs ſedent.
Et incipere iubebat à prætorio:
Nullúmque non tribunal hæc requirere
Exiſtimabat, mage alio quouis loco.
Sed quum hæc ab illa mutuanda ſint mihi,
Ignoſce princeps ſi tibi procraſtino.
Quid hoc? vale à me non tibi vis dicier
Niſi aliquod illuc pertinens adiecero?
At cogitandi deneges ne tu mihi
Spatium. ſed illo non opus longo tamen:
Iam mens parauit illud à me quod petis.

En

En tibi programma, iudices quod diſcere
Oportet omnes, iudicia quibus data
Vocata quæ ſcis eſſe criminalia:

FERVLÆ MERERI QVEM QVIS ICTVM IVDICET,
SCVTICÆ MERERI IVDICES NE VERBERA:
SCVTICA REPERTVS ILLE QVI TVA SIET
DIGNVS, FLAGELLO NE VELIS HVNC INSEQVI.
DIGNVS FLAGELLO SIQVIS ET COMPERTVS EST,
HVNC CAPITE PLECTI NE TVÆ SORTES VELINT.

Peccare partem nec tamen ſum neſcius
In alteram aliquos iudices: quos vel preces
Vel mitigatrix prauenit pecunia.

HENR. STEPHANI
REX ET TYRANNVS.

HENR. STEPHANI REX ET TYRANNVS.

PROASMA, ſiue CARMEN procœmiacum.

REGEM & *tyrannum iam libet deſcribere.*
Virtus vitiúmq; materies erunt mihi
Permixta. Virtus rite dicta ſi fuit
Eſſe, fugere vitium: ille rex ſe nomine
Dignum eſſe regis iure dicat optimo,
Vitia tyranni qui refugiat omnia.
Rege ergo quamuis à meo quid poſtulem,
Dici fuga iſta quod queat perfectius:
In publicum illa prodeant primùm omnia:
Vt, nota fuerint poſteaquam cuilibet,
His inquinare nomen auguſtum haud queat.

ASMA I, ſiue CARMEN I.

EX COGNITIONE turpitudinis morũ tyrãnicorum poſſe regiorũ pulchritudinẽ magis eluceſcere. Sic olim ebrios pueris ſpectaculum propoſitos fuiſſe, vt vel inde ab ebrietate deterrerentur. Luſus poeticus de tyrannorum natura iam inde ab ipſa Promethei fictoris manu aliquid feritatis præ aliis omnibus retinente.

OLIM fuere qui tenella pectora
Inimica poſſent poculis vt reddere,
Queis turba cupidè proluit ſe Bacchica,
Illis ſolebant ebrios proponere:
In fœda vt oculos figerent ſpectacula,
Quæ pocula illa cogerent horreſcere.
Ego titubantes principum mentes adhuc
(Ac paruus vtinam numerus iſtorum ſiet)
Firmare cupiens ſemita in recta gradus,
Suis tyrannos iam volo coloribus,
Vt captus artis eſt meæ, depingere.
Quo turpiores tu tyrannos videris,
Maior erit oculis pulchritudo regia.
Sed iſta primùm pectori manda tuo,
Fertur Prometheus, corporis dum fictor eſt
Humani, in illud corrogaſſe quapiam
Animante ab omni. (quodque ſeu libens dedit,
A quoque per vim ſeu Prometheus abſtulit)
Particulæ at illæ corrogatæ ex cæteris,
Natura prout corporum eſt queis inditæ,
Magis vigere vel multo minus ſolent.

Natura talis eſt tyrannis corporum,
Vt quod feris ſit inditum ex crudelibus,
Aut maior eſt queis cæteris crudelitas,
(Quales leones tigrides) potiſſimum
Sumat vigorem, creſcat in dies magis,
Intráque corpus regnet ipſum denique.
Sed (res pudenda) quum feris in plurimis
Crudelitati iuncta fortitudo ſit,
Et magnanimitas nominari quæ ſolet:
Sola in tyrannis eſt valens crudelitas.
A plurimíſque eſt fortitudo tam procul,
Vt vix vocare quis viros hos audeat.
Nanque viget horum pariter intra pectora
Ceruis reſecta quæ fuit, damis quoque
Timidis reſecta quæ fuit tum portio.
Quod maxima ergo timiditas eſt maximæ
Crudelitati copulata in talibus,
Hoc inde naſci quilibet credat malum.
Quòd ſi Prometheus mente præſaga malum
Potis fuiſſet cernere inſtans omnibus,
Fictrice ab arte, portiones cautior
Multo minores indidiſſet corpori
Cuius erat ipſe fictor, ex animantibus
Et quotquot aliis ſunt magis crudelia,
Et timida quotquot ſunt magis quàm cætera.

ASMA II, ſiue CARMEN II.

METVS deſcriptio qui ſemper tyrannorum torquet pectora, à Dionyſio Siciliæ tyranno propoſita, & à Cicerone relata. Quàm longè ab illa felicitate abſint qua multi frui illos exiſtimant.

SED *facere miſſum iam volo Promethea.*
Nanque exhibenda facta ſpes cuius tibi
Pictura: cuius & tenet cupido te.
Verùm vnde melius poſſit inchoarier
Imago noſtra, poſſit vbi finirier,
Quàm ſi manum eius æmuler, ſimul ſui
Qui pictor, & ſimul tyrannus qui fuit?
Ergo mihi mentis dirigas huc lumina.
Dionyſius, quem fama cæteris magis
Celebrat tyrannis, Sicula quotquot protulit
Tellus: referta ſemper aſſentantibus
Cui regia fuit: vnius quum plurimis
Foret beatus nominatus vocibus,
(Et nomen huic fuiſſe Damocli ferunt)
Ipſi quòd eſſent copiæ tantæ ac opes:
Sortem experiri voluit illum ſic eam,
Credebat eſſe qua nihil beatius,
Idcóque qua nil eſſe poſſe optatius.
Ex Cic. Tuſ. Lecto imperauit collocari in aureo.
(Stratus erat iſte ſtragulo pulcherrimo:
Pictura magnum magnifica decus dabat)
Multóſque vaſis aureis, argenteis,
Ornauit abacos. huius ad menſam dehinc
Puc-

Pueros, ſtupenda queis erat formoſitas,
Conſiſtere iubet, qui miniſtrent ſedulò,
Nutus ad omnes fixa ſint queis lumina.
Vnguenta multa, ſunt coronæ plurimæ:
Incendi odores plurimos ſentit ſibi.
Menſáſq; tandem ferculis rariſsimis,
Labore, pretio comparatis maximo,
Vult extrui ille. túncq; fortunatus hic
Sibi videri. Sed tyrannus interhunc
Iubet apparatum, gladius vt præfulgidus
Setæ alligatus tantùm equinæ pendeat
Laqueari ab ipſo: talem & eligant locum,
Beati vt huius prorſus hic impendeat
Ceruici. At iſte Damocles beatus, quid?
Pueros tueri deſinit pulcherrimos,
Qui ſunt miniſtri: vaſa non argentea,
Miranda quamuis operis ob ſolertiam,
Placet intueri. iam coronæ defluunt.
Ergo tyrannum Damocles tandem ſuum,
Vt commeatum ſibi velit concedere,
Exorat: eſſe iam beatum nolle ſe.

Hæc à tyranno principi cuiuis datur
Pictura regis qui tyrannus dicitur,
Aut reguli eius nomen id qui poſſidet,
Princépſve ſi ſit ille regulo minor.
Tam trepida poſsit iſta Damoclis tibi,
Hominíve mentis compoti beatitas
Placere cuiquam? principi quanto minus?
Curæ tot & tot, ſunt onus grauiſſimum,

Quas alligatas muneri ſentit ſuo.
Quid, tortor ille quum ſuas adiunxerit?
Immo nec vnus eſt tyrannis carnifex:
Præcedit alius. rectius vel vt loquar,
Præcedit alia. nanque Conſcientia
Torquere miſeris hunc prius ſolet modis,
Et aduocatur ille pòſt tortor Metus.
Quòd ſi ſequaces eſſe curas cernimus,
Quæcunq; ſint hæ, ſique militantibus
Commilitare, ſique nauigantibus
Connauigare ſcimus inuitis eas,
Quanto ſequaces ſunt magis quas dat Metus?
Sed iungat operam cum mea Flaccus ſuam,
Meæ que muſæ ſuccinant eius fides
Damoclis iſta de beatitudine.
En iſte fidicen promptus eſt expromere
Suam ſuper ea protinus ſententiam.
Attenta capiat auris hos eius ſonos,
Ceruice cuius pendet impia ſuper
Diſtrictus enſis, Sicula menſa non dabit
Dulcem ſaporem, non dabit eum Perſica.
Haud vllus auium dulce garrientium
Cœtus reducet, vlla ſomnum nec lyra.
Annon videntur hæ fides dignæ fide?
Condire valeat quis coquus dapes ita,
Palatum vt etiam tangat illius ſapor,
Tales minatur enſis ille cui minas?
Tantis voluptas pollet vlla viribus,
Penetrare poſſit vt metu cor palpitans?

ASMA

ASMA III, ſiue CARMEN III.

ALIA cōparatio, ex qua non minor, aut etiam maior, videri poſsit tyrannorum miſeria, quàm ex illa Dionyſij comparatione.

SED ad tyrannum muſa Siculũ nunc redit.
Non ſat videtur huic peritus artifex:
Imaginem oculos ante noſtros ponere
Sat abſolutam non poteſt ſortis ſua.
Suam quoque ergo te rogat perpendere.
Mari te in alto finge quendam cernere,
Cuius agitetur à procellis vndique
Nauis, & ab auſtris, ſæuiat quorum furor.
Et qui neque videt littus vllum quo queat
Appellere, neque cui ſalutem credere.
Importuoſa nanque cernit omnia,
Et plena magnis hoſtium cohortibus.
Malè cupit illi vector omnis interim,
Inuiſus illi ſicut omnis vector eſt:
Ac verba in illos iactat & tunc aſpera.
Satíſque nautis ille non fidit ſuis.
Salutis ergo ſpem miſer in eis locat
Solis, quibus eſſe ſcit tamen nullam fidem.
Aſſequeris iſta? dominus hic de quo loquor,
Cuius ea nauis, ille qui tyrannus eſt.
Eſt illa nauis, ciuitas: vectoribus
Ciues, at ipſis nauitis ſatellites
Hîc comparantur. tota ſic tibi patet
Imago, Hic inter tot procellas, atque tot
Inter tumultus, ira quos maris ciet,

Etiam tumultum dum mouet vectoribus,
(Iuuamen vnde conuenit magis peti)
Dicendus annon eſt malum malo addere,
Velútque nauem perforare iam ſuam?

ASMA IIII, ſiue CARMEN IIII.

DE ANXIA nocte diéque & inquieta tyrannorum mente, cùm ob alia, tum ob diffidentiã. De metu quem conſcientia illis incutit.

QVOD ſi libebit, poterit hinc & mẽs tua
Tyrannicæ alia ſortis infortunia
Imaginari. cogitur domeſticis,
Suis propinquis (cæteris vt ciuibus)
Et fratribus item, liberis, parentibus,
Et denique ipſi coniugi diffidere,
Vtrinque quamuis ſit fides arctiſſimo
Adſtricta amoris pignore: ac eo arctius
Nullum eſſe poſſit pignora inter omnia.
Rogas quis illum cogat? immo quæ, roga.
Eſt illa nempe domina, Conſcientia
Cui nomen. eius ſæpe menti ſuggerit,
Quótnam perempti ſint tyranni fratribus,
Quot ſint ab ipſis & perempti vxoribus,
A liberíſque quot trucidati ſuis:
Vt deputetur omnis in lucro dies.
Quóque magis illum carnifex hæc torqueat,
(Opifera nam quæ eſt principi cuiuis bono,
Et gaudet eſſe cuique ſolatrix bono,
Contra eſſe cuique carnifex gaudet malo)
Silente nocte ſæpius ſuperuenit:

Animantibúſq; tempus omnibus datum
Somnum ad fruendum, virium qui fotor eſt,
Hominibus aliis quiq; vel grauiſſimas
Domare curas gaudet, iſta carnifex
Tormenta contrà vertit in quamplurima
Illi tyranno. totius formidines
Recolit diei. nec caret formidine
Mens, recolit illas quamdiu formidines.
Terrifica ſed quæ ſint magis, nox ſuggerit
Sæpe, vigilanti: ſomnianti, ſæpius.
Ac eius oculis obÿcit, ſomnum inuidens,
Simulacra multa luce iam carentium:
Obÿcere plura ſed ſolet viuentium.
Si capere ſomni cœperit vel paululum,
Et alia deſint quæ queant hunc rumpere,
Tota furiarum mox cohors circumfremit,
Intentat eius atque vultibus faces.
S V*cceſſor eſſe noctis vt cœpit dies,*
Succedere noctis hiſce tot terroribus
Solent diurni: plurimi ſatellites
Vtrunque quamuis illius cingant latus,
Anteambulones ac licet ſint plurimi,
Terga & ſequatur multa ſtipatrix cohors.
Pauet [illegible] ſemper: quiſquis & in lumina
Incurrit eius qui minus notus ſiet,
Suſpectus ille eſt. nanque vix mortalium
Vllum eſſe credit, cui ſcopi non ſit loco:
Iaculator & qui perlibens ac optimus
Non ſit futurus in ſcopum qui tam patet.

Vertítne

Verſúne faciem? ſiquis arridet, putat
Fictum eſſe riſum, pectori nec conſonum.
Si vultus alicui fortè paulo triſtior,
Mæroris (ait) huic cauſa ſum ſolus ſui.
Si vultus alicui fortè ſit ſeuerior,
Vocat hoc tueri torua: vel ſaltem ſua
In mente voluit, Iam neceſſe non putat
Seuerus eſt cui vultus hic & tetricus,
Meam aucupari gratiam. meæ exitum
Inſtare vitæ nouit: huic eſt cognita
Quæ caput in iſtud facta coniuratio.
Siquos in vrbe circulos cernit hominum,
In ſe putat & hos quidpiam molirier.
Siquis nocentum capite fortè plectitur,
Meum caput in hoc (inquit) ô quot expetant
Mutatum? & addit, Immo vel nocentium
Ignoſcere tribus mauelint hi millibus,
(Si detur ipſis optio) vni quàm mihi.
Tonſtrina ſiqua (dum per vrbem commeat)
Oſtendit aliquem qui ſuam nouaculæ
Ceruicem (vt illi barba queis abraditur)
Supponat: ô quàm tonſor hic (inquit) velit
Meam eſſe pariter ſub ſua nouacula!
Síque oſtiatim quiſpiam circumferat
Lupum ſua quem dextera interfecerit,
Lupíve pellem quem peremit, vel caput,
Et conſequatur inde multa præmia:
O plura quanto (dicet ille) præmia
Poſſet adipiſci, ſi meum poſſet caput

A ſe

A ſe amputatum ciuibus proponere!
Sat nanque nouit bellua ſæuiſſima
Loco ſe haberi ſubditis ab omnibus.
Eiúſque non hoc interim mentem fugit,
Tyrannicidis ciuitates Græciæ
Quaſdam ſua olim conſtituiſſe præmia,
Suos honores. iſtud, &, ſi tale quid,
Semper recurſans, vſq; pectus vellicat.

ASMA V, ſiue CARMEN V.

TYRANNOS angi etiam recordatione (quã affert conſcientia) quorundam quæ in alios ty rãnos iactata legerint, aut audierint. Perinuitos audire, talia dicta, qualia ex ore bonorũ regum aut aliorum principum profecta ſunt: & habere ſemper in promptu quædam tyrannica dicta, quæ illis opponant.

QVID, *quum in tyrannos ora quidquid libera*
Auſa intonare ſeculis prioribus,
Memoria reddit, (fida plus quàm vellet is)
Iubente id ipſam facere conſcientia?
Veteríſque dicta quæpiam tragœdiæ,
Quibus impetebat pauculos, in ſe quoque
Iactata credit, ceu ſit ex his pauculis?
Ac ſæpe cupiat fræna linguis ponere,
Et multa cupiat ex libris eradere
(Ceu veritas, quæ tecta ſit ſilentio,
Exiſtimanda veritas minus ſiet)
Obliterari nil tamen prius velit

Quàm

Quã quod ait ille, Victima haud vlla amplior
Poteſt magiſq; opima mactari Ioui,
Quàm rex iniquus. *ora pallor occupat*
Hæc audientis: & malo malum exitum
Regno execratur verba tot minantia:
Vel eſſe ſtabile quæ malum regnum negant,
Regnum, pudor vbi nullus eſt, & iuris eſt
Haud vlla cura, ſanctitas, pietas, fides.
Contra crepat ille ſemper enſes, arma, vim,
Dictúmque minimè vult ſibi iſtud obÿci,
Violenta nemo imperia continuit diu,
Moderata durant. *patitur & multo minus*
Exempla vt addat aliquis ex centum duo.
Nec, odia fugere ſubditorum quæ monent,
(Vis quibus & alia multa dant originem)
Admittit auris. quale ſic loquentis eſt,
Inuiſa nunquam imperia retinentur diu.
Quin hiſce gaudet illa ſic eludere,
Regnare non vult eſſe qui inuiſus timet.
Additque (ceu res principi vitabilis
Sint odia nulli, poſſit huic nec artibus
Vllis ſuorum comparari charitas,)
Simul iſta mundi conditor poſuit deus,
Odium atq; regnum. *Cantilena ergo frequens*
In eius ore eſt, Oderint quantum volent,
Adiunctus odio dummodo ſit & metus.
Sonat & hoc ſæpe, Regna cuſtodit metus.
Iraſcitúrq; ſi quis audet obloqui,
Qui ſceptra duro ſæuus imperio regit,
Timet

Timet timentes: metus in autorem redit.
Illi vel iſta verba ſiquis obijcit,
Multos timeat neceſſe quem multi timent,
Nil his mouetur. Immo grata & illa laus
Ore ex ſuorum quam metus tantùm exprimit.
Nam quum rogatur, nihil an ipſum terreat
Aduerſa populi fama, reſpondet, quaſi
Fama quoq; eſſe poſſit huic obſtaculum
Metus. Iſtud(*inquit*)maximũ regni bonũ eſt,
Quòd facta domini cogitur populus ſui
Quàm ferre, tam laudare: *nec conſiderat*
Hæc verba regeri vocibus ſtatim ſuis
Veridico ab ore, Quos metus cogit aliquem
Laudare, eoſdem reddit inimicos metus.
Iſtis & addi quæ profecta non minus
Veraci ab ore, Quiſquis is ſit qui petet
Veri fauoris gloriam ſibi dari,
Animo magis quam voce laudari volet.
Sed nomen ille falsò quum regis gerat,
Atque ſimulato verba promat pectore,
Iure, ſimulatis acquieſcit laudibus.
Quid? quòd ſubinde pectus eius cogitat
Loquitúrq; ferrum lingua. Nanque, Principem
Ferrum tuetur, *inquit. Ac conſtans ſibi,*
Sæpe iſta iactat, Omnis in ferro eſt ſalus.
Suámque mentem (ſiquis hæret) explicat,
Quod ciuibus tenere te inuitis ſcias
Strictus tueri, ſi velis, enſis poteſt.
Hinc ridet illud cæteri quod ius vocant,

Et

Et, ius in armis eſſe, *ſemper dictitat.*
Sic adminiſtra iuris huic ſunt riſui
Leges: tueri regna quem putat metum
Exprobrat illis, Opprimit leges metus,
Dicens. & iſta pauca verba, ſic volo,
Sic iubeo, *firmas eſſe vult leges ſibi,*
Atque rationis vt voluntas ſit loco.
Sceleris magiſter ſiquis, hunc amplectitur:
Potiſſimúmque ſi magiſter ſit noui,
Et occupatum quod ſit antè nemini.
Placet & magiſter qui ſcelus ſceleri ingerit,
Allegat & qui, regulam vt certiſſimam,
Per ſcelera ſemper ſceleribus tutum eſt iter.
Sed eſſe doctor iudicatur cautior,
Velare quiſquis principem ſcelus docet,
Velamen eſſe ſceleris & ſcelus, petit.
Exſibilatur doctor ille, regibus
Acceptus eſſe qui ſolet, quique obloquens
Illis tyrannis clamitat, Nullum ſcelus
Velatur aulæ: *nec tacet eis conſona,*
Perlucet omne regiæ vitium domus.
Haúdque minus iſta, Regiis nullum poteſt
Eſſe vitiis ſecretum: *& addit*, Veritas
Vt opprimatur, vix ſolet ſic opprimi,
Reſpiret vt non, quum mora interceſſerit.
Verùm timendus is tyrannus eſt magis,
Qui perpetrare ſibi putat quodcunq; vult
Licere. quod enim non ſcelus committat is,
Qui quod ſcelus aliis, ſibi haud ſcelus putat?
Nam

Nam plena ſemper atria aſſentantium,
Illius auri buccinam hanc inflantium,
Tua quid dubitet fortuna ſibi permittere?
Inflare & iſtam non minus gaudentium,
Quæcunq; libeat principi res, & licet.
Ac, ſiquis iſtud corrigens, ſeu rex bonus,
Siue alius aliquis rege qui princeps minor,
Opponat iſtas vocibus malis bonas,
Minimum debet libere cui multum licet:
Telum vel illud hoc velit repellere,
Id facere laus eſt quod decet, nō quod licet:
Effrenem & eius carpat his cupidinem,
Quod non poteſt vult poſſe cui nimiū licet:
Corrector iſtud audiet impium pius,
Vbicunq; tantùm honeſta dominanti licēt,
Precariò regnatur. *atque ſi regeſſerit*
Hac ille princeps, Sanctitas, pietas, fides,
Quemcunq; profugæ principatū liquerint,
Huic ſtabilitatis credito nihil fore:
Effundet iſtud omnium quod peſſimum
Lingua illa virus, Sanctitas, pietas, fides,
Priuata bona ſunt: quâ iuuat, reges eant,
Turpiſque turpes haſce voces clauſula
Tandem ſequetur, pectus omne detegens,
Imperia pretio quolibet conſtant bene.
Atque fateatur, dummodo poſt imperet,
Iam ſe paratum patriam, lares ſuos,
Cum liberiſque coniugem flammis dare.
Iniecta menti ſi ſemel ſpes iſta ſit,

Feratur alacer illa pes ad omnia,
Horrenda viſa quæ prius ſunt & mihi,
Hac ſpe, offeram me vel triſulcæ cuſpidi,
Hac ſpe, ſubibo gurgitis tumidi minas,
Dubiúmq; Libycæ ſyrtis intrabo fretum.

ASMA VI, ſeu CARMEN VI.

MVLTA eſſe tyrannorum dicta in tragœdiis, quæ vix vlli tyranno in mentem venire poſſe quis crederet: quum tamen vel ex illo dicto è tragœdia ſumpto, cui Iulius Cęſar (licet tãtùm ſemityrannus) aſſentiebatur, id minimè vero abſimile relinquatur. De aliorum dictis qui planè tyranni erant: & nominatim de voto Neronis, necnon de voto Caligulæ.

AC, ne quis iſta credat eſſe propria (hic
Tragicis tyrannis, multa quòd cothurnus
Affingere ſolet plurimis: vel Iulium
Velit intueri Cæſarem. is ſententia
Mea tyrannus nominari haud debuit:
Potiúſque ſemityrannus is tantùm fuit,
(Hoc Latia toleret lingua ſi vocabulum)
Si conferatur ille cum Neronibus,
Si cum Caligulis, atq; monſtris talibus.
Huic tale certè regimen extitit ſuum,
Vt nominari potius hoc tyrannidis
Debuerit vmbra, quàm tyrannis, iudices
Æquos apud omnes: potius & tyrannidem
Dici minari, quàm tyrannus dicier.
Roma licet, ipſum ſæpe quæ tyrannidis

Eſt paſſa corpus in tot eius poſteris,
Vel vmbram in illo cæde vindicauerit.
At ecce tamen huic cæſari, quem ſeparat
Diſcrimen iſtud cæteris ab omnibus,
Sunt verba in ore ſemper hæc tyrannica,
Quæ Græca Eteocli olim dedit tragædia,
Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τἄλλα δ᾽ εὐσεβεῖν χρεών.
Ac, quòd placerent, & Latinorum auribus
Ea publicanda cenſuit verbis ſub his,
(Suſpectus vnde forſitan magis fuit)
Nam ſi violandum eſt ius, imperij gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.
Sed mihi camœnam ſentio ſubiraſcier,
Hîc functa quòd non munere eſt interpretis.
Sedanda potius eius ira, nec minus
Eſt audienda & ipſa: (vel ſi Iulij
Res iſta poſsit diſplicere manibus.)
Violare ſi ius eſt neceſſe, vt imperes,
Id facere, pulchrum: cætera maneas pius.
Sed ſemityrannus hic fuit tantummodo,
(Vt nominatus antea fuit mihi:)
Planè tyrannos qualia putes proloqui?
Et maximè illos monſtra qui tyrannica
Potuere dici? (ſic eos vocauerim)
Nero ſic, loquuto verba quodam talia,
Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρὶ,
Me mortuo, igni terra mixta ſit velim:
Se malle dixit cernere hoc ſpectaculum,

ASMA II, ſiue CARMEN II.

METVS deſcriptio qui ſemper tyrannorum torquet pectora, à Dionyſio Siciliæ tyranno propoſita,& à Cicerone relata. Quàm longè ab illa felicitate abſint qua multi frui illos exiſtimant.

SED facere miſſum iam volo Promethea.
Nanque exhibenda facta ſpes cuius tibi
Pictura: cuius & tenet cupido te.
Verùm vnde melius poſſit inchoarier
Imago noſtra, poſſit vbi finirier,
Quàm ſi manum eius æmuler, ſimul ſui
Qui pictor, & ſimul tyrannus qui fuit?
Ergo mihi mentis dirigas huc lumina.
Dionyſius, quem fama cæteris magis
Celebrat tyrannis, Sicula quotquot protulit
Tellus: referta ſemper aſſentantibus
Cui regia fuit: vnius quum plurimis
Foret beatus nominatus vocibus,
(Et nomen huic fuiſſe Damocli ferunt)
Ipſi quòd eſſent copiæ tantæ ac opes:
Sortem experiri voluit illum ſic eam,
Credebat eſſe qua nihil beatius,
Idcóque qua nil eſſe poſſe optatius.
Ex Cic. Tuſ. Lecto imperauit collocari in aureo.
(Stratus erat iſte ſtragulo pulcherrimo:
Pictura magnum magnifica decus dabat)
Multóſque vaſis aureis, argenteis,
Ornauit abacos. huius ad menſam dehinc
Puc-

Pueros, ſtupenda queis erat formoſitas,
Conſiſtere iubet, qui miniſtrent ſedulò,
Nutus ad omnes fixa ſint queis lumina.
Vnguenta multa, ſunt coronæ plurimæ:
Incendi odores plurimos ſentit ſibi.
Menſáſq; tandem ferculis rariſsimis,
Labore, pretio comparatis maximo,
Vult extrui ille. túncq; fortunatus hic
Sibi videri. Sed tyrannus interhunc
Iubet apparatum, gladius vt præfulgidus
Setæ alligatus tantùm equinæ pendeat
Laqueari ab ipſo: talem & eligant locum,
Beati vt huius prorſus hic impendeat
Ceruici. At iſte Damocles beatus, quid?
Pueros tueri deſinit pulcherrimos,
Qui ſunt miniſtri: vaſa non argentea,
Miranda quamuis operis ob ſolertiam,
Placet intueri. iam coronæ defluunt.
Ergo tyrannum Damocles tandem ſuum,
Vt commeatum ſibi velit concedere,
Exorat: eſſe iam beatum nolle ſe.

Hæc à tyranno principi cuiuis datur
Pictura regis qui tyrannus dicitur,
Aut reguli eius nomen id qui poßidet,
Princépſve ſi ſit ille regulo minor.
Tam trepida poßit iſta Damoclis tibi,
Hominíve mentis compoti beatitas
Placere cuiquam? principi quanto minus?
Curæ tot & tot, ſunt onus grauißimum,

Quas alligatas muneri ſentit ſuo.
Quid, tortor ille quum ſuas adiunxerit?
Immo nec vnus eſt tyrannis carnifex:
Præcedit alius. rectius vel vt loquar,
Præcedit alia. nanque Conſcientia
Torquere miſeris hunc prius ſolet modis,
Et aduocatur ille pòſt tortor Metus.
Quòd ſi ſequaces eſſe curas cernimus,
Quæcunq; ſint hæ, ſique militantibus
Commilitare, ſique nauigantibus
Connauigare ſcimus inuitis eas,
Quanto ſequaces ſunt magis quas dat Metus?
Sed iungat operam cum mea Flaccus ſuam,
Meæque muſæ ſuccinant eius fides
Damoclis iſta de beatitudine.
En iſte fidicen promptus eſt expromere
Suam ſuper ea protinus ſententiam.
Attenta capiat auris hos eius ſonos,
Ceruice cuius pendet impia ſuper
Diſtrictus enſis, Sicula menſa non dabit
Dulcem ſaporem, non dabit eum Perſica.
Haud vllus auium dulce garrientium
Cœtus reducet, vlla ſomnum nec lyra.
Annon videntur hæ fides dignæ fide?
Condire valeat quis coquus dapes ita,
Palatum vt etiam tangat illius ſapor,
Tales minatur enſis ille cui minas?
Tantis voluptas pollet vlla viribus,
Penetrare poſsit vt metu cor palpitans?

ASMA

ASMA III, ſiue CARMEN III.

ALIA cóparatio, ex qua non minor, aut etiam maior, videri poſsit tyrannorum miſeria, quàm ex illa Dionyſij comparatione.

SED ad tyrannum muſa Siculũ nunc redit.
Non ſat videtur huic peritus artifex:
Imaginem oculos ante noſtros ponere
Sat abſolutam non poteſt ſortis ſuæ.
Suam quoque ergo te rogat perpendere.
Mari te in alto finge quendam cernere,
Cuius agitetur à procellis vndique
Nauis, & ab auſtris, ſæuiat quorum furor.
Et qui neque videt littus vllum quo queat
Appellere, neque cui ſalutem credere.
Importuoſa nanque cernit omnia,
Et plena magnis hoſtium cohortibus.
Malè cupit illi vector omnis interim,
Inuiſus illi ſicut omnis vector eſt:
Ac verba in illos iactat & tunc aſpera.
Satíſque nautis ille non fidit ſuis.
Salutis ergo ſpem miſer in eis locat
Solis, quibus eſſe ſcit tamen nullam fidem.
Aſſequeris iſta? dominus hic de quo loquor,
Cuius ea nauis, ille qui tyrannus eſt.
Eſt illa nauis, ciuitas: vectoribus
Ciues, at ipſis nauitis ſatellites
Hîc comparantur. tota ſic tibi patet
Imago, Hic inter tot procellas, atque tot
Inter tumultus, ira quos maris ciet,

Etiam tumultum dum mouet vectoribus,
(Iuuamen vnde conuenit magis peti)
Dicendus annon eſt malum malo addere,
Velútque nauem perforare iam ſuam?

ASMA IIII, ſiue CARMEN IIII.

DE ANXIA nocte diéque & inquieta tyrannorum mente, cùm ob alia, tum ob diffidentiá. De metu quem conſcientia illis incutit.

QVOD ſi libebit, poterit hinc & mẽs tua
Tyrannicæ alia ſortis infortunia
Imaginari. cogitur domeſticis,
Suis propinquis (cæteris vt ciuibus)
Et fratribus item, liberis, parentibus,
Et denique ipſi coniugi diffidere,
Vtrinque quamuis ſit fides arctiſſimo
Adſtricta amoris pignore: ac eo arctiùs
Nullum eſſe poſſit pignora inter omnia.
Rogas quis illum cogat? immo quæ, roga.
Eſt illa nempe domina, Conſcientia
Cui nomen. eius ſæpe menti ſuggerit,
Quótnam perempti ſint tyranni fratribus,
Quot ſint ab ipſis & perempti vxoribus,
A liberíſque quot trucidati ſuis:
Vt deputetur omnis in lucro dies.
Quóque magis illum carnifex hæc torqueat,
(Opifera nam quæ eſt principi cuiuis bono,
Et gaudet eſſe cuique ſolatrix bono,
Contra eſſe cuique carnifex gaudet malo)
Silente nocte ſæpius ſuperuenit:

Animantibúſq; tempus omnibus datum
Somnum ad fruendum, virium qui fotor eſt,
Hominibus aliis quiq; vel grauiſſimas
Domare curas gaudet, iſta carnifex
Tormenta contrà vertit in quamplurima
Illi tyranno. totius formidines
Recolit diei. nec caret formidine
Mens, recolit illas quamdiu formidines.
Terrifica ſed quæ ſint magis, nox ſuggerit
Sæpe, vigilanti: ſomnianti, ſæpius.
Ac eius oculis obijcit, ſomnum inuidens,
Simulacra multa luce iam carentium:
Obijcere plura ſed ſolet viuentium.
Si capere ſomni cœperit vel paululum,
Et alia deſint quæ queant hunc rumpere,
Tota furiarum mox cohors circumfremit,
Intentat eius atque vultibus faces.
S V*cceſſor eſſe noctis vt cœpit dies,*
Succedere noctis hiſce tot terroribus
Solent diurni: plurimi ſatellites
Vtrunque quamuis illius cingant latus,
Anteambulones ac licet ſint plurimi,
Terga & ſequatur multa ſtipatrix cohors.
Pauet [illegible] ſemper: quiſquis & in lumina
Incurrit eius qui minus notus ſiet,
Suſpectus ille eſt. nanque vix mortalium
Vllum eſſe credit, cui ſcopi non ſit loco:
Iaculator & qui perlibens ac optimus
Non ſit futurus in ſcopum qui tam patet.
Vertítne

Vertítne faciem? ſiquis arridet, putat
Fictum eſſe riſum, pectori nec conſonum.
Si vultus alicui fortè paulo triſtior,
Mæroris (ait) huic cauſa ſum ſolus ſui.
Si vultus alicui fortè ſit ſeuerior,
Vocat hoc tueri torua: vel ſaltem ſua
In mente voluit, Iam neceſſe non putat
Seuerus eſt cui vultus hic & tetricus,
Meam aucupari gratiam. meæ exitum
Inſtare vitæ nouit: huic eſt cognita
Quæ caput in iſtud facta coniuratio.
Siquos in vrbe circulos cernit hominum,
In ſe putat & hos quidpiam molirier.
Siquis nocentum capite fortè plectitur,
Meum caput in hoc (inquit) ô quot expetant
Mutatum? & addit, Immo vel nocentium
Ignoſcere tribus mauelint hi millibus,
(Si detur ipſis optio) vni quàm mihi.
Tonſtrina ſiqua (dum per vrbem commeat)
Oſtendit aliquem qui ſuam nouaculæ
Ceruicem (vt illi barba queis abraditur)
Supponat: ô quàm tonſor hic (inquit) velit
Meam eſſe pariter ſub ſua nouacula!
Síque oſtiatim quiſpiam circumferat
Lupum ſua quem dextera interfecerit,
Lupíve pellem quem peremit, vel caput,
Et conſequatur inde multa præmia:
O plura quanto (dicet ille) præmia
Poſſet adipiſci, ſi meum poſſet caput

A ſe

A ſe amputatum ciuibus proponere!
Sat nanque nouit bellua ſæuiſſima
Loco ſe haberi ſubditis ab omnibus.
Eiúſque non hoc interim mentem fugit,
Tyrannicidis ciuitates Græciæ
Quaſdam ſua olim conſtituiſſe præmia,
Suos honores. iſtud, &, ſi tale quid,
Semper recurſans, vſq; pectus vellicat.

ASMA V, ſiue CARMEN V.

TYRANNOS angi etiam recordatione (quã affert conſcientia) quorundam quæ in alios tyrãnos iactata legerint, aut audierint. Perinuitos audire, talia dicta, qualia ex ore bonorũ regum aut aliorum principum profecta ſunt: & habere ſemper in promptu quædam tyrannica dicta, quæ illis opponant.

QVID, *quum in tyrannos ora quidquid libera*
Auſa intonare ſeculis prioribus,
Memoria reddit, (fida plus quàm vellet is)
Iubente id ipſam facere conſcientia?
Veteríſque dicta quæpiam tragœdiæ,
Quibus imperebat pauculos, in ſe quoque
Iactata credit, ceu ſit ex his pauculis?
Ac ſæpe cupiat fræna linguis ponere,
Et multa cupiat ex libris eradere
(Ceu veritas, quæ tecta ſit ſilentio,
Exiſtimanda veritas minus fiet)
Obliterari nil tamen prius velit

Quàm

Quā quod ait ille, Victima haud vlla amplior
Poteſt magiſq; opima mactari Ioui,
Quàm rex iniquus. *ora pallor occupat*
Hæc audientis: & malo malum exitum
Regno execratur verba tot minantia:
Vel eſſe ſtabile quæ malum regnum negant,
Regnum, pudor vbi nullus eſt, & iuris eſt
Haud vlla cura, ſanctitas, pietas, fides.
Contra crepat ille ſemper enſes, arma, vim,
Dictúmque minimè vult ſibi iſtud obijci,
Violenta nemo imperia continuit diu,
Moderata durant. *patitur & multo minus*
Exempla vt addat aliquis ex centum duo.
Nec, odia fugere ſubditorum quæ monent,
(Vis quibus & alia multa dant originem)
Admittit auris. quale ſic loquentis eſt,
Inuiſa nunquam imperia retinentur diu.
Quin hiſce gaudet illa ſic eludere,
Regnare non vult eſſe qui inuiſus timet.
Additque (ceu res principi vitabilis
Sint odia nulli, poſſit huic nec artibus
Vllis ſuorum comparari charitas,)
Simul iſta mundi conditor poſuit deus,
Odium atq; regnum. *Cantilena ergo frequens*
In eius ore eſt, Oderint quantum volent,
Adiunctus odio dummodo ſit & metus.
Sonat & hoc ſæpe, Regna cuſtodit metus.
Iraſcitúrq; ſi quis audet obloqui,
Qui ſceptra duro ſæuus imperio regit,
Timet

Timet timentes: metus in autorem redit.
Illi vel iſta verba ſiquis obÿcit,
Multos timeat neceſſe quem multi timent,
Nil his mouetur. Immo grata & illa laus
Ore ex ſuorum quam metus tantùm exprimit.
Nam quum rogatur, nihil an ipſum terreat
Aduerſa populi fama, reſpondet, quaſi
Fama quoq; eſſe poſsit huic obſtaculum
Metus. Iſtud (*inquit*) maximũ regni bonũ eſt,
Quòd facta domini cogitur populus ſui
Quàm ferre, tam laudare: *nec conſiderat*
Hæc verba regeri vocibus ſtatim ſuis
Veridico ab ore, Quos metus cogit aliquem
Laudare, eoſdem reddit inimicos metus.
Iſtis & addi quæ profecta non minus
Veraci ab ore, Quiſquis is ſit qui petet
Veri fauoris gloriam ſibi dari,
Animo magis quàm voce laudari volet.
Sed nomen ille falsò quum regis gerat,
Atque ſimulato verba promat pectore,
Iure, ſimulatis acquieſcit laudibus.
Quid? quòd ſubinde pectus eius cogitat
Loquitúrq; ferrum lingua. Nanque, Principem
Ferrum tuetur, *inquit. Ac conſtans ſibi,*
Sæpe iſta iactat, Omnis in ferro eſt ſalus.
Suámque mentem (ſiquis hæret) explicat,
Quod ciuibus tenere te inuitis ſcias
Strictus tueri, ſi velis, enſis poteſt.
Hinc ridet illud cæteri quod ius vocant,

Et

Et, ius in armis eſſe, *ſemper dictitat.*
Sic adminiſtra iuris huic ſunt riſui
Leges: tueri regna quem putat metum
Exprobrat illis, Opprimit leges metus,
Dicens. & iſta pauca verba, ſic volo,
Sic iubeo, *firmas eſſe vult leges ſibi,*
Atque rationis vt voluntas ſit loco.
Sceleris magiſter ſiquis, hunc amplectitur:
Potiſsimúmque ſi magiſter ſit noui,
Et occupatum quod ſit antè nemini.
Placet & magiſter qui ſcelus ſceleri ingerit,
Allegat & qui, regulam vt certiſsimam,
Per ſcelera ſemper ſceleribus tutum eſt iter.
Sed eſſe doctor iudicatur cautior,
Velare quiſquis principem ſcelus docet,
Velamen eſſe ſceleris & ſcelus, petit.
Exſibilatur doctor ille, regibus
Acceptus eſſe qui ſolet, quique obloquens
Illis tyrannis clamitat, Nullum ſcelus
Velatur aulæ: *nec tacet eis conſona,*
Perlucet omne regiæ vitium domus.
Haúdque minus iſta, Regiis nullum poteſt
Eſſe vitiis ſecretum: *& addit*, Veritas
Vt opprimatur, vix ſolet ſic opprimi,
Reſpiret vt non, quum mora interceſſerit.
Verùm timendus is tyrannus eſt magis,
Qui perpetrare ſibi putat quodcunq; vult
Licere. quod enim non ſcelus committat is,
Qui quod ſcelus aliis, ſibi haud ſcelus putat?
Nam

Nam plena ſemper atria aſſentantium,
Illius auri buccinam hanc inflantium,
Tua quid dubitet fortuna ſibi permittere?
Inflare & iſtam non minus gaudentium,
Quæcunque libeat principi res, & licet.
Ac, ſiquis iſtud corrigens, ſeu rex bonus,
Siue alius aliquis rege qui princeps minor,
Opponat iſtas vocibus malis bonas,
Minimum debet libere cui multum licet:
Telum vel illud hoc velit repellere,
Id facere laus eſt quod decet, nõ quod licet:
Effrenem & eius carpat his cupidinem,
Quod non poteſt vult poſſe cui nimiũ licet:
Corrector iſtud audiet impium pius,
Vbicunque tantùm honeſta dominanti licẽt,
Precariò regnatur. *atque ſi regeſſerit*
Hæc ille princeps, Sanctitas, pietas, fides,
Quemcunque profugæ principatũ liquerint,
Huic ſtabilitatis credito nihil fore:
Effundet iſtud omnium quod peſſimum
Lingua illa virus, Sanctitas, pietas, fides,
Priuata bona ſunt: quâ iuuat, reges eant,
Turpiſque turpes haſce voces clauſula
Tandem ſequetur, pectus omne detegens,
Imperia pretio quolibet conſtant bene.
Atque fateatur, dummodo poſt imperet,
Iam ſe paratum patriam, lares ſuos,
Cum liberiſque coniugem flammis dare.
Iniecta menti ſi ſemel ſpes iſta ſit,

Feratur alacer illa pes ad omnia,
Horrenda viſa quæ prius ſunt & mihi,
Hac ſpe, offeram me vel triſulcæ cuſpidi,
Hac ſpe, ſubibo gurgitis tumidi minas,
Dubiúmq; Libycæ ſyrtis intrabo fretum.

ASMA VI, ſeu CARMEN VI.

MVLTA eſſe tyrannorum dicta in tragœdiis, quæ vix vlli tyranno in mentem venire poſſe quis crederet: quum tamen vel ex illo dicto è tragœdia ſumpto, cui Iulius Cęſar (licet tãtùm ſemityrannus) aſſentiebatur, id minimè vero abſimile relinquatur. De aliorum dictis qui planè tyranni erant: & nominatim de voto Neronis, necnon de voto Caligulæ.

AC, ne quis iſta credat eſſe propria (hic
Tragicis tyrannis, multa quòd cothurnus
Affingere ſolet plurimis: vel Iulium
Velit intueri Cæſarem. is ſententia
Mea tyrannus nominari haud debuit:
Potiúſque ſemityrannus is tantùm fuit,
(Hoc Latia toleret lingua ſi vocabulum)
Si conferatur ille cum Neronibus,
Si cum Caligulis, atq; monſtris talibus.
Huic tale certè regimen extitit ſuum,
Vt nominari potius hoc tyrannidis
Debuerit vmbra, quàm tyrannis, iudices
Æquos apud omnes: potius & tyrannidem
Dici minari, quàm tyrannus dicier.
Roma licet, ipſum ſæpe quæ tyrannidis

Eſt paſſa corpus in tot eius poſteris,
Vel vmbram in illo cæde vindicauerit.
At ecce tamen huic cæſari, quem ſeparat
Diſcrimen iſtud cæteris ab omnibus,
Sunt verba in ore ſemper hæc tyrannica,
Quæ Græca Eteocli olim dedit tragœdia,
Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.
Ac, quòd placerent, & Latinorum auribus
Ea publicanda cenſuit verbis ſub his,
(Suſpectus vnde forſitan magis fuit)
Nam ſi violandum eſt ius, imperij gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.
Sed mihi camœnam ſentio ſubiraſcier,
Hîc functa quòd non munere eſt interpretis.
Sedanda potius eius ira, nec minus
Eſt audienda & ipſa: (vel ſi Iulij
Res iſta poſſit diſplicere manibus.)
Violare ſi ius eſt neceſſe, vt imperes,
Id facere, pulchrum: cætera maneas pius.
Sed ſemityrannus hic fuit tantummodo,
(Vt nominatus antea fuit mihi:)
Planè tyrannos qualia putes proloqui?
Et maximè illos monſtra qui tyrannica
Potuere dici? (ſic eos vocauerim)
Nero ſic, loquuto verba quodam talia,
Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρὶ,
Me mortuo, igni terra mixta ſit velim:
Se malle dixit cernere hoc ſpectaculum,

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί,

Ἐμοῦ ζῶντος γαῖα μιχθήτω πυρὶ,
Me terra viuo miſceatur ignibus.
Caligula nónne teſtis haud erit minus?
Huic vſitatum votum erat tyrannicum,
Tetrúmq; ſupra quælibet tyrannica,
Ceruix vt eſſet vnica ſibi ſubditis,
Vt ſatis in omnes eſſet ictus vnicus.
Ceruicem at ille vidit vnicam ſibi,
Manus ſed eſſe ſubditis quamplurimas.

ASMA VII, ſiue CARMEN VII.

IN REGES falſò quædam à poetis iactari, tanquam illis ſint cum tyrannis communia: quum contrà his ſint propria, & in his demum vera comperiantur. Reformata ſeu correcta quædam horum: ex quibus apparet quomodo cætera reformari poſsint.

HÆC de tyrannis noſtra diſſertatio
Siſtat parũper hîc gradum, dum cõqueror
Expoſtulóq; plurimis de vatibus,
(De vatibus eis ſed tamen potiſsimum
Tragicis cothurnis muſa quorum innititur)
In regum honorem non parum delinquere,
Ipſis loquuntur multa quum de regibus,
Damnántq; in illis, quæ tyrannis propria.
Sermo tyrannos inſequi perget tamen,
Iactata ſi quæ conqueror de regibus,
Tu quoq; tyrannis feceris hæc propria.
Primo locetur iſtud exemplum loco,
(Seriem ſequendo quam mihi dictauerit
Memo-

Memoria) Verùm iuſta, qui reges timet,
Deponat: omne pellat ex animo decus.
Malus eſt miniſter regij imperij pudor.
Deponere illum iuſta qui reges timet,
Debere, quis non iure reclamauerit?
Tres ergo verſus verſibus muto tribus,
(Illis tyranni qui dati pro regibus,
Mutatio ſunt his futuri maxima)
Ne iuſta curet is qui tyrannos timet:
Curam decori mente pellat. eſt pudor
Malus miniſter imperij tyrannici.
Sic, iſta tragicus obijcit quæ regibus,
Solis tyrannis obijci fas iudico,
Cupiunt timeri: quod cupiũt, ſimul timent.
Et ea ſequuntur iſta, (quæ de regibus
Sunt falſa pariter, de tyrannis vera ſunt)
Illis receſſus alma nox tutos negat,
Curiſque pectus ſomnus haud ſoluit ſuis.
Somnos nec omnis eſt putanda purpura
Vigiles ſolere trahere, (quod eadem canit)
Sed eos tyrannos illa queis corpus tegit.
Nam de tyrannis vera quàm ſint talia,
Hiſtorica dubios eſſe ſcripta non ſinunt.
Somnique ſiquid cui dabatur carpere,
Erat vocandus ſemiſomnis ſomnus hic:
Taliſque quamuis eſſet hic, erat breuis.
Sic cæſari quarto ipſa uel ſomni quies
Erat inquieta: quòd pauorem imagines
Miræ cierent. & datæ quum tres forent

Tali quieti vel data tantùm duæ
Horæ, vagánſque porticus per maximas,
Ipſámque crebris vocibus lucem inuocans,
Noctis ſtudebat fallere moræ tædium.
Regéſq́, quoties roſea noctis ſummouet
Aurora tenebras, ſibi videri quis putet
Toties renaſci? regibus malis & hoc
Proprium, tyrannis eſt quibus regni vice.
Aulíſque nullus exulare ab omnibus
Iura & pudorem credat, & ſacram fidem
Connubij: eſt hoc proprium tyrannicis.
Cenſura redeat ſed reformatrix mea.
Non intrat vnquam regium limen fides:
A regibus & hoc ad tyrannos transfero,
Intrat tyranni limen haud vnquam fides.
Cenſoris agere hîc non minus partes decet,
AEquum atq; iniquum regis imperiũ feras.
Vnum licebit in duos partirier,
AEqua atq; iniqua tibi tyrannus imperat,
Et iſta ſæpe: quæ tamen oportet feras.
Sed dicet aliquis, Nónne regis & tui
Imperium iniquum poſſit eſſe quodpiam?
Homo, meus eſt rex: pariter hic obnoxius
(Nam quis negabit?) eſt quibuſdam lapſibus,
Humani haberi qui ſolent & dicier.
Sed tale ſiquid excidit, mox corrigit.
Velim ergo regi ſic monere ſubditum,
AEqua imperia rege à tuo expectes decet,
Contraria illis à tyranno quolibet.

Et

Et regis eſſe ſiqua contingat tamen
Iniqua, ne ſis protinus rebellis huic.
Nam monitus ipſe corriget quod excidit.
Saltémq; fert quod à patre filius, feras.
Notas reuertar hic vt ad cenſorias,
Sequitur abuſus haud minor vocabulum
Regni. boat enim pariter hoc tragœdia,
Vt nemo doceat fraudis & ſceleris vias,
Regnum docebit. *nam profanatur palam*
(Cato haud negaret) à poeta nomen hoc,
Regnum id vocante cui tyrannis nomen eſt.
Et dicta cenſor corrigat quis talia:
Idque hoc reformet omnium primum modo,
Vt nemo doceat fraudis & ſceleris vias,
Docet tyrannis. *Principes nam qui boni*
(Quales decet eſſe quos ius atq; fas ſinunt
Reges vocare) quis magiſtris dixerit
Nullis egere fraudis atq; facinoris?
Quod impudens os adeo, dicat hos vt talia
Satis ſupérque poſſe ab ipſo diſcere
Regno? quis, animum non gerens tyrannicum,
Addere negabit calculum ſuum meo?
Vel regia ipſa (credo) maieſtas queat
Dici eſſe læſa ſæpe ſic à vatibus:
Perpendat iſtud ſiquis, & quæ iam prius
Memorata dicta: quotquot his & adijci
Poſſe is videbit tempore & breuiſſimo.
Adiungere ipſe hoc non morabor cæteris,
Quicunq; fultos eſſe regno ſe vident,

Hi plura petere quàm quæ fas ſinit, ſolent,
Reformet iſtud minima vel mutatio,
Quicunque fultos ſe vident tyrannide,
Hi plura petere quàm quæ fas ſinit, ſolent.
Nec dignitati regiæ haud iniuriam
Factam eſſe dico, quum fuit fallax bonum
Regnum vocatum: regia licet dignitas
Sit ſæpe curis iuncta vel grauiſſimis.
Loquutus ergo quum ſit idem talia,
Quiſquámne regno gaudet? ô fallax bonũ,
Quantũ malorũ fronte quàm blanda tegis!
Hæc obloquentem me volo quiſque audiat,
Tyrannide aliquis gaudet? ô fallax bonum,
Quantũ malorũ fronte quàm blanda tegis!
Dionyſius, tyrannus ille tam potens,
Id faſſus ipſe: Damocles & faſſus eſt,
Tyranni ad horas pauculas vicarius.
Hiſtoria teſtis quam tibi recenſui.
QVERELA nónne iuſta, vel iuſtiſſima,
Princeps, videtur noſtra? quum tamen meæ
Muſæ rogaſſem ſuper ea ſententiam,
Iuſta (inquit) illa: ſed patet latè nimis.
Nam ſcena tibi ſi forte fingit quempiam
Atreum loquentem, vel Creontem, vel Lycum,
Vel ex tyrannis fingit alium quemlibet:
Cur, ſe ille regem ſolitus eſt ſi dicere,
Suúmque regnum, ſe tyrannum nunc vocet?
Regnique dicat cur loco tyrannidem?
Sed ſi tyrannus non loquatur ipſemet,

Nomi-

Nominibus illis tunc poetam dixerim
Abuti, & eſſe vix venia dignum putem.
Adiecit iſtud, eſſe quod notabile
Viſum, & relatu quod reor digniſsimum:
Peccare Græcos partem in alteram magis
Tragicos videri poſſe, quòd reges quoq;
Locis tyrannos nominent in plurimis.
Sed in vetuſtis iſtud excuſabile
Eſſe tragicis: quòd illa vox comprenderet
Qui ſceptra regerent, haud bonos minus malis:
Atque hinc tyranni nomen & Ioui datum.
SED *ſi venire libet ad illa ſecula,*
Quæ poſtera horum temporis longiſsimo
Spatio fuere, regibus ſit cernere
Talem inferentes plurimos iniuriam,
Ipſiq; regno: (ſceptra quod crebrò vocant:
Quo ſæpe tragica muſa nominat modo)
Adulterina nanque multa dogmata
Tunc ſparſa quoq; ſunt regibus cunctis ſuper.
Quale iſtud eſſe iure quiuis dixerit,
Naturam ita eſſe comparatam regibus,
Vt nullum amore proſequantur, ſed ſuis
Studeant vt omnes commodis tantummodo:
Prouehere ſi quos hæc vident, vt hos ament.
Hæc, de tyrannis vera quæ futura ſint,
Credenda veris falſa ſunt de regibus.
Adulterinum dogma nec minus puta,
Adulterinum ceúque nummum reſpue,
Adulterinis quin & omnibus magis

Reÿcito nummis impudens quod clamitat
Photinus ille rege coram AEgyptio,
Ex Lucano. Vis tota ſceptris ſua perit, ſi cœperint
Examinare, iuſtitia quid poſtulet.
(Qualis memorata vox tibi tragœdia)
Haúdque minus iſta reſpuenda credito
(Vel execranda potius) os quæ protulit
Idem, ac eodem temporis puncto quoque,
Aulam relinquat quilibet princeps ſuam
Pius eſſe qui vult. nam coire non queunt
Virtus poteſtas atque ſumma. *Non pudet*
Photine fari hæc? ni fuiſſet is puer
Qui Pharia ſceptra tum tenebat, protinus
Oppoſuiſſet, Immo cuncta ſecula
Aliquos dederunt in quibus non abnuit
Summa eſſe virtus & poteſtatis comes
Summæ. negare non pudet te talia,
Exempla quum te tot queant conuincere?
Non ſic Achoreus: ſed fides quid poſtulet
Conſiderare principem ſuum monet,
Suam rogatus qui prior ſententiam.
Sed melior (vt fit) cogitur ſuccumbere
Concilio in illo pars ei quæ maior eſt.
Hinc accidit vt is morte damnetur, viris
Quem magna Roma iudicarat in ſuis
Solum eſſe magni qui foret cognomine
Dignus repertus. Rex puer quod pluribus
Placere cernit, credit eſſe rectius.
Idémque lætus hoc honore redditur

Adhuc

Adhuc ſibi nouo: tanta iam gaudet ſibi
Licere. Achillæ facinus id committitur.

ASMA VIII, ſiue CARMEN VIII.

REGIBVS, vel aliis legitimis principibus, noſtro etiam ſeculo à quibuſdã (Chriſtianos tamen ſe profitẽtibus) pręcepta ſeu monita multa contra ius & fas eſſe data, quum ſolis tyrannis conueniant. Talium autem magiſtrorum anteſignanum fuiſſe Machiauelum.

ANTIGONVS olim laude dignũ fatus eſt
Verbũ, quũ adulans lingua cuncta regibus
Honeſta, & eſſe iuſta cuncta diceret.
Verum iſtud (inquit) regibus de barbaris:
At nos, honeſta ſiqua, honeſta dicimus:
Et, ſiqua iuſta, iuſta nos hæc dicimus.
Sed regibus quod dixit is de barbaris,
Dixiſſet illud de tyrannis rectius.
Nanque regioni non licet vel barbaræ
Reges vocare qui patrant tyrannica.
Notæ que tragicis antea cenſoriæ
Sunt à me inuſtæ, quòd profanum redderent
Regum atq; regni nomen, ipſos dum volunt
Etiam tyrannos vindicare illud ſibi,
Noméq; regni dare ſuæ tyrannidi.
At Chriſtiani mage merentur hac nota
Nonnulli inuri, qui profeſſi regibus
Conſilia ſeſe tradituros optima,
Gradum aut minorem regio tenentibus
Principibus, illos ſæpe per tyrannicas

Ferre

Ferre patiuntur ſemitas veſtigia.
Dico, Patiuntur? immo certè conſulunt,
Hortantur, vrgent: vt magiſter ethnicus
Haud poßit vllus eſſe peſtifer magis.
Photinus ille, magnus artifex erat
Imbuere prauis vocibus Memphitici
Aures tenellas regis, & corrumpere
Pectus tenellum, ſceptra qui gerentium
Corruperat antè forſitan tam pectora.
Ah, tempora quot habere Photinos putas
Noſtra? vt dediſſe nomen illi iactitent
Chriſto? Nefanda viſus eſt tibi loqui
Photinus ille AEgyptius, quum diceret
Sceptris perire vim ſuam, ſi ſceptrifer
Velit eſſe iuſtus, eſſe ſi pius velit:
At laudet aliquis qui Machiaueliſta ſit.
Et inter illos laurea digniſſimus
Habeatur ille qui loquatur talia.
Nec miror ipſe. nam Machiauelus fuit
Photinus alter. quódq; voluo pectore,
Expectorare ſi mihi conceditur,
Huius animam migraſſe Photini reor
In corpus illius: tribuenda ſi ſopho
Samio fides eſt, ſic meare in corpora
Alia animas, mors à ſuis quas ſoluerit.
De te quod ante dixeram Florentia,
Libet iterare nunc Machiauelo ſuper,
Magiſter ille cui decus Florentia,
Magnum eſt at ipſi dedecus Florentiæ.

Amo te, amaui iam puer, Florentia.
Spectata in annis nam fuiſti & tu mihi
Teneris: petóque Romuli quum mœnia
(Si Roma ſeruat tam vetuſta mœnia)
Et Romuli pedem referens à mœnibus.
Spectator haúdque per dies paucos tui
Tunc eſſe volui: ſæpe Phœbe cornua
Sua reparauit, dum fruor ſpectaculo.
Tu ciuitatum (poſt Neapolim tamen)
Gratiſſima omnium Auſones quas incolunt,
Mihi fuiſti. ſed volo Florentia
Verum fateri (nanque mos eſt hic meus,
Fateri amico vera, amicæ & cuilibet
Eadem fateri) gratior fores mihi,
Si non & impio Machiauelo ſolum
Natale (nanque confiteris hoc) fores.
Cur aluus illum matris extulit foras?
Cur potius illa menſium nouem domus,
Etiam ſepulcrum facta non eſt impio?
Cur ſolis vnquam fuit ei viſum iubar,
Quem vidit ille ſeculo ſolum ſuo
Scholas tyrannis aperuiſſe, non modò
Quicunque erant tunc, poſteris ſed omnibus?
Cur minuo crimen? occupandæ nam fuit
Magiſter ille plurimis tyrannidis.
Quid obloquêris? principi primo tuo,
Quem tu tyrannum nominabas, parcere
Planè abnuiſti ciuitas Florentia:
Parcendum an illi fuerat, in cuius libris

Tyran-

Tyrannidis ſunt tanta ſeminaria?
Sed & ipſe parco, quum virum voco impium.
Plus ille, plus eſt quàm vocandus impius.
Saltémque vir ter impius, ter ac quater
Vir impius, ſit omnium præconio
Dignus ſonari. nec procul teſtes mihi
Sint aduocandi. nam vel vna pagina
Conuincet illum: prima forſan pagina
Libris quæ apertis obuiam ſeſe dabit.
Cur Græcus ille, vir foret licet ethnicus,
Eſt ethnicorum calculis tot iudicum
Suis crematus cum libris? non hic fuit
A Chriſtianis, auſus eſſet quum dare
Et ipſe Chriſto nomen, ac quando impia
Verba euomebat, Chriſtianus tum tamen
Audire vellet, haud minus quàm cæteri?
Cur hæc librorum peſtis haud ſaltem ſuis
Non clauſa manſit terminis? cur exteras
Petiuit oras? Gallia ô tu nunc mea
Eſſes beata, peſtis hæc ſi non tua
Menti ingruiſſet: tu beata nunc fores,
(Ego ex beatis forſitan tecum forem)
Hauſiſſet iſtud toxicum ni mens tua.
Eſſes beata Gallia ô tu nunc mea:
Qua nulla terra poſsit infelicior
Nunc inueniri: luſtret vt quis omnia
Loca, face luſtrat ipſe qua Phœbus ſua.
Quæ miſera nanque ſit magis tellus ea,
Miſeranda & ipſis quæ poteſt dici hoſtibus?

Hoc

Hoc iure de te nónne dicam Gallia?
Nónne miſeratur illa gens Hiſpanica
Tuas miſerias? quid tamen loquor? poteſt
Illa miſerari natio dici tui,
Quæ creſcere cupit ex tuis tot cladibus?
Illam ad librorum ſed reuertar vt luem,
Mirantur iſtud (ſat ſcio) quamplurimi,
Quæ fax tot ignes ſparſerit per Galliam,
Et vnde prima nata ſint incendia.
Hoc ipſe pandam. (cognita & pandam mihi,
Dum longam in aula regia traho moram)
Schola eſt aperta Gallicis quæ mentibus
Per peſtilentes hoſce libros, hæc fuit
(Crede mihi) Erinnys quæ facem primã intulit.
Non aliam Alecto ſuſpicetur quiſpiam,
Aliam Megæram mente vel fingat ſua.
Nam moliendi res nouas dum Gallia
Tot diſcit artes, dúmq; tot tyrannidis
Technas docetur occupandæ, dum nihil
Docetur inter fas nefas diſtinguere,
Ad arma tandem venit (heu) nefaria.
Quid? an monendi principes ſitis mihi,
Procul arceatis hos vt à veſtris libros
Oculis? ab aula & amoueatis vt procul?
Timenda vobis corporum ſi peſtis eſt,
Scitis timendam mentium peſtem magis.
At quanta peſtis iſta ſint volumina,
Documenta vobis ſat ſupérq; Gallicos
Velim tumultus eſſe. (nanque cæteros

Libet

Libet tacere) creditur felicitas
Haud parua, poſſe diſcere aliorum ex malis
Quo præcauenda ſint nobis modo mala.
Magnúmque certè quòd dolus detectus eſt
Scriptoris huius, qui libri mentitus eſt
Nomen: velit vt ſi pharmacorum venditor
Titulum alicuius pyxidis mentirier.
Nunc nominetur is Machiaueli liber
MAGISTER OMNIS REGIMINIS TYRANNICI.

ASMA IX, ſiue CARMEN IX.

TYRANNOS cùm aliis vitiis laborare, tum vel maximè ſuperbia & crudelitate: ſed eos illorum pleraque, ac præſertim crudelitatem, inter principatus præſidia cenſere. Ac eos quoque tyrannos, quorum, præ aliis, grandiloqua quędã fuerit ſuperbia, & (in quibuſdã) ad deorum etiam contemptum accedens, ei timiditati fuiſſe obnoxios, de qua & antea dictum fuit, & nunc quoque aliquid dicitur.

QVIS *exſequatur quot laboret peſtibus*
Pectus tyranni? germinat ſuperbia
In pectore iſto prima: habet crudelitas
Germen ſecundum, nempe qui primus fuit
Tyrannus, vrbis Romuli in primordiis,
Cognomen eſt adeptus ab eo germine
Tributus à me cui fuit primus locus.
Nam Tarquinius vocatus is Superbus eſt.
Vrbs quem expuliſſet cauta ſi non Romuli,
Cogno-

Cognomen eſſet conſequutus alterum
Crudelitatis à ſecundo germine.
Quot ille cunque ſed laboret peſtibus,
(Nanque altus optem cæteras recenſeat)
Hoc nomine illas ipſe nunquam nominat,
Morbóſve dicit: principatus optima
Præſidia credit: omnium ſed maximum,
Crudelitatem. pectori nil gratius
Illius vnquam facta quàm crudelia.
Euadere horum doctior vult in dies.
Illi peritus non ſatis tyrannicæ
Videtur artis morte qui pœnam exigit.
Quæ maior eſſe poſſit hac crudelitas?
Nam mortis alicui pœna non conceditur,
Pœnis vt ille ſuppetat ſemper nouis.
Hânc verba cernas & ſuperba prægredi.
Parúmque tamen eſt ea ſuperba dicere:
Parum ſuperbos eſt tyrannos dicere.
Nam nec hominum vllum Phœbus aſpicit genus,
Tanta intumeſcat cui cor arrogantia,
Nullum impotentes tam gerat quod ſpiritus,
Tranſcendat & ſic omnis inſolentiæ
Metas quod omnes. teſtis eſſe vel Lycus
Poteſt abundè: lingua cui tandem ferox
Hæc auſa fari, Quod Ioui, hoc regi licet.
Erũpere & in hæc, Sceptra quid poſsint ſcies.
Complectere aras: nullus eripiet deûs
Te mihi. *Neronis nec minor ferocia*
(Alio vocanda ni mihi vocabulo

Neronis hæc vox, adeo contemptrix deûm)
Stultè verebor, eſſe quum faciam, deos.
Hiſtoria eorum cæſarum queis regius
Haud principatus ſed fuit tyrannicus,
Plena eſt profanis vocibus, quibus ſuos
Eſſe indicabant ſibi deos contemptui.
¶ *At res pudore digna longè maximo,*
Quin & cachinnis omnium digniſſima,
Quòd & hi tyranni, tam loquentes grandia,
Et nil crepantes quàm ſuam potentiam,
Ferrúmq; & ignes comminantes omnibus,
Sublimi & aſtra qui ferirent vertice,
Séque magis ipſis crederent deis deos,
Tam timida gererent interim omnes pectora,
Vt & animantes timidiores cæteris
Hac dicerentur parte cunctas vincere:
Tribuere ſi fas huic rei victoriam.
Exempla talis multa ſunt infamiæ
Iam ſuperiori comprehenſa carmine:
Sed cumulus eſſe talium maior poteſt.
Et alia nanque ſubminiſtrat mens mihi:
Atque placet iſtud cæteris præmittere:
Accurrit ad eos lacrymans ſi quiſpiam,
Cui palpitat cor, ſe volens aduoluere
Genubus eorum, ſupplices & fundere
Preces: inermis iſte ſit prorſus licet,
His cor magis iſti palpitat quàm ſupplici,
Vt latera cingant plurimi ſatellites.
Alicunde ſiquis verberum crepuit ſonus,
Pati

Pati ſibi eadem iam videntur verbera:
Siqua & fragorem fortè dant ruentia,
Suum caput illa petere velle iam, putant.
Quid quòd timere ſe lateris ferrum ſui,
Eos fateri non pudet? teſtis vel is
Vnde hæc profecta verba, Dum excelſus ſteti,
Nunquam pauere deſtiti, atq; ipſum mei
Ferrum timere lateris. *Illa denique*
Quæ timiditatis antea recenſui
Exempla in illis quos tyrannos dicimus,
Memorata noli de quibuſdam credere
Demiſſus animus queis foret. nam ſpiritus
Magni licet eis, pectora timidiſſima.
Quid? an Caligulæ creditur demiſſio
Fuiſſe talis? immo multa clamitant
Superbiam eius: ſed deûm contemptio
Teſtatur illam maximè. nam poſſit hæc
Quanta eſſe dici numinis contemptio,
Audere & ipſi comminarier Ioui?
Contemptor iſte tantus, ad tonitrua
Iouis expaueſcens, proripit ſeſe tamen
Strato, atque condit illico ſub lectulo.
Quid? ille cæſar turgidum ſuperbiâ
Cui pectus adeo, ſe vocaret vt deum
Dominúmque, & ipſe non fuit timoribus
Obnoxius eis omnibus, tyrannici
Quos principatus inuehunt? certè fuit.
Miremur ergo, rideamus & ſimul,
Iſtos tyrannos, tam frementes grandia,

Et nil crepantes quàm ſuam potentiam:
Quibus, ipſa tangit atque vertex ſidera,
Séque magis ipſis qui putant deus deos:
Gerant quòd adeo timida pectora interim,
Vel cerua vt illos atque dama rideat.

ASMA X, ſiue CARMEN X.

IN TYRANNIS ſummam diffidentiam eſſe cauſam ſummæ timiditatis: cuius inſignia exempla afferuntur. Tyrannis paucos eſſe amicos, qui fideles dici poſsint, & à quibus ſibi cauere non debeant. Sed pauciores etiam futuros, ſi conſiderarent quanta huic amicitiæ & ab ipſis & aliunde pericula impendeant.

SED *vnde tanta timiditas? quis me roget.*
Neceſſe, timidus ille ſit, qui nemini
Vult atq; credit fidere poſſe nemini.
At fidere vlli poſſe, quídnam quod vetat?
Magna illa domina, dicta Conſcientia,
Odium mereri quæ ſuſurrat omnium.
Age, quid tyrannis hiſce diffidentius?
Haud in hominum vllo genere diffidentia
Eſt vlla maior. atque iure forſitan
Quis inter illas quæ tyrannis inſitæ
Peſtes, dari iſti poſtulet primum locum,
Dari ſecundum poſtulet formidini:
Matrémque dicat illam, at eſſe filiam
Hanc dicat. & repugnet haud tamen mihi.
Illis loquutus nanque ſum de peſtibus,
Quæ peſtilentes potius ipſis ſubditis:

At hic loquetur de duabus peſtibus,
Quarum eſſe virus noxium quis dixerit
Potius tyrannis: ex duabus his licet
Exurgat illa dicta quæ crudelitas:
(Culpa Prometheum liberare ſi placet,
Conie cta prius in eius artem quæ fuit)
Atque in tyranno ſæpe diffidentia
Eſt tanta, vt illam tegere frons quum peruelit,
(Partémve ſaltem) lingua contrà detegat,
Prodátque cunctis. nanque ſe quidam ſui
Ferrum timere lateris ingemens ait:
In iſta quidam verba prorumpit miſer,
Cuncta expaueſco, mêq; non credo mihi.
Ac lingua quamuis ipſa diffidentiam
Eſſet negare pertinax, vel lumina
Factis in horum cernerent non hæc ſatis?
Nam Roma multos ipſa vidit cæſares,
Vellent prius eos excuti qui ſedulò
Quos pes ferebat vt ſalutem dicerent.
Quid? imperantem Claudium ſatellitum
Non turba in ipſis cinxit & conuiuijs?
Conuiuiorum qualis ô qualis fuit
Facies, vbi ſpiculator vnum plurimus
Conuiuam & ipſa lancea circumdabat
Inſtructus? idem non amicum quempiam
(In parte pariter iſta dum ſtudet ſibi
Ciuilitatis comparare gratiam)
Audebat ægrum viſitare, quin prius
Cubiculi eſſet facta perſcrutatio.

Exempla vidit haud minora Græcia
Siculáque tellus nónne diffidentiæ?
Annon is animi prorſus infelix fuit
Pheris tyrannus imperans? præcordia
Hinc amor at inde magnus angebat metus.
Nam quum impotente deperiret coniugem
Theben amore, non dabat aditum metus,
Quum petere vellet ab epulis cubiculum,
Niſi anteiret barbarus ſtrictum tenens
Ferrum. notíſque Thracijs compunctus hic
Erat ſatelles. deinde nec committere
Lecto hic maritus coniugali ſe tamen
Audebat, ante facta quàm ſcrutatio
Eius fuiſſet, arcularum nec minus
Muliebrium, lateret hîc ne quodpiam
Telum, quod eſſet inter ipſas abditum
Veſtes. Miſeria quanta, nolle fidere,
Nec poſſe, charæ coniugi: ſed barbarum,
Inuſta fronti cuius eſſent ſtigmata,
Fideliorem credere hac ſibi fore!
Compoſita vt iſta diis ab iratis erat
Pœna in tyrannum, nec ſua libidini
Poſſe imperare, nec ſuæ formidini!
Tanta'que cauſa quæ fuit formidini,
Finis fuit item. nam peremit hunc ſua
Thebe vxor: iram pellicatus dum mouet.
At Siculus ille nunc tyrannus prodeat,
Dionyſius, tyrannus ille tam potens,
Qui principatum docuit ac potentiam

Totam

Totam tyranni poſſe verè dicier
Pendere filo tenui: & eſſe neminem,
Cui ſi tyranni ſors ſatis ſit cognita,
Vicarium ſe vel dies in pauculos
Huic non recuſet: factus aut vicarius
(Quòd illa nota ſors ſatis nondum foret)
Non commeatum iam petat poſtridie,
Damoclis & ita malit exemplum ſequi,
Eadem ſub oculos quum pericla venerint.
Tyrannus (inquam) Siculus ille tam potens,
Huius cruciatus longa nónne fabula
(Hiſtorica narrant ſcripta quam tot atq; tot)
A ſeſe amicos nam ſuos ſæpiſsime
Is ſummouebat: mancipia quorum locum
(E gentibus erant lecta quæ feriſsimis,
Et è familiis ſumpta quæ ditiſsimis)
Tenere ſolita. tantum in his fiducia
Ponebat ille, latera vt his ſolis ſua
Exiſtimaret poſſe ſe committere.
Miſeriæ & aliud en tibi exemplum dabo,
Huic afferebat quam ſua diffidentia.
Egebat artis hic miſer tonſoriæ:
Neq; tamen erat tonſor vllus vſpiam,
Collum putaret cui ſuum committere,
Sat eſſe tutum. filias tonſoriam
Artem docet ergo. (fœda quàm res, virgines
Artem doceri regias tam ſordidam)
Sed eſſe adultas filias vbi videt,
Ætati adultæ cernit aut has proximas,

Cauſam timoris ſentit has ſimul ſibi.
Iam ferrum ab iſtis remouet: ac iam quæritur
Tondendi alia quæ tutior priore ſit
Ars arte. & ardens carbo tandem fungitur
Vice artis huius. nam citus miniſter eſt
Barbam & capillum pariter ipſi adurere.
Addit miſeriæ ſe ſecundæ tertia.
Securiorem nam maritum non agit,
Quàm patrem. ei ſunt quippe bina coniuges,
Neutrius audet petere complexus tamen,
Excuſſa prius hæc ſedulò niſi fuit.
Cubicularis atque lectus, caſtra ceu,
Foſſa fuiſſe dicitur circumdatus
Lata. atque ponte ligneo ſolubili
Superfuiſſe ſtrata foſſa: & aſſeres
Auehere ſecum ſolitus, antequam daret
Somno ſe: eoſdem luce prima mos erat
Compaginare, vellet inde quum pedem
Efferre. & illa quæ foris cubiculi
Extrinſecus erat, claudier à cuſtodibus
Solebat: interiorem at alteram
Clauſtro obſerabat diligenter ipſemet.
Verbis tyrannus iſte ſic tragœdiæ
Feciſſe dici maximam fidem poteſt.
Tutos receſſus alma regibus malis
Dare nox recuſat, ſomnus his & pectora
Curis recuſat, dum iacent, exſoluere.
Hoc quoque vetabat illa diffidentia,
Ne poſſet vnquam concionari ſuis

Sug-

Suggeſta apud communia: vt conſcendere
Turrim neceſſe tunc foret celſiſſimam.
Quid, quòd iubebat illa diffidentia
Et innocentem fundere ſæpe ſanguinem?
Sed de duorum cæde nunc tantùm loquar.
Quum luſum amaret ipſe plurimum pilæ,
Et tunicam, vt illa luderet, deponere
Iam vellet, adoleſcentulo charo ſibi
Cuſtodiendum tradidit gladium ſuum.
At familiaris hîc aliquis quum talia
Iocatus eſſet, Huic quidem certè tuam
Committis ipſe vitam: *& arriſiſſet his*
Verbis adoleſcentulus: is imperat dari
Vtrunque letho: quòd viam hunc oſtendere
Sui necandi diceret: quòd alteri
Suus ea verba riſus eſſet approbans.
Doluítque cædem propter hanc grauiſſimè:
Magis dolendum vita nec quidquam attulit
Tota, interemit quòd ſibi chariſſimum.
I nunc, pauores ac tremores cæſarum
Mirare tantos, conſcij quotquot ſibi
Regiminis eſſent improbi & tyrannici.
¶ *Adde quòd amicus grex tyrãno paruus eſt,*
(Nam nunc amicis ſermo de fidelibus)
Dum carpit auras ille vitales: & is
Profeſſus hoc eſt nomen albo qui ſuum,
Dum fruitur ille luce, vult eradere
Suum inde nomen caſſus eſt quum lumine.
Vix ſunt reperti qui tyranno cuipiam

Ferre patiuntur ſemitas veſtigia.
Dico, Patiuntur? immo certè conſulunt,
Hortantur, vrgent: vt magiſter ethnicus
Haud poßit vllus eſſe peſtifer magis.
Photinus ille, magnus artifex erat
Imbuere prauis vocibus Memphitici
Aures tenellas regis, & corrumpere
Pectus tenellum, ſceptra qui gerentium
Corruperat antè forſitan iam pectora.
Ah, tempora quot habere Photinos putas
Noſtra? vt dediſſe nomen illi iactitent
Chriſto? Nefanda viſus eſt tibi loqui
Photinus ille AEgyptius, quum diceret
Sceptris perire vim ſuam, ſi ſceptrifer
Velit eſſe iuſtus, eſſe ſi pius velit:
At laudet aliquis qui Machiaueliſta ſit.
Et inter illos laurea digniſsimus
Habeatur ille qui loquatur talia.
Nec miror ipſe. nam Machiauelus fuit
Photinus alter. quódq; voluo pectore,
Expectorare ſi mihi conceditur,
Huius animam migraſſe Photini reor
In corpus illius: tribuenda ſi ſopho
Samio fides eſt, ſic meare in corpora
Alia animas, mors à ſuis quas ſoluerit.
De te quod ante dixeram Florentia,
Libet iterare nunc Machiauelo ſuper,
Magiſter ille cui decus Florentia,
Magnum eſt at ipſi dedecus Florentiæ.

Amo

Amo te, amaui iam puer, Florentia.
Spectata in annis nam fuiſti & tu mihi
Teneris: petóque Romuli quum mœnia
(Si Roma ſeruat tam vetuſta mœnia)
Et Romuli pedem referens à mœnibus.
Spectator haúdq; per dies paucos tui
Tunc eſſe volui: ſæpe Phœbe cornua
Sua reparauit, dum fruor ſpectaculo.
Tu ciuitatum (poſt Neapolim tamen)
Gratiſsima omnium Auſones quas incolunt,
Mihi fuiſti. ſed volo Florentia
Verum fateri (nanque mos eſt hic meus,
Fateri amico vera, amicæ & cuilibet
Eadem fateri) gratior fores mihi,
Si non & impio Machiauelo ſolum
Natale (nanque confiteris hoc) fores.
Cur aluus illum matris extulit foras?
Cur potius illa menſium nouem domus,
Etiam ſepulcrum facta non eſt impio?
Cur ſolis vnquam fuit ei viſum iubar,
Quem vidit ille ſeculo ſolum ſuo
Scholas tyrannis aperuiſſe, non modò
Quicunque erant tunc, poſteris ſed omnibus?
Cur minuo crimen? occupandæ nam fuit
Magiſter ille plurimis tyrannidis.
Quid obloquêris? principi primo tuo,
Quem tu tyrannum nominabas, parcere
Planè abnuiſti ciuitas Florentia:
Parcendum an illi fuerat, in cuius libris

Tyran-

Tyrannidis ſunt tanta ſeminaria?
Sed & ipſe parco, quum virum voco impium.
Plus ille, plus eſt quàm vocandus impius.
Saltémque vir ter impius, ter ac quater
Vir impius, ſit omnium præconio
Dignus ſonari. nec procul teſtes mihi
Sint aduocandi. nam vel vna pagina
Conuincet illum: prima forſan pagina
Libris quæ apertis obuiam ſeſe dabit.
Cur Græcus ille, vir foret licet ethnicus,
Eſt ethnicorum calculis tot iudicum
Suis crematus cum libris? non hic fuit
A Chriſtianis, auſus eſſet quum dare
Et ipſe Chriſto nomen, ac quando impia
Verba euomebat, Chriſtianus tum tamen
Audire vellet, haud minus quàm cæteri?
Cur hæc librorum peſtis haud ſaltem ſuis
Non clauſa manſit terminis? cur exteras
Petiuit oras? Gallia ô tu nunc mea
Eſſes beata, peſtis hæc ſi non tuæ
Menti ingruiſſet: tu beata nunc fores,
(Ego ex beatis forſitan tecum forem)
Hauſiſſet iſtud toxicum ni mens tua.
Eſſes beata Gallia ô tu nunc mea:
Qua nulla terra poſſit infelicior
Nunc inueniri: luſtret vt quis omnia
Loca, face luſtrat ipſe quæ Phœbus ſua.
Quæ miſera nanque ſit magis tellus ea,
Miſeranda & ipſis quæ poteſt dici hoſtibus?

Hoc

Hoc iure de te nónne dicam Gallia?
Nónne miſeratur illa gens Hiſpanica
Tuas miſerias? quid tamen loquor? poteſt
Illa miſerari natio dici tui,
Quæ creſcere cupit ex tuis tot cladibus?
Illam ad librorum ſed reuertar vt luem,
Mirantur iſtud (ſat ſcio) quamplurimi,
Quæ fax tot ignes ſparſerit per Galliam,
Et vnde prima nata ſint incendia.
Hoc ipſe pandam. (cognita & pandam mihi,
Dum longam in aula regia traho moram)
Schola eſt aperta Gallicis quæ mentibus
Per peſtilentes hoſce libros, hæc fuit
(Crede mihi) Erinnys quæ facem primã intulit.
Non aliam Alecto ſuſpicetur quiſpiam,
Aliam Megæram mente vel fingat ſua.
Nam moliendi res nouas dum Gallia
Tot diſcit artes, dúmq; tot tyrannidis
Technas docetur occupandæ, dum nihil
Docetur inter fas nefas diſtinguere,
Ad arma tandem venit (heu) nefaria.
Quid? an monendi principes ſitis mihi,
Procul arceatis hos vt à veſtris libros
Oculis? ab aula & amoueatis vt procul?
Timenda vobis corporum ſi peſtis eſt,
Scitis timendam mentium peſtem magis.
At quanta peſtis iſta ſint volumina,
Documenta vobis ſat ſupérq; Gallicos
Velim tumultus eſſe. (nanque cæteros

Libet

Libet tacere) creditur felicitas
Haud parua, poſſe diſcere aliorum ex malis
Quo præcauenda ſint nobis modo mala.
Magnúmque certè quòd dolus detectus eſt
Scriptoris huius, qui libri mentitus eſt
Nomen: velit vt ſi pharmacorum venditor
Titulum alicuius pyxidis mentirier.
Nunc nominetur is Machiaueli liber
MAGISTER OMNIS REGIMINIS TYRANNICI.

ASMA IX, ſiue CARMEN IX.

TYRANNOS cùm aliis vitiis laborare, tum vel maximè ſuperbia & crudelitate: ſed eos illorum pleraque, ac præſertim crudelitatem, inter principatus præſidia cenſere. Ac eos quoque tyrannos, quorum, præ aliis, grandiloqua quędã fuerit ſuperbia, & (in quibuſdã) ad deorum etiam contemptum accedens, ei timiditati fuiſſe obnoxios, de qua & antea dictum fuit, & nunc quoque aliquid dicitur.

QVIS exſequatur quot laboret peſtibus
Pectus tyranni? germinat ſuperbia
In pectore iſto prima: habet crudelitas
Germen ſecundum. nempe qui primus fuit
Tyrannus, vrbis Romuli in primordiis,
Cognomen eſt adeptus ab eo germine
Tributus à me cui fuit primus locus.
Nam Tarquinius vocatus is Superbus eſt.
Vrbs quem expuliſſet cauta ſi non Romuli,
Cogno-

Cognomen eſſet conſequutus alterum
Crudelitatis à ſecundo germine.
Quot ille cunque ſed laboret peſtibus,
(Nanque alius optem cæteras recenſeat)
Hoc nomine illas ipſe nunquam nominat,
Morbóſve dicit: principatus optima
Præſidia credit: omnium ſed maximum,
Crudelitatem. pectori nil gratius
Illius vnquam facta quàm crudelia.
Euadere horum doctior vult in dies.
Illi peritus non ſatis tyrannicæ
Videtur artis morte qui pœnam exigit.
Quæ maior eſſe poſsit hac crudelitas?
Nam mortis alicui pœna non conceditur,
Pœnis vt ille ſuppetat ſemper nouis.
Hanc verba cernas & ſuperba prægredi.
Parúmque tamen eſt ea ſuperba dicere:
Parum ſuperbos eſt tyrannos dicere.
Nam nec hominum vllum Phœbus aſpicit genus,
Tanta intumeſcat cui cor arrogantia,
Nullum impotentes tam gerat quod ſpiritus,
Tranſcendat & ſic omnis inſolentiæ
Metas quod omnes. teſtis eſſe vel Lycus
Poteſt abundè: lingua cui tandem ferox
Hac auſa fari, Quod Ioui, hoc regi licet.
Erūpere & in hæc, Sceptra quid poſsint ſcies.
Complectere aras: nullus eripiet deus
Te mihi. *Neronis nec minor ferocia*
(Alio vocanda ni mihi vocabulo

Neronis hæc vox, adeo contemptrix deûm)
Stultè verebor, eſſe quum faciam, deos.
Hiſtoria eorum cæſarum queis regius
Haud principatus ſed fuit tyrannicus,
Plena eſt profanis vocibus, quibus ſuos
Eſſe indicabant ſibi deos contemptui.
¶ *At res pudore digna longè maximo,*
Quin & cachinnis omnium digniſſima,
Quòd & hi tyranni, tam loquentes grandia,
Et nil crepantes quàm ſuam potentiam,
Ferrúmq; & ignes comminantes omnibus,
Sublimi & aſtra qui ferirent vertice,
Séque magis ipſis crederent deis deos,
Tam timida gererent interim omnes pectora,
Vt & animantes timidiores cæteris
Hac dicerentur parte cunctas vincere:
Tribuere ſi fas huic rei victoriam.
Exempla talis multa ſunt infamiæ
Iam ſuperiori comprehenſa carmine:
Sed cumulus eſſe talium maior poteſt.
Et alia nanque ſubminiſtrat mens mihi:
Atque placet iſtud cæteris præmittere:
Accurrit ad eos lacrymans ſi quiſpiam,
Cui palpitat cor, ſe volens aduoluere
Genubus eorum, ſupplices & fundere
Preces: inermis iſte ſit prorſus licet,
His cor magis iſti palpitat quàm ſupplici,
Vt latera cingant plurimi ſatellites.
Alicunde ſi quis verberum crepuit ſonus,
Pati

Pati ſibi eadem iam videntur verbera:
Siqua & fragorem fortè dant ruentia,
Suum caput illa petere velle iam, putant.
Quid quòd timere ſe lateris ferrum ſui,
Eos fateri non pudet? teſtis vel is
Vnde hac profecta verba, Dum excelſus ſteti,
Nunquam pauere deſtiti, atq; ipſum mei
Ferrum timere lateris. *Illa denique*
Quæ timiditatis antea recenſui
Exempla in illis quos tyrannos dicimus,
Memorata noli de quibuſdam credere
Demiſſus animus queis foret. nam ſpiritus
Magni licet eis, pectora timidiſſima.
Quid? an Caligulæ creditur demiſſio
Fuiſſe talis? immo multa clamitant
Superbiam eius: ſed deûm contemptio
Teſtatur illam maximè. nam poſſit hac
Quanta eſſe dici numinis contemptio,
Audere & ipſi comminarier Ioui?
Contemptor iſte tantus, ad tonitrua
Iouis expaueſcens, proripit ſeſe tamen
Strato, atque condit illico ſub lectulo.
Quid? ille cæſar turgidum ſuperbia
Cui pectus adeo, ſe vocaret vt deum
Dominúmque, & ipſe non fuit timoribus
Obnoxius eis omnibus, tyrannici
Quos principatus inuehunt? certè fuit.
Miremur ergo, rideamus & ſimul,
Iſtos tyrannos, tam frementes grandia,

Et nil crepantes quàm ſuam potentiam:
Quibus, ipſa tangit atque vertex ſidera,
Séque magis ipſis qui putant deus deos:
Gerant quòd adeo timida pectora interim,
Vel cerua vt illos atque dama rideat.

ASMA X, ſiue CARMEN X.

IN TYRANNIS ſummam diffidentiam eſſe cauſam ſummæ timiditatis: cuius inſignia exempla afferuntur. Tyrannis paucos eſſe amicos, qui fideles dici poſsint, & à quibus ſibi cauere non debeant. Sed pauciores etiam futuros, ſi conſiderarent quanta huic amicitiæ & ab ipſis & aliunde pericula impendeant.

SED *vnde tanta timiditas? quis me roget.*
Neceſſe, timidus ille ſit, qui nemini
Vult atq; credit fidere poſſe nemini.
At fidere vlli poſſe, quidnam quod vetat?
Magna illa domina, dicta Conſcientia,
Odium mereri quæ ſuſurrat omnium.
Age, quid tyrannis hiſce diffidentius?
Haud in hominum vllo genere diffidentia
Eſt vlla maior. atque iure forſitan
Quis inter illas quæ tyrannis inſitæ
Peſtes, dari iſti poſtulet primum locum,
Dari ſecundum poſtulet formidini:
Matrémque dicat illam, at eſſe filiam
Hanc dicat. & repugnet haud tamen mihi.
Illis loquutus nanque ſum de peſtibus,
Quæ peſtilentes potius ipſis ſubditis:

At

At hic loquetur de duabus peſtibus,
Quarum eſſe virus noxium quis dixerit
Potius tyrannis: ex duabus his licet
Exurgat illa dicta quæ crudelitas:
(Culpa Prometheum liberare ſi placet,
Conie{c}ta prius in eius artem quæ fuit)
Atque in tyranno ſæpe diffidentia
Eſt tanta, vt illam tegere frons quum peruelit,
(Partémve ſaltem) lingua contrà detegat,
Prodátque cunctis. nanque ſe quidam ſui
Ferrum timere lateris ingemens ait:
In iſta quidam verba prorumpit miſer,
Cuncta expaueſco, mêq; non credo mihi.
Ac lingua quamuis ipſa diffidentiam
Eſſet negare pertinax, vel lumina
Factis in horum cernerent non hãc ſatis?
Nam Roma multos ipſa vidit cæſares,
Vellent prius eos excuti qui ſedulò
Quos pes ferebat vt ſalutem dicerent.
Quid? imperantem Claudium ſatellitum
Non turba in ipſis cinxit & conuiuijs?
Conuiniorum qualis ô qualis fuit
Facies, vbi ſpiculator vnum plurimus
Conuiuam & ipſa lancea circumdabat
Inſtructus? idem non amicum quempiam
(In parte pariter iſta dum ſtudet ſibi
Ciuilitatis comparare gratiam)
Audebat ægrum viſitare, quin prius
Cubiculi eſſet facta perſcrutatio.

Exempla vidit haud minora Græcia
Siculáque tellus nónne diffidentiæ?
Annon is animi prorſus infelix fuit
Pheris tyrannus imperans? præcordia
Hinc amor at inde magnus angebat metus.
Nam quum impotente deperiret coniugem
Theben amore, non dabat aditum metus,
Quum petere vellet ab epulis cubiculum,
Niſi anteiret barbarus ſtrictum tenens
Ferrum. notíſque Thraciis compunctus hic
Erat ſatelles. deinde nec committere
Lecto hic maritus coniugali ſe tamen
Audebat, ante facta quàm ſcrutatio
Eius fuiſſet, arcularum nec minus
Muliebrium, lateret hîc ne quodpiam
Telum, quod eſſet inter ipſas abditum
Veſtes. Miſeria quanta, nolle fidere,
Nec poſſe, charæ coniugi: ſed barbarum,
Inuſta fronti cuius eſſent ſtigmata,
Fideliorem credere hac ſibi fore!
Compoſita vt iſta diis ab iratis erat
Pœna in tyrannum, nec ſuæ libidini
Poſſe imperare, nec ſuæ formidini!
Tantæque cauſa quæ fuit formidini,
Finis fuit item. nam peremit hunc ſua
Thebe vxor: iram pellicatus dum mouet.
At Siculus ille nunc tyrannus prodeat,
Dionyſius, tyrannus ille tam potens,
Qui principatum docuit ac potentiam

Totam

Totam tyranni poſſe verè dicier
Pendere filo tenui: & eſſe neminem,
Cui ſi tyranni ſors ſatis ſit cognita,
Vicarium ſe vel dies in pauculos
Huic non recuſet: factus aut vicarius
(Quòd illa nota ſors ſatis nondum foret)
Non commeatum iam petat poſtridie,
Damoclis & ita malit exemplum ſequi,
Eadem ſub oculos quum pericla venerint.
Tyrannus (inquam) Siculus ille tam potens,
Huius cruciatus longa nónne fabula
(Hiſtorica narrant ſcripta quam tot atq; tot)
A ſeſe amicos nam ſuos ſæpiſſime
Is ſummouebat: mancipia quorum locum
(E gentibus erant lecta quæ feriſſimis,
Et è familiis ſumpta quæ ditiſſimis)
Tenere ſolita. tantum in his fiduciæ
Ponebat ille, latera vt his ſolis ſua
Exiſtimaret poſſe ſe committere.
Miſeriæ & aliud en tibi exemplum dabo,
Huic afferebat quam ſua diffidentia.
Egebat artis hic miſer tonſoriæ:
Neq; tamen erat tonſor vllus vſpiam,
Collum putaret cui ſuum committere,
Sat eſſe tutum. filias tonſoriam
Artem docet ergo. (fœda quàm res, virgines
Artem doceri regias tam ſordidam)
Sed eſſe adultas filias vbi videt,
Ætati adultæ cernit aut has proximas,

Cauſam timoris ſentit has ſimul ſibi.
Iam ferrum ab iſtis remouet: ac iam quæritur
Tondendi alia quæ tutior priore ſit
Ars arte. & ardens carbo tandem fungitur
Vice artis huius. nam citus miniſter eſt
Barbam & capillum pariter ipſi adurere.
Addit miſeriæ ſe ſecundæ tertia.
Securiorem nam maritum non agit,
Quàm patrem. ei ſunt quippe binæ coniuges,
Neutrius audet petere complexus tamen,
Excuſſa prius hac ſedulò niſi fuit.
Cubicularis atque lectus, caſtra ceu,
Foſſa fuiſſe dicitur circumdatus
Lata. atque ponte ligneo ſolubili
Superfuiſſe ſtrata foſſa: & aſſeres
Auehere ſecum ſolitus, antequam daret
Somno ſe: eoſdem luce prima mos erat
Compaginare, vellet inde quum pedem
Efferre. & illa quæ foris cubiculi
Extrinſecus erat, claudier à cuſtodibus
Solebat: interiorem at alteram
Clauſtro obſerabat diligenter ipſemet.
Verbis tyrannus iſte ſic tragœdiæ
Feciſſe dici maximam fidem poteſt.
Tutos receſſus alma regibus malis
Dare nox recuſat, ſomnus his & pectora
Curis recuſat, dum iacent, exſoluere.
Hoc quoque vetabat illa diffidentia,
Ne poſſet vnquam concionari ſuis

Sug-

Suggeſta apud communia: vt conſcendere
Turrim neceſſe tunc foret celſiſsimam.
Quid, quòd iubebat illa diffidentia
Et innocentem fundere ſæpe ſanguinem?
Sed de duorum cæde nunc tantùm loquar.
Quum luſum amaret ipſe plurimum pilæ,
Et tunicam, vt illa luderet, deponere
Iam vellet, adoleſcentulo charo ſibi
Cuſtodiendum tradidit gladium ſuum.
At familiaris hîc aliquis quum talia
Iocatus eſſet, Huic quidem certè tuam
Committis ipſe vitam: *& arriſiſſet his*
Verbis adoleſcentulus: is imperat dari
Vtrunque letho: quòd viam hunc oſtendere
Sui necandi diceret: quòd alteri
Suus ea verba riſus eſſet approbans.
Doluítque cædem propter hanc grauiſsimè:
Magis dolendum vita nec quidquam attulit
Tota, interemit quòd ſibi chariſsimum.
I nunc, pauores ac tremores cæſarum
Mirare tantos, conſcij quotquot ſibi
Regiminis eſſent improbi & tyrannici.
¶ *Adde quòd amicis grex tyrãno paruus eſt,*
(Nam nunc amicis ſermo de fidelibus)
Dum carpit auras ille vitales: & is
Profeſſus hoc eſt nomen albo qui ſuum,
Dum fruitur ille luce, vult eradere
Suum inde nomen caſſus eſt quum lumine.
Vix ſunt reperti qui tyranno cuipiam

Sic colere vellent dextera fidem data,
(Illius amici nominati ſeu forent,
Dicti miniſtri ſeu fuiſſent) vindicem
Vt mortis eius eſſe vellent dexteram,
Quam teſtem amoris ante fecerant ſui.
Nanque interempto cæſarum ſi quopiam
(Ex numero eorum quos tyrannos dicimus,
Quóſque ſua tales clamitabant tempora)
Tumultuari contigit ſatellites,
Aut eius alios ex miniſtris, aut erant
Qui dicti amici: conquieuit tempore
Breui ira talis, ex clamoribus licet
Primus paratos eſſe Roma crederet
Miſcere cælum terræ. At eſt mirum magis
Quod illa vidit Roma quarti cæſaris
In morte. nanque corporis cuſtodibus
(Ceu pectus ipſis maxima exardeſceret
Ira) tumultus maximos cientibus,
Et cædis autor quis foret quærentibus,
Quidam auſus eſt vir conſularis in locum,
Vox vnde ad omnes perueniret, ſcandere,
Clamare & illinc, Dextera hæc vtinam foret
Quæ poſſet orco hunc ſe dediſſe dicere.
Tumultus ex his conquieuit vocibus:
Atqui addidiſſent prorſus hæc incendio
Verba eius oleum, pectori ſatellitum
Veri ſi amoris infuiſſet guttula.
I nunc tyranne, fide dexteris datis:
Saltem quibuſdam crede te charum fore,

Deuin-

Deuinxeris quum plurimis quamplurimos
Donis, honores ac eis adieceris.
Qui blandietur omnibus præ cæteris,
Sperabitúrque cæteris fidelior,
Forſan manus eius, quum dabit ſe occaſio,
Eſt quæ cruore prima ſtillabit tuo.
Neque hoc tacebo: quercus vt quum corruit
Procera, inumbrat quæ minores vndique
Multo, ille frangit corruentis impetus.
Multis earum brachia, & quaſdam eruit:
Sic, quum tyrannus concidit (potiſſimum
Morte violenta quum cadit) ſæpiſſime
Haud ille ſtirpe cum ſua tantummodo
Suam ruinam, & cum propinquis omnibus,
Sed ſimul amicis cum ſuis communicat:
Priſci retinetur ſi quidem mos ſeculi.
I nunc, tyranni glorians quòd factus es
Amicus, en quod te manet periculum.
Hoc cautiores, pauciores & ſimul,
Tyranni amicos faciat haud iniuria.
Sed cautiores reddat hoc multos licet,
Plures queat iſtud cautiores reddere,
Si mente voluant, magna quàm pericula
Pariter ab ipſo ſibi tyranno impendeant.
Quorum moneri hoc ſe ſciant prouerbio,
Simq; â Ioue procul, ſimq; procul à fulmine.

EPI-

EPIMETRON, ſiue AVCTARIVM AD CARMEN X.

TYRANNIS vel illa ſupplicia quæ pendere apud inferos improbi dicũtur, debere metum incutere. Quò pertinentia quædam poeticè exaggerantur.

INTREPIDVS *iſtas ſi tamen quis permanet*
Voces ad omnes, & tyrannus eſſe vult,
Licet emat illis tot malis tyrannidem:
Sempérque voces has crepat tyrannicas,
Imperia pretio quolibet conſtant bene:
Supplicia ſaltem (quæſo) verſet pectore
Illis ab orci luridi tot arbitris
Statuta in omnes principes tyrannicos,
Tyranni & ipſis qui vocantur arbitris.
Mors æquat omnes: hoc tyranne tu quoque
Frequenter audis, audias vt non libens.
Quid? flumen illud cæteris quod inuium
Renauigari, tibi renauigabitur?
Quid? an per artus non it exangues tremor,
Supplicia quum tot audiuntur inferûm?
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et ímpotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni. *Terreant ſed te magis*
Quæ ponderoſa degrauant illic manus
Humeróſque ſaxa. terreant & te magis
Quæ membra miſeris diſtrahunt ſemper rotæ,
Atque fodientes vſque vultures iecur,
Sempérque ſiccis faucibus fugax aqua.

Has

Has nanque pœnas quos ibi putas pendere
Niſi tyrannos? Theſſalus rex non fuit,
Verùm tyrannus, membra cui torquet rota.
Fuit tyrannus Siſyphus, cui ſemper eſt,
Immane ſaxum voluere, irritus labor.
Fuit tyrannus, Tityus ille, vulturi
Semper renaſcens pabulum præbens iecur.
Fuit tyrannus Tantalus, cuius latex
Illudit ori, quod tamen torret ſitis.
Ac eſſe multos Tantalos illic puta,
Ixionáſque, multos atq; Siſyphos.
Quid hîc tyranne? túne credita ethnicis
Obloqueris iſta? fabulas an hæc tibi
Ais eſſe cuncta? Chriſtianis credito
(Tu Chriſtianus nomine tenus ſis licet)
Libris ſacratis, qui minantur improbis,
Quum corpus anima liquerit, pœnas graues.
At improbitatis mille quis ponat gradus,
Semper tyrannis ille ſupremum dabit.

ASMA XI, ſiue CARMEN XI.

REGEM, vel alium bonum principem, ab illa fœditatis vitiorum tyrannicorum deſcriptione tanto magis debere ad fungendum ſuo munere incitari. De principibus qui non τυραννοῦσι quidem, ſed τυραννιῶσι, id eſt, qui non quidem exercent tyrannidẽ, ſed eam libẽter exercerent. Prográma quoddã, cuius lectio principẽ admonere poteſt quomodo ſua vti potentia debeat.

EN tibi tyrannus eſt ſuis coloribus
Depictus à me. lumina hanc imaginem

Tua

Tua intueri reſpuent. hoc tu magis
Pingare eiſdem ne coloribus caue.
Exple ergo regis, haud tyranni, munia:
Boniue ſaltem principis, ſi regiam
Ad dignitatem non datum ſit ſcandere.
Tenéque mediam rebus in cunctis viam,
Vt ille mediam vult viam tranſcendere.
Nec vis metúſque ciuibus quid exprimat:
Nec ſit viciſsim tanta tua clementia,
Vt vim timendam non putet quiſquam ſibi,
Tibíque renuat obſequi. Ne deneges
Iis eſſe clemens & benignus: ne tamen
Dici obſequens ÿs tu velis. nam diſplicet
Seneca Neronem facere quod ſuum monet,
Obſequere ciuibus potius placidus tuis.
Monitis tuorum ciuium non abnuo
Dicare quin tu perlibenter obſequi,
Vocibus eorum déſque liberis locum:
(Honeſta dum ſit illa libertas modò)
Nolo tamen vllus ſic loquatur, ciuibus
Vt obſequentem principem dicat ſuis:
Si pace Senecæ dicere hæc mihi licet.

HIS *addere libet, muſa quæ quondam mea*
Mihi eſt loquuta, dicerem quum gentibus
Me gratulari, cultus eſt queis cognitus
Chriſti, ſimúlque queis tenetur firmiter:
Cum propter alia, tum vel iſto nomine,
Multo tyrannus quòd minus ſit his frequens.

Reci-

Recitator eius eſſe verborum volo,
Græca quibus inſunt. nam negaret quum ſonis
Se poſſe Latiis ſenſa mentis eloqui
Quàm vellet aptè, petiit à Graiis opem.
Tyrannis ab eo (credo) pectore exulat,
Sedes vbi illi cultui Chriſti ſuæ.
Vero ſed illi cultui, fuci nihil
Habenti. at auis hic rara, uel rariſſima.
Ergo inter illos nomen huic qui cultui
Noſtro dederunt principes & ſeculo,
Multi (neget quis?) ſint τυραννοῦντες licet,
Τυραννιῶντας eſſe plures credito.
Sed lumina queunt noſtra ſat diſcernere
Quos facta, dicta propter & tyrannica
Vocant τυράννους: (nam τυραννοῦντας potes
Etiam τυράννους nominare) à regibus
Phœbea quoque fax hos poteſt dignoſcere:
Τυραννιῶντας ſolus internoſcere
Valet ille certè, καρδιογνώστης poteſt
Qui dici, & idem, παντοκράτωρ qui poteſt.
Ortúſque rurſus iſte ſermo quum foret,
Iſta hanc recordor addidiſſe cæteris,
Propitius eſſet ni fauor nobis dei,
Tot principum τυραννιώντων plurimos
Mutare nomen in dies tu cerneres,
Illíſque nomen τῶν τυραννούντων dari.
Frenis coercet is pudoris plurimos,
Magis generoſo præditi qui pectore.
Sed de tyrannis, in tyrannos ſat reor

Iacta-

Iactata nobis multa, vis quibus ſiet
Auertere animos à tyrannide efficax.
In iſta ſiquis fortè princeps incidas,
Quem nemo poſsit iam τυραννεῖν dicere,
Sed iure quem quis dixerit τυραννιᾷν,
(Humana quantum conÿcere mens eſt potis)
O quiſquis ille es principum faxit deus
Monitis camœnæ ſis meæ ſanabilis.
Sanari vt optes, prima res quam poſtulo.
Nam ſanitatem proſequi votis ſuam,
Pars ſanitatis id fuit quamplurimis.

SED *inuidere non tamen velim tibi*
Quod huius aliquis dicere corollarium
Fortaſſe poſsit carminis. ſunt pauculi
Verſus camœnæ, principi quibus bono
Suæ dat illa terminos potentiæ,
ID FACERE NOLIS QVOD LIBET, NISI LICET:
ET NIL LICERE CREDITO NISI DECET.
Haúdque placituros hos tibi credo minus,
TIMERE TEMET DISCE PLVS QVAM CÆTEROS:
DEVM TIMERE TEMETIPSO DISCE PLVS.
Hos addere meis tu potes programmatis.

HENR. STEPHANI HEXAMETRI VERSVS, ſiue HEROICI,

A muſa monitrice principum dictati.

SIVE

POEMA HEXAMETRVM

De principatu bene inſtituendo & adminiſtrando.

HENR. STEPHANI HEXAMETRI VERSVS, ſiue HEROICI,

A muſa monitrice principum dictati.

SIVE POEMA HEXAMETRVM De principatu bene inſtituendo & adminiſtrando.

CARMINA quæ monitrix cãtauit noſtra camœna,
Auribus ô princeps ne faſtidito ſuperbis.
Illa verecundè monitricis munus obiuit:
Haúdq; iubẽtis erãt, ſed erãt modò verba rogãtis,
Intima quum valde penetrare in pectora vellet
Plurima, ſiue æui quæ ſunt documenta prioris,
Siue dedit noſtrum nobis quæ plurima ſeclum.
Addidit & multos monitus quos prõpſit ab imo
Pectoris illa penu: tuto qui tramite ſiſtent
Cauta per hos figat ſiquis veſtigia princeps.
Materiem totam ſolis incluſit iambis,

Hos quoniam numeros ipſi mage credidit aptos.
Sed paucis & ſumma ſequens faſtigia rerum
Nunc iterare parat quædam memorata per illos.
Multáq; quòd properæ preſſere ſilentia linguæ,
Nunc ea iam dictis quædam ſuperaddere geſtit:
Sic tamen, herois vt mandet verſibus ambo.
Chriſte, tuis volet auſpiciis moderamen apiſci
Imperiúmq; ſuum princeps quem carmina noſtra
Inſtituunt: volet auſpiciis moderamen adeptum
Poſſe tenere tuis: rerum tutela ſuarum
Huic eris: audieris huius ſi vota precantis.
Suppedita ergo meæ tu nunc, velut ante, camœnæ
Conſilia huic quædam dare quæ felicia poſſit.

QVA *latera ô prīceps tua, qua ſtipabo corona*
Primùm? hæret mea mēs, atq; hîc ſuſpēſa vacillat.
Primùm hæc armiferis cingam cuſtodibus optas?
Fidus amicorum ſit grex cuſtodia prima,
Maluerim. ſi non ſcis impendere pericla
Quæ nolint hanc ferre morā. tua pectora nullus
Si metus exſtimulat, primùm grex ille vocetur.
Nanque & de fidis cuſtodibus ille legendis
Mox dare conſilium poſſit. Niſi fortè carere
His potes, vt multi quondam caruiſſe feruntur:
Nomine quos omnes iſto dixere beatos.
At miſeri, quotquot caruiſſe feruntur amicis,
Sunt habiti: & tales ætas haud vlla negabit.
Nanq; ſatellitium quíſnam regalia ſceptra
Præſidium & regni quis credidit eſſe vocandum!
Nemo

Nemo vnquam.contrà hi tituli debentur amicis,
Si modò digna fide prudentia priſca putatur.
Quinetiam imperij dictos audimus ab illa
Inſtrumenta boni. Prima & primaria cura
Ergo ſit hæc,princeps, gaza vt tibi tãta paretur.
Munia ſed pleriſq; velim tribuantur amicis,
Ex quibus & titulum ſat nanciſcãtur honorum.
Pellæi ſiquidem proles generoſa Philippi
Præ reliquis quoſdam charos,vocitabat ἑταίρους:
(Quos & amicos quis dicat,potiúſve ſodales)
More at poſteritas eius deſciuit ab iſto.

A T *fucata caue ne gaza irrepat in iſtum*
(Contingit ceu ſæpe)locum: ne ſubdola lingua
Atq; aſſentatrix,menti coniuncta doloſæ,
Te,ſicut multos,ſub amici nomine fallat:
Quáſq; tuo imperio linguas ſpondere ſalutem
Tu credas,ſint certa lues,ſint peſtis. id ætas
Noſtra videt,vidit,ſecla & videre priora,
Principis imperio clades afferre potentis
Sæpius has fictas linguas mentéſq; doloſas,
Hoſtem quàm armatum: quin & regalibus illæ
Sæpius exitium ſoliis opibúſq; tulere.

A D *conſultores mox totam aduertito mentẽ.*
Siue hos inuenias inuentos inter amicos
Iam tibi,ſiue alius fuerit delectus habendus:
Deligere aut aliquos videas tantùm eſſe neceſſe
Quos parti illorum paruæ magnæ ve cooptes.
Nanq; haud conſilium tibi quoduis pectus amicũ

De creperis etiam rebus dare poſſe putandum eſt.
Hi conſultores tibi ſint pariterq; vocentur.
Atq; prius tibi quàm delectus habebitur iſte,
Supplicibus cœlum votis precibúſq; fatiga,
Vt tua mens illuc contendat lumina, voti
Fiat vbi compos: linguáq; loquaris ouante,
Te nactum curas poſſis quibus atq; labores
Partiri, imperij queis eſt comitata poteſtas:
Atque tuis humeris oneris deponere partem.
Iámq; reus voti, grates agitóq; Tonanti,
Et caue committas eius quod prouocet iram,
Ac vnde indignum tanto te munere dicat.
Illi autem & nobis meritò cenſebere talis,
Si conſultores & fidos nactus amicos,
(Nam quæ conſultrix, pariter ſit amica caterua)
Conſilium ſpernas: illos ſi byſſina malis
(Vt malunt quidã) quàm libera fundere verba,
Aut inhonoratos ingratus linquere tales
Suſtineas ſi fortè viros: quod (dicere ſi fas)
Non paucos proceres magnos peccaſſe videmus.
SED *quales ſint cunq; illi, licet omne ſubire*
Necnon ferre queant humeris onus, haud tamen vnquam
Sic illis aliíſve vllis onus omne recumbat,
Vt non ipſe magis rerum modereris habenas,
Præeſſe ac rebus potius quàm à rebus abeſſe,
Quin tota verè de te iactetur ab aula.
Nam quibus auſus eris rerum cõmittere ſummã,
Ipſe quoq; arbitrio tandem dicêre ſubeſſe
Illorum

Illorum: tandem populo tu fabula fies.
Ac de te rumor (falſò licet) ille volabit,
Quem de cæſaribus ſpargebat fama quibuſdam
Vera, ſuos his iam rectores eſſe, ſuíque
Haud eſſe hos iuris. Sic quondam Gallica ſceptra
(Nam cur de patria pudeat me vera fateri?)
Sceptriferos habuere, nimis qui deſidis otî,
Deſidis ac vitæ, pœnè & ſecordis, amantes,
Omne palatinus regimen curámq; miniſtris
Mandarent omnem. verùm hæc ſecordia tanta
Regibus his magno magno conſtare ſolebat.
Nanq; vt cōtempta his curæ quæ regna ſequūtur,
Contempti tandem charíſq; fuere tiaris
Exuti: in miſeram ſortem ſors verſa beata eſt.
Et meritò. quid enim fuit his tam grata voluptas
Vt vellent eius tanta mercede frui ſci
Gaudia? ſolúmq; hāc, præter diadema, relinqui?
Atq; pati poſſent, titulus quem regis honorem
Poſcit, & eſſe illi proprium iura omnia poſcunt,
In ſe vt transferrent effronti fronte miniſtri?
Hoc Perſis capitale fuit, geſtare tiaram,
Regum vt mos, rectam: regum ſolióq; ſedere,
Nō minus id capitale: ſed hi (quod maius) honorē
Affert quem regimen regni, ceſſere miniſtris.
Quídnam hîc dixiſſent ea regis ſecla Philippi
In quibus indignatur anus (ceu ꝗd graue paſſa)
Hunc operam differre ſuam. non denegat ipſe
Huic præſtare operam: tātùm procraſtinat illud.
Si quid differtur, tamē haud aufertur, vt aiunt:

His poterat verbis tunc excuſantibus uti.
Ergo ea dixiſſent quid regis ſecla Philippi,
Siquem vidiſſent regem, cui regia cura
Pectore nulla foret, cui nullis rebus honeſtis
Ingenium exercendi eſſet mos inſitus, vni
Mos eſſet genio noctéſq; diéſque gerendi
Morẽ: dum quibus eſt ab eo data ſumma poteſtas,
Quæcunq; imperij ſunt magna negotia tractant
Ad libitum, exceptóq; vno diademate regnant?

AC *nec eum regem procerémve ea ſecla probaſſent,*
(Et poßint talem quî tempora noſtra probare?)
Nomen habere boni valde qui principis ambit,
Et ſpeciem præfert eius, vocitare ſalubrem
Quem quidã eſt auſus: verùm non tangitur vllo
Principis, (eſt patris patriæ qui nomine dignus,)
Affectu. faciles aditus venientibus offert,
Excipit & læto vultu: ſuppléxq; libellus
Siquis porrigitur vel perquam paupere dextra,
Accipere eſt promptus. cuius dignatur & auris
Vulgi etiam voces admittere ſæpe ſolœcas.
Sed quaſcunq; iacit voces lingua vlla querentis,
Siue rudes fuerint, fuerint hæ ſiue diſertæ,
Poſt paulo has rapidis tradit ludibria ventis.
Aut quiſquis fuerit primũ obuius, (ordine dũ ſit
Ex hoc, aut illo) cura hæc committitur. iſtum
Curæ huius ſubeunt obliuia vera: ſubiſſe
Aut ea ſe fingit, corruptus munere poſtquam eſt
Illius iactata in quem fuit illa querela.

Vel (quod eo peius) iuſtam negat eſſe querelam,
Iuſto aut maiorem ſaltem vult eſſe probare.
Vidi ego quod referã, regis dũ me aula teneret.
Quidam aditũ ad regem ſibi procurarat, vt eius
Imploraret opem (quoniam violénſq; poténſq;
Diuitÿs inimicus eum infeſtabat) & ecce,
Ipſius genubus (ceu fit) prouoluitur, & flens
Atque ex corde gemens alto tacet ille parũper:
Vtq; loqui potuit, Mihi magna iniuria (dixit)
Facta eſt, rex: qualis ſeclis audita nec vllis.
Rex rogat, hæc qualis. reſponſum non tamẽ is dat,
Sed voces iterat ſingultibus interruptas,
Quas retuli. haudque ſemel tantùm, ſed térque quatérque.
Incipiunt gemitus vocem intercludere: vix vt
Siccis hîc oculis quiſquam ſpectator adeſſet,
Tunc ad ſe cuidam rex imperat ipſe vocato,
Curet vt hunc vires animũq; reſumere primùm,
Scire dehinc in eum quæ ſint admiſſa laboret
Omnia, iúſq; ſuum tandem tueatur vt illi.
(Huic ratio vt fiat, ceu Gallica verba ſonabant)
Cuius poſt abitum rex circumſtantibus infit,
Atrox (credo) iſti facta eſt iniuria quædam.
Rectè hic rex. quid enim quiſquã deſideret vltrá?
Verùm fidit ei nimium cui tradidit illum.
Nanq; ad eũ ſceleris quoſdã ſummittit & autor,
Affertur per quos ab amico litera ſupplex:
Mutáq; qui quædam, tamẽ excuſantia, portant,
Atq; etiam veniam planè exorantia tandem.

O quàm ſæpe aulæ magnatum talia cernunt,
Quæ moneant vlli ſic fidere nolle miniſtro,
Vt ſibi vix in eum fas eſſe inquirere credant.
Auri ſacra fames quod non perſuaſerit iſta
Luce, illud prorſus perſuaſum craſtina forſan
Cernet. Vt hoc addam, proceres committere ſæpe
His rebus non qui ſit toto ex ordine lectus, (*qui*
Verùm ex hoc primus qui in mẽtem venerit, aut
Tum factus primus fuit obuius. hic ſibi munus
Mandatũ hoc gaudet: fortaſſe ſubolfacit hîc iam
Quòd lucrum. nec eùm certè ſpes improba fallit.
Parte accinctus adeſt prædæ quis prædo: fauorem
Hæc ſimulatq; petit, iam dicitur ille mereri.
Ergo in prædonem fuerit qui inquirere iuſſus,
In partem prædæ venit illico: nec tamen inde
Is comprædonis nomen capit: immo vocatur
Quæſitor. nomen quod iure feratur habere
Ex re: verùm alia quã quæ ipſum munus ad eius
Spectat. Nec prædam quæſitor talis ab illis
Conſequitur tantùm prædonibus: (hoc ego fures
Nomine complector) noxa ſed quærere nouit
(Vnde & quæſitor poſſit perdoctus haberi)
Prædam aliquam ex quauis. dum rectè munere princeps
Credit eum fungi, ratióque repoſcitur vnquam
A nullo: partes quas principis eſſe deceret.
Cautior hinc ergo princeps euade: nec vlli
Soli à te mandetur onus quod tale videbis.
Lubrica ſæpe aurum reddit veſtigia multis:

Atque

Atq; minor labor eſt vnum corrumpere multo
Quàm plures. Quin & ſis inquiſitor in iſtos
Quos quæſitores priſci dixere.(quod infra
Æacus & Minos nomen perhibentur habere:
Sed quos haud vnquã corrũpunt dona) negabũt
Sin & curæ aliæ ſpatij ſat ſit tibi quantum
Vt de his inquiras: ſaltem, quod ſæpe nequibis,
Hoc facias aliquando. metúſq; coerceat iſte
Lubrica queis aurum faceret veſtigia forſan.

NONNE *magiſtratus vis accedamus ad illos*
Qui reliquis mage ſint ſolidæ firmæq; columnæ
Imperij? Cura hæc omnes præuertere debet,
Iuſtitiæ quóſnam ſanctis penetralibus auſis
Tradere cuſtodes: quos hoc digneris honore.
Nanque magiſtratus ratio (ne neſcius erres)
Si reddenda omnis tibi quondam ſit malè geſti,
Sub ditione tua, princeps: ac non modò rerum
Geſſeris aut quas tu, coram te geſſerit aut quis:
Nónne hîc geſtarum rationem reddere primùm
Te volet is cuius valeas haud fallere numen?
Nam Ius (crede) & Fas habitãt pènetralib. iſtis:
Ac Pudor hîc ſedem, ſedémq; locauit Honeſtas,
Vtile quæ temnit quodcunq; repugnat honeſto.
Incolit hunc Ratióq; locum, pudefacta Cupido
Cui cedit: poſuítque Fides hîc deniq; ſedem.
Sed temerant labes iſtud ſimulatq; tribunal,
Exulat hæc tam ſancta cohors, iuſtámq; Tonãtis
Implo-

Implorat gemebunda iram, permulta quiritans.
Hic omnes gemitus eſt exaudire paratus:
Fœderis éſtque memor (ſubeunt quem obliuia nunquam)
Quod cum Iuſtitia prædurо adamante ligauit.
Hac domina ergo, caue, caue princeps, exulet vnquam
A ditione tua. ſalua incolumíſq; maneto
Huic ſua maieſtas: ſaluum vt cupis ipſe manere
Imperium tibi poſſe diu. non hoc ita denſa
Firmabunt equitum turmæ peditúmq; cateruæ,
Non Salmoniacæ brontetides, aut elephanti
Turrigeri (qui terror equûm) non falcifer axis:
Vt domina hæc id iure ſuo defendet inermi.
NEC *tantũ tamẽ eſto vigil tibi cura ſagáxq;*
Hoſce magiſtratus circa queis tale tribunal
Eſt dandum. vitijs alij quoq; ſæpe laborant
Haud paucis. virtutis habẽt ſimulamina multi,
Virtutis quamuis habeant nihil. eſt ibi fucus
Sæpe, vbi fucatum nil credas eſſe: dolúſque
Sæpe ſub ingenuo latitat ſub ſimplice vultu.
Ergo ter atque quater qui ſint circumſpice princeps,
Tam venerandi à te queis cõmittuntur honores.
Terga fugæ iubeas det vt Ambitus, haúdque potentum
Solicitans animos vænales reddat honores.
Fac, ſibi nec iam ipſi poſſint ambire potentes,
Quòd vel diuitiis valeant vel ſanguine niti.

Haúdq;

Haúdq; duæ ſine res & nunc diſcrimina ponant
Paupertas & opes. nullius & obruta virtus
Pauperie lateat: vel quòd natalibus ortus
Obſcuris. contrà ſola hæc mercatur honores,
Poſſit emi ſola hæc huius nummiſq; poteſtas.
At proceres norma procul eſſe videmus ab iſta
Haud paucos, regéſq; etiam: venalia per quos
Omnia. dum quiuis ad publica munia graſſans
Muneribus (ſolitis ſemper corrumpere ſenſus)
Immeritus meritos, indignus ſpernit & omnes
Dignos, verùm inopes. Quid, quòd venduntur ab ipſis
Munera principibus nonnunquā? munera poſſūt
Si dici, fuerint quæ uendita: vel dare quiſquam
Iure poteſt illis antiquum nomen honorum.
Nā ſiquis quid emit, potius qui vēdit honorat
Nummos quàm emptorem. nónne ipſe fatebe-ris iſtud?
Verùm hæc defendat cōmercia ſiquis honorū,
Quidnam cauſetur? Fiſcus ditatur ab illis,
Dicet. Ditandi ſed iuſta hæc an via fiſci?
Fiſcum ex cæſaribus quidam cum ſplene putauit
Rectè conferri. quoniam res credita vulgo,
Quo magis hic creſcit, reliquū tabeſcere corpus.
Et quidam hinc vates quodam de cæſare dixit,
(Cæſareæ quem ſecla domus poſtrema tulerunt)
Nec tua priuatis creſcunt æraria damnis.
Quinetiam attentè princeps mihi mēte voluta,
Hosce datos fiſco populus quo fœnore nummos
Red-

Reddat, ad iſtorum quemcumq; venire neceſſe
Emptorum fuerit. dices hoc eſſe rapinam
Et furtum. ſed dum talem iacis ore querelam,
Furtum illud populus ſuffert, illámve rapinam.
Quòd ſi partē horum nummorum æraria quartā
Acciperent (contentus ero vel dicere quintam)
Nempe laboranti poſſent ſuccurrere fiſco
Vltro etiam interdum. ſic publica commoda certè
Priuatis maiora, haud damno principis, eſſent.
Quid, quum quæſtori fuerit quoque munus emendum
Quæſtoris? quid tu hîc dices? an tum quoq; fiſco
Vel canoni non vis quidquā illū abradere? nō vis
Parte aliqua fiſci canoniſve vt ſarciat illam
Impenſam? is dicet, Naturæ iura repugnant.
Ergo procul, princeps, proculò pcul ergo faceſſat
Venditio turpis, quam turpia furta ſequuntur.
NEC *ſatis hoc fuerit, quòd non vendantur honores:*
Digna etiam fuerint ſtatuenda ſalaria cuiq;,
Munificámq; adeo quæ ſint teſtantia dextram.
Tum fures furum pœnis tu plectere tales
Iuſtius, ô princeps, poſsis, populóq; tueri
Incolumes loculos tales aduerſus honores.

SED *ſpatia egreditur ſermo hic præſcripta, tuáſque*
Amplius ac par ſit fortaſſis detinet aures:
Præſcr-

Præſertim hoc renuat quũ muſa extẽdere carmẽ
Vlterius multo, monito iubeátq; ſalubri
Vt claudã: quod iam monitũ mihi ſuggerit ipſa.
Fac de te, immiti nemo ceu principe, poſſit
Iure queri, rigido nimiúmq; ſatellite legum,
Principis ac titulo tanquam velante ſeueri
Sæuitiam. Sed nec tibi ſit clementia tanta,
Vt dici meritò queat indulgentior æquo.
Deniq; ne nimium legum laxentur habenæ
Arctentúrve caue. talem gere téq; parentem
Demea qui dici, dici nec Mitio poßit.
Ac diſcerne libens, quod factum, crimẽ habendũ,
Quod ſit & erroris tantummodo nomine dignũ.
Sis promptus ſeruare tuos, ſis perdere tardus:
Ac medicos imitare, ſuo qui corpora membro
Non ſpoliant, donec ſupereſt ſpes vlla medendi.
Iura quiritanti populo ſua ſalua manere
Ne prohibe: potiúſq; ſubi tutoris amicum
Officium, atq; velis gemitus anteire tuorum.
Indue mente patrem: curas mens induat illas
Publica queis fundata ſalus. ſi pondus amicis
Sit partita, ſuo durum vetet eſſe laborem
Exemplo: quamuis renuat vel cœlifer Atlas
Hoc tanto proprium mutare labore laborem.
Sic tamen eſto parens, vt, quando occaſio poſcet,
Te ciuem fratrémque geras: & temnere nullum
Dicaris, niſi quem cogant contemnere mores.

SIS *ſemper cultor regis ſtellantis olympi:*

Atq;

Atq; tuum vt canonem plenum integrúmque manere
Vis tibi, nec minimum vis vlla parte recidi,
Sentire vnde vllum poſſint æraria damnum:
Sic regi huic canonas ſine plenos vſq; manere
Integróſque ſuos, & nulla parte reciſos.

HENRICI STEPHANI POEMATIVM,

Cuius verſus intercalaris,

CAVETE VOBIS PRINCIPES.

HENRICVS STEPHANVS PRINCIPIBVS *Salutem dicit.*

CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Quòd ſi vobis per occupationes veſtras plura, & quidem multo plura, legere licet: & quod vobis licet, id etiam libet: rogat vt & ſuam muſam hæc canentem audiatis.

OMNIS *legitimus vobis honor ante tributus:*
Huius honoris lex nunc inhonora iacet.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Legitimíque prius quæ credita ſacra poteſtas
Principis, eſt vilis facta, profana velut.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Tempore legitimo ſucceſſor & eſſe ſolebat
Legitimus: nunc mos temnere legitima.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Nonniſi legitimo princeps inferre ſolebat
Bellum Marte: eſt mos temnere legitima.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Legitimus priſco mos bellum indicere more:
Nunc etiam in media claſſica pace ſonant.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Sarta & tecta prius vobis tot veſtra manebant
Iura: ſed hoc vobis tempore multa labant.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Obſequiis in vos maiores quiſq; volebat
Vincere: nunc illis cedere quiſq; cupit.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Quos amor haud potuit, ſaltem timor antea multos
Continuit: nulla hos nūc bene clauſtra tenēt.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Abſque ſatellitio princeps ſæpe antea tutus:
Nūc quis & hoc cinctus, tutus ab hoſte parū.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Inſidiæ à veſtris tantùm hoſtibus antè timendæ:
Nunc & amica hoſtes plurima larua tegit.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Imperium ad magnum quiuis & principe dignũ
Haud adſpirabat: ſecla quod iſta vident.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Nemo olim patrium externo mutare volebat
Principem: at externo nunc via tuta patet.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Auxilium poterat ſperare à principe princeps:
Vult ſoli princeps viuere quiſq; ſibi.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Quúmque in fœderibus poſſet ſpes antè locari,
Fœdera nunc paucis inuiolata manent.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Principibúſque fidem vellet quum frãgere nemo,
Frangere vult quiſquis frangere poſſe putat.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Eſſe ſuo princeps nolebat perfidus hoſti:
Eſt qui hanc perfidiã nunc decus eſſe putet.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Latrones princeps haud ſummittebat in hoſtem:
At nunc nonnullis hæc quoq; pulchra via eſt.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Vraniæ teſtis princeps, huic latro cruorem
Hauſit & intra ipſum quũ penetrale domus.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Teſtis & illa potens regina, elapſa periclis
Pleriſq; cædis, multa per miracula.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Ac tandem illius reginæ colla potentis
Iugo parabat rex Iberus ſubdere.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

O quàm multorum, voti ſi compos abiſſet,
Huic ſubdidiſſet colla principum iugo!
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Seruitiũ experti paucis poſt mẽſibus ô quot
O quot fuiſſent maximi qui principes!
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Vidimus à rege hoc ingens inſtare periclũ,
Spirante dignas vel gigantibus minas.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Sed quod cernebant omnes inſtare periclũ,
Auertit illa dextra regis cœlitum.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Nunc

Nunc regem hunc orate omnes vt cætera
pergat
Auertere, itidem quæ videt, pericula.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

O quot ab inſidiis idem ſeruauit eandem
(Vt ſcitis omnes principes) rex cœlitũ.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Eripere haud paruo nāq; huic molimine vitã
Multæ ſceleſtæ moliebantur manus.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Haúdq; mouebat eos huius clemētia tanta,
Lenire gentes poſsit vt vel barbaras.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Haúdq; mouebāt tot tā raræ pectore dotes,
Natura ſexus victa per quas huius eſt.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Quam profugam hoſpitiis exceperat illa
benignis
Reginā, & ipſam ſenſit inſenſiſsimam.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

(Atque virum profuga hæc dira curauerat
arte

Necandũ, vt orbe fama erat toto volãs)
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Nempe ſinu in proprio ſerpentem ignara fouebat
Multos per annos illa princeps princi- (pem.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Inſidiis vt ab externis ſeruauerat antè,
Seruauit eadem dextera à domeſticis.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Quid quòd & inſidiis aliis fuit illa petita,
Quas quis vocare mage queat domeſticas?
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Iſta potens reginæ illi quàm dextera fauit,
Orate tantum faueat vt vobis quoq;.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Illa ipſi aſsiduè grates agit: & ſimul eius
Opem requirit, & ſimul ſibi cauet.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Nempe deo charam pietas ſua reddidit illã:
Vos veſtra pietas reddat huic charos itẽ.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Sed contrà ínuiſos queat aſſentatío quoſdã
(Et hoc monebo)reddere ipſi numini.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Orí aſſentantum quiuis veſtrum OPTIMVS atque
MAXIMVS. at hoc eſt trudere ſolío deum.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Huic orí & DIVI veſtrum plerıq; vocãtur.
Illæſáne ſit hîc ſacra maieſtas dei?
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

REGIS at exemplũ volo nũc miſerabile Galli
Vobis ante oculos ponere principibus.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Gallia vos cautos (quæ nũc miſeranda vel hoſti)
Reddat, & hæc partes nunc monitricis agat.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Gens non vlla ſuos coluit magis antea reges,
Deſciuit tandem hæc prorſus ab ingenio:
(CAVETE VOBIS PRINCIPES.)

Dum nimis (heu) præbet monachorum hortatibus aures,

Audire & voces ſe putat angelicas.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Si monachis aliqui ex vobis ſe poſſe putarunt
Fidere, quid dicat Gallia noſtra ſciant.
(CAVETE VOBIS PRINCIPES.)

Vitare inſidias reliquas cui contigit omnes
Princeps, haud monachi fugerit inſidias.
CAVETE. VOBIS PRINCIPES.

Experta hoc loquitur mea Gallia: nec negat illa
Hoc ipſum magnis ſe didiciſſe malis.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Felices eſtis, mala quos aliena cauere
A genere hoc hominum ſátq; ſupérq; docēt.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Cautio principibus magis attamē hæc datur illis,
Qui ſeſe monachis fidere poſſe putant.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Quid? nónne exemplū pariter Germania præbet,
Quo proceres cautos reddat & ipſa ſuos?
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Induperatorum nónne vni tradita quondam eſt
Hoſtia

Hoſtia per monachum dira venena tegens?
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Sed mage quũ moueant exempla recentia, regis
Mentio ſit vobis iam repetenda mei.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Inſigne exemplum ſimul & lacrymabile regem
Gallorum Henricum lumina veſtra vident.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Hunc monachorũ opera princeps externus auiti
Regni parte fuit deſpoliare potis.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

(In domini ingratus famulus largiſſima dona,
Atq; malo huic audẽs addere grande ſcelus.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.)

Nãq; ſubornati monachi (quos multa ſubornãt)
Hunc contra regem crebra boant, reboant.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Effectúq; illis ſuus haud caret iſte boatus.
Nanq; rebellent vt maxima turba facit.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Inque iſtos dum rex meritò mouet arma rebelles,
Is

Is princeps multas huic ſtruit inſidias.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Quiq; putabantur lingua tenus antè timendi,
Ferrum illis veſtis iam latebroſa tegit.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Haud etenim è caſtris ſed clauſtris aduenit autor
Cædis. nam monachi rex cadit ille manu.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Vobis ante oculos ſunt hæc digniſſima poni,
Optima quum poſſint hinc documēta trahi.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Ponite ſed magis hoc: monachorū rex hic amator,
Ecce tamen monachi cæde peremptus obit.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Si regem occidunt monachi quî fautor, amator,
Qualis in oſores gens monachalis erit?
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

HEN-

HENRICVS STEPHANVS VNICVIQVE PRINCIPI QVI præcedens carmen lectione ſua dignabitur.

Qui monet vt caueas: (quod iam facis) ille monendo Imitatio Ouidij.
Laudat, & admonitu comprobat acta ſuo.

IDEM EIDEM.

Non contemptus habet monitus nihil ominis iſte,
Contemptus contrà hic (vt reor) omen habet.

LECTORI.

Quaſdam memorabiles & magni momenti hiſtorias, quæ in præcedente poematio attinguntur, de cædibus duorum regum & principis Vraniæ, hac noſtra ætate nefariè perpetratis, & de variis talis cædis periculis quæ regina, cuius ibi fit mentio, non ſine magno miraculo vitauit, in ſequente Dialogo perſcriptas habebis: necnon de illo imperatore Germaniæ, qui ſuperiori ſeculo à monacho ſublatus eſt veneno, iniecto ei rei quam hic hoſtiam ſacramentalem vocabat.

DE

DIALOGVS PHILOCELTÆ ET CORONELLI,

Adiunctus Poematio, cuius verſus intercalaris, CAVETE VOBIS PRINCIPES.

QVVM vel è veſtitu Gallū te eſſe animaduertam, de Galliæ ſtatu, cuius audiendi ſum cupidiſſimus, interrogare te non dubitabo. Ac te credo mihi libenter de eo eſſe reſponſurum. ſimul enim viæ tædium ab utroque noſtrûm falletur. COR. Vtinam de alia quapiam re verbá faciēda mihi eſſent, ut tuo deſiderio ſatisfacerē. Neceſſe enim habebo ſermone mihi ingrato tibi gratificari, ac ſermonis tædium tædio viæ adiungere: tantum abeſt ut iſtud illo falli poſſit. Nam quid aliud quàm me infandum (ut ille apud poetam loquitur) jubes renouare dolorem? Crede mihi, ſi, ut mortui ſuum flumen Lethen habere dicuntur à poetis, qui illis obliuionem affert (& ex re nomen habet) ita & qui viuunt, ea vi præditum quempiam haberent, ego me eius aqua velingurgitarem. PHI. Si ex earum commemoratione rerum auctum iri dolorem tuum putas, non pergam illud à te petere: ſed potius repulſam libenter patiar. Verùm quum credibile ſit, res Gallicas, qualeſcunque ſunt, tibi ſemper in mente verſari (nam & ipſe hoc oſtendis, quum aquam quæ obliuionem inducat, quæris; & iuxta Græcorum prouerbia non ſolùm quis

u ſubin-

ſubinde manum in ea corporis parte habet, in qua dolorem ſentit, ſed & mentem ei rei quæ mærorem affert, ſemper affixam) non video quomodo triſtitia tibi maior futura ſit eas expectoranti, quàm pectore incluſas tenenti. Strangulat enim incluſus dolor *(ut cecinit omnium Latinorum vatum ingenioſiſſimus) neq; verò lacrymis tātùm egeritur(ut idem cecinit,* Expletur lacrymis egeritúrque dolor*) ſed egeritur certè & ſermone, etiamſi lacrymæ non ſint adiunctæ. Adde quòd in ſinum hominis Galliam amantis, & qui propterea tibi condoleſcet, omnia effundes. Alioqui certè magno te dolore eſſe percitū, vel ex illo voto quod is tibi expreſſit perſpicio. Eius enim non ſine magno periculo, vel potius non abſq; maximo malo, compos fieres, quū tā largus talis aquæ potus nō carū tantūmodo rerū quarū velles reddi immemor, obliuia ſed ſimul omnium eſſet allaturus.* COR. *Quod ex te intelligo de tuo erga meam patriam amore, unde futurum eſt ut te mihi condoleſcentem habeam, in cauſa erit cur libenter faciam quod facturus eram illibenter. Siquidem, (ut etiam Ariſtoteles ſcribit, docétq; experientia)* Qui mœſti ſunt, aliquod leuamentum ſentiunt, amicis condoleſcentibus. *Ad meum autem illud votum quod attinet, rectè profectò me de eo mones. ſed dolor illā temeritatem mihi expreſſit. Simul verò de illis cogitabam, quos & quas poetæ Græci pariter & Latini apud inferos multarum adhuc rerum recordantes inducunt.* PHI. *Atqui etiāſi fidem illis hac in parte habendam eſſe concederem, nimium magnam fore tuam inter viuos prærogatiuam dicerē, ſi aqua vi eadem prædita qua Lethæa, eorum duntaxat quæ velles obliuiſci, tibi obliuionem afferret. Quòd ſi quæpiam aqua huiuſmodi exſtaret apud Garamantas & Indos, principes ſaltem vel alij viri prædiuites ſæpe aquatores eò mitterent.* COR. *Miſſum hunc*

hũc ſermonẽ faciamus, & ad eum quẽ poſtulas veniamus. Sed prius ex te ſcire cupio, unde ſit iſte tuus in Galliã meum amor. PHI. *Amabam quidem & antea Galliam & Gallos, quum fama tantùm meam illis beneuolentiam cõciliaſſet: at ex quo illa me beneuolentia eam in regionem pertraxit, ſicut omnia non minora ſed maiora fama comperi, ita etiam non minor ſed multis partibus maior factus eſt meus amor.* COR. *Quid audio? beas me. Tene diu amica illa tenuit?* PHI. *Per bienniũ, aut circiter.* COR. *Non rediiſti (opinor) niſi ſermonis Gallici peritia bene inſtructus.* PHI. *Redij utcunque ea inſtructus.* COR. *Vbi potiſsimùm commoratus es?* PHI. *Pariſiis.* COR. *Literis (ut ſuſpicor) operam ibi dabas.* PHI. *Literis humanioribus Græcis & Latinis. Sed Latinæ linguæ mediocrem iam cognitionem adeptus eram, antequam pedem patria efferrem, Græcæ perexiguam.* COR. *Quem ibi eius magiſtrum habuiſti?* PHI. *Adriani Turnebi auditor fui: ſed & aliũ habui, qui me domi ea etiã q̃ in ſermone illo leuiora ſunt, familiarius docebat.* COR. *Rectè ſtudiis tuis conſulebas. Atque, ſi hoc ſciuiſſem, Ariſtotelem teſtem, non Latina ſed ſua loquentem lingua produxiſſem. Et quidem id nunc faciã,* κηρίζονται οἱ λυπόμενοι συχνὰ γοῦν τῶν τῶν φίλων: *Sed quid me ita intueris?* PHI. *Quo te magis intueor, eò magis mihi videris eſſe is quem primo etiam aſpectu ſuſpicatus ſum. Si autem is es, certè Turnebi auditor & ipſe fuiſti: & aliquoties me tibi aſsidere contigit. Sed quum rudis ego eſſem, tu contrà propemodũ rude iam donatus eſſe dicebaris. Ac memini fuiſſe tibi tum temporis feliciſsimã manum in exarandis cùm Latinis tum verò Græcis literis: atque his potiſsimùm. dicebaris enim Angeli Vergecij manum æmulari, quæ pro exẽplari fuit pulcherrimis illis characteribus ſeu typis regijs.* COR: *Non abſimile vero eſt te haud falli. Nam & ipſe doctiſſimi illius viri au-*

ditor fui: & de mea manu fama illud ferebat, eam eſſe illius Angelicæ æmulatricem. Verùm fama (ut omnia augere gaudet) ex felici manu feliciſſimam faciebat. PHI. *Nónne mihi aliquod eius ſpecimen te daturum polliceris?* COR. *Polliceor.* PHI. *Id quũ cernã, ſtatim, fallar nécne, certò ſciam: ac ſimul etiã fortaſſe nominis tui recordabor.* COR. *Stabo promiſſis, quum primùm occaſio dabitur.*

AT VERO ſtandi prioribus illis promiſſis iam nũc datur occaſio. Nam & via plana ſimúlque ſpatioſa eſt, ut lateri tuo commodè adhærere poſſim. Quum igitur deſiderio quo teneor ſummo intelligendi quo res Gallicæ in ſtatu ſint, ſatisfacturum te pollicitus ſis: etiam atque etiam rogo ut iam nunc meam velut ſitim explere libeat: atque ut, qualem te gereres erga me valde ſitibundum, talem in adeò deſiderabũdum (ſi voce hac uti licet) te geras. COR. *Pro viribus tuæ cupiditati gratificari iam nunc paratus ſum. Non fruſtra autem hac cautione utor, ut me pro viribus illi gratificari, aut etiam obſequi paratum eſſe dicã. Fieri enim poteſt, ut curioſitas inexplebilis, mihi quidem certè, tuum reddat deſiderium.* PHI. *Valde es diffidens, qui iam cautione aduerſum me utaris. Atqui Gallos potius aduerſus Italos, aut aliam quampiam gentem, quàm in Germanos, cautione uti ſolitos ſcio. Verùm ut omnibus huiuſmodi præfatiunculis aut excuſatiunculis iter præcludam, iam nunc ad meas interrogationes veniam.* COR. *A qua initium ſumes?* PHI. *Ab hac: Philarchiáne an philothreſkeia hos nouiſſimos motus Gallicos excitarit. Vocibus autẽ Græcis utor, tum ut breuius tum ut magis emphaticè loquar: præſertim quum eas tibi notiores quã mihi eſſe ſciam: ſi quidem is es quem eſſe arbitror.* COR. *Vocibus Græcis apud me uti ne dubitato. atque ut eas mihi notas eſſe ſcias (notiores tamen quàm tibi ne dixeris) nónne me interrogas, Vtrum dominandi cupido, quæ quorundã*

ruudam Gallorum pectora ſubijſſet, an religioni tragica incendia excitarit. PHI. *Iſtud ipſum e[...] te ſciſcitor.* COR. *Quæſtionem mihi proponis, q[...] nonnullos exteros mihi proponere memini. Sed [...] qui ignorat, veram iſtorum Galliæ malorum ori[...]rat. Sic igitur habeto: puram putã philarchiam (& quidem non quamuis philarchiam, ſed philouaſileiam) fuiſſe illam Megæram incendiariã: id eſt, quæ hæc incendia quibus ardet Gallia, excitauit: ſed philarchiam tamen laruatam, & quidem laruam philothreſkeiæ gerentem.* PHI. *Audiui quoddam* Ligæ *nomen, quod illa factio ſibi tribueret.* COR. *Multo ſpecioſius huic laruæ nomen erat. nanque haud* Liga *ſimpliciter, ſed* Sancta liga *à ſuis dicebatur.* PHI. *Quid vobis ſonat hoc vocabulum? nõ recordor enim me hoc, quum in Gallia eſſem, audiuiſſe.* COR. *Sonat factionem. Videtúrque facta odioſa, aut ſaltẽ ſubodioſa hæc* Ligę *appellatio: ſicut in odiũ tandẽ veniſſe* factionis *appellationem ſcimus: quum initio talis non eſſet, (opinor) veluti ubi Cæſar totius Galliæ factiones eſſe duas ſcribit. Neque tamen Liga de quauis factione dicitur, ſed de potenti, & in quam ſaltem multi ac diuerſi, aliqua ſinguli potentia præditi (interdum & totæ ciuitates) ſtudia viréſque conferant.* PHI. *Vnde vox illa? an à ligando?* COR. *Non dubito quin inde ſit: tanquam plures qui eiuſdem factionis ſunt, & illi ſe obſtrinxerunt ſacramento (à quo more eſt Latinum* Coniuratio, *ſicut Græcum* Synomoſia*) alij alijs eo velut vinculo colligati ſint. Exſtat quidem certè Ligæ vocabulum non apud Gallicos tantùm hiſtoricos, ſed & apud Guicciardinum.* PHI. *Memini me, quum in Gallia eſſem, audire ſæpe Ligas Heluetiorum,* Les ligues des Suiſſes. *Hic tamen factiones non diceres.* COR. *Nequaquam: ſed Symmorias vocarem: aut aliquam vocem Latinam quæ illi Græcæ reſponderet*

Necandũ, vt orbe fama erat toto volãs)
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Nempe ſinu in proprio ſerpentem ignara fouebat
Multos per annos illa princeps princi-(pem.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Inſidiis vt ab externis ſeruauerat antè,
Seruauit eadem dextera à domeſticis.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Quid quòd & inſidiis aliis fuit illa petita,
Quas quis vocare mage queat domeſticas?
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Iſta potens reginæ illi quàm dextera fauit,
Orate tantum faueat vt vobis quoq;.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Illa ipſi aſsiduè grates agit: & ſimul eius
Opem requirit, & ſimul ſibi cauet.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Nempe deo charam pietas ſua reddidit illã:
Vos veſtra pietas reddat huic charos itẽ.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Sed

Sed contrâ inuiſos queat aſſentatio quoſdã
(Et hoc monebo) reddere ipſi numini.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Ori aſſentantum quiuis veſtrum OPTIMVS atque
MAXIMVS. at hoc eſt trudere ſolio deum.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Huic ori & DIVI veſtrum pleriq; vocãtur.
Illæſáne ſit hîc ſacra maieſtas dei?
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

REGIS at exemplũ volo nũc miſerabile Galli
Vobis ante oculos ponere principibus.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Gallia vos cautos (quæ nũc miſeranda vel hoſti)
Reddat, & hæc partes nunc monitricis agat.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Gens non vlla ſuos coluit magis antea reges,
Deſciuit tandem hæc prorſus ab ingenio:
(CAVETE VOBIS PRINCIPES.)

Dum nimis (heu) præbet monachorum hortatibus aures,

Audire & voces ſe putat angelicas.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Si monachis aliqui ex vobis ſe poſſe putarunt
Fidere, quid dicat Gallia noſtra ſciant.
(CAVETE VOBIS PRINCIPES.)

Vitare inſidias reliquas cui contigit omnes
Princeps, haud monachi fugerit inſidias.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Experta hoc loquitur mea Gallia: nec negat illa
Hoc ipſum magnis ſe didiciſſe malis.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Felices eſtis, mala quos aliena cauere
A genere hoc hominum ſátq; ſupérq; docēt.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Cautio principibus magis attamē hæc datur illis,
Qui ſeſe monachis fidere poſſe putant.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Quid? nónne exemplū pariter Germania præbet,
Quo proceres cautos reddat & ipſa ſuos?
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Induperatorum nónne vni tradita quondam eſt
Hoſtia

Hoſtia per monachum dira venena tegens?
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Sed mage quũ moueant exempla recentia, regis
Mentio ſit vobis iam repetenda mei.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Inſigne exemplum ſimul & lacrymabile regem
Gallorum Henricum lumina veſtra vident.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Hunc monachorũ opera princeps externus auiti
Regni parte fuit deſpoliare potis.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

(In domini ingratus famulus largiſſima dona,
Atq; malo huic audẽs addere grande ſcelus.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.)

Nãq; ſubornati mônachi (quos multa ſubornãt)
Hunc contra regem crebra boant, reboant.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Effectúq; illis ſuus haud caret iſte boatus.
Nanq; rebellent vt maxima turba facit.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Inque iſtos dum rex meritò mouet arma rebelles,

Is princeps multas huic ſtruit inſidias.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Quiq; putabantur lingua tenus antè timendi,
Ferrum illis veſtis iam latebroſa tegit.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Haud etenim è caſtris ſed clauſtris aduenit autor
Cædis. nam monachi rex cadit ille manu.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Vobis ante oculos ſunt hæc digniſſima poni,
Optima quum poſſint hinc documẽta trahi.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Ponite ſed magis hoc: monachorũ rex hic amator,
Ecce tamen monachi cæde peremptus obit.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Si regem occidunt monachi quĩ fautor, amator,
Qualis in oſores gens monachalis erit?
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

HEN-

HENRICVS STEPHANVS VNICVIQVE PRINCIPI QVI praecedens carmen lectione ſua dignabitur.

Qui monet vt caueas: (quod iam facis) ille monendo Imitatio Ouidij.
Laudat, & admonitu comprobat acta ſuo.

IDEM EIDEM.

Non contemptus habet monitus nihil ominis iſte,
Contemptus contrà hic (vt reor) omen habet.

LECTORI.

Quaſdam memorabiles & magni momenti hiſtorias, quæ in præcedente poematio attinguntur, de cædibus duorum regum & principis Vraniæ, hac noſtra ætate nefariè perpetratis, & de variis talis cædis periculis quæ regina, cuius ibi fit mentio, non ſine magno miraculo vitauit, in ſequente Dialogo perſcriptas habebis: necnon de illo imperatore Germaniæ, qui ſuperiori ſeculo à monacho ſublatus eſt veneno, iniecto ei rei quam hic hoſtiam ſacramentalem vocabat.

DE

DIALOGVS PHILOCELTÆ ET CORONELLI,

Adiunctus Poematio, cuius verſus intercalaris, CAVETE VOBIS PRINCIPES.

QVVM *vel è veſtitu Gallũ te eſſe animaduertam, de Galliæ ſtatu, cuius audiendi ſum cupidiſſimus, interrogare te non dubitabo. Ac te credo mihi libenter de eo eſſe reſpanſurum. ſimul enim viæ tædium ab utroque noſtrûm falletur.* COR. *Vtinam de alia quapiam re verbá faciẽda mihi eſſent, ut tuó deſiderió ſatisfacerẽ. Neceſſe enim habebó ſermóne mihi ingrato tibi gratificari, ac ſermonis tædium tædio viæ adiungere: tantúm abeſt ut iſtud illo falli poſſit. Nam quid aliud quàm me* infandum (*ut ille apud poetam loquitur*) jubes renouare dolorem? *Crede mihi, ſi, ut mortui ſuum flumen Lethen habere dicuntur à poetis, qui illis obliuionem affert (& ex re nomen habet) ita & qui viuunt, ea vi præditum quempiam haberent, ego me eius aqua vel ingurgitarem.* PHI. *Si ex earum commemoratione rerum auctum iri dolorem tuum putas, non pergam illud à te petere: ſed potius repulſam libenter patiar. Verùm quum credibile ſit, res Gallicas, qualeſcunque ſunt, tibi ſemper in mente verſari (nam & ipſe hoc oſtendis, quum aquam quæ obliuionem inducat, quæris; & iuxta Græcorum prouerbia non ſolùm quis*

ü ſubin-

ſubinde manum in ea corporis parte habet, in qua dolorem ſentit, ſed & mentem ei rei quæ mœrorem affert, ſemper affixam) non video quomodo triſtitia tibi maior futura ſit eas expectoranti, quàm pectore incluſas tenenti. Strangulat enim incluſus dolor *(ut cecinit omnium Latinorum vatum ingenioſiſſimus) neq; verò lacrymis tãtùm egeritur (ut idem cecinit,* Expletur lacrymis egeritúrque dolor*) ſed egeritur certè & ſermone, etiamſi lacrymæ non ſint adiunctæ. Adde quòd in ſinum hominis Galliam amantis, & qui propterea tibi condoleſcet, omnia effundes. Alioqui certè magno te dolore eſſe percitũ, vel ex illo voto quod is tibi expreſſit perſpicio. Eius enim non ſine magno periculo, vel potius non abſq; maximo malo, compos fieres, quũ tã largus talis aquæ potus nõ earũ tantũmodo rerũ quarũ velles reddi immemor, obliuia ſed ſimul omnium eſſet allaturus.* COR. *Quod ex te intelligo de tuo erga meam patriam amore, unde futurum eſt ut te mihi condoleſcentem habeam, in cauſa erit cur libenter faciam quod facturus eram illibenter. Siquidem, (ut etiam Ariſtoteles ſcribit, docétq; experientia)* Qui mœſti ſunt, aliquod leuamentum ſentiunt, amicis condoleſcentibus. *Ad meum autem illud votum quod attinet, rectè profectò me de eo mones. ſed dolor illã temeritatem mihi expreſſit. Simul verò de illis cogitabam, quos & quas poetæ Græci pariter & Latini apud inferos multarum adhuc rerum recordantes inducunt.* PHI. *Atqui etiãſi fidem illis hac in parte habendam eſſe concederem, nimium magnam fore tuam inter viuos prærogatiuam dicerẽ, ſi aqua vi eadem prædita qua Lethæa, eorum duntaxat quæ velles obliuiſci, tibi obliuionem afferret. Quòd ſi quæpiam aqua huiuſmodi exſtaret apud Garamantas & Indos, principes ſaltem vel alij viri prædiuites ſæpe aquatores eò mitterent.* COR. *Miſſum*

hunc

hũc ſermonẽ faciamus, & ad eum quẽ poſtulas veniamus. Sed prius ex te ſcire cupio, unde ſit iſte tuus in Galliã meum amor. PHI. Amabam quidem & antea Galliam & Gallos, quum fama tantùm meam illis beneuolentiam cõciliaſſet: at ex quo illa me beneuolentia eàm in regionem pertraxit, ſicut omnia non minora ſed maiora fama comperi, ita etiam non minor ſed multis partibus maior factus eſt meus amor. COR. Quid audio? beas me. Tene diu amica illa tenuit? PHI. Per bienniũ, aut circiter. COR. Non rediiſti (opinor) niſi ſermonis Gallici peritia bene inſtructus. PHI. Redij utcunque ea inſtructus. COR. Vbi potiſsimùm commoratus es? PHI. Pariſiis. COR. Literis (ut ſuſpicor) operam ibi dabas. PHI. Literis humanioribus Græcis & Latinis. Sed Latinæ linguæ mediocrem iam cognitionem adeptus eram, antequam pedem patria efferrem, Græcæ perexiguam. COR. Quem ibi eius magiſtrum habuiſti? PHI. Adriani Turnebi auditor fui: ſed & aliũ habui, qui me domi ea etiã q̃ in ſermone illo leuiora ſunt, familiarius docebat. COR. Rectè ſtudiis tuis conſulebas. Atque, ſi hoc ſciuiſſem, Ariſtotelem teſtem, non Latina ſed ſua loquentem lingua produxiſſem. Et quidem id nunc faciã, κουφίζονται οἱ λυπούμενοι συναλγούντων τῶν φίλων: Sed quid me ita intueris? PHI. Quo te magis intueor, eò magis mihi videris eſſe is quem primo etiam aſpectu ſuſpicatus ſum. Si autem is es, certè Turnebi auditor & ipſe fuiſti: & aliquoties me tibi aſsidere contigit. Sed quum rudis ego eſſem, tu contrà propemodũ rude iam donatus eſſe dicebaris. Ac memini fuiſſe tibi tum temporis feliciſsimã manum in exarandis cùm Latinis tum verò Græcis literis: atque his potiſsimùm. dicebaris enim Angeli Vergecij manum æmulari, quæ pro exẽplari fuit pulcherrimis illis characteribus ſeu typis regijs. COR. Non abſimile vero eſt te haud falli: nam & ipſe doctiſsimi illius viri au-

ditor fui: & de mea manu fama illud ferebat, eam eſſe illius Angelicæ æmulatricem. Verùm fama (ut omnia augere gaudet) ex felici manu feliciſſimam faciebat. PHI. *Nónne mihi aliquod eius ſpecimen te daturum polliceris?* COR. *Polliceor.* PHI. *Id quū cernā, ſtatim, fallar nécne, certò ſciam: ac ſimul etiā fortaſſe nominis tui recordabor.* COR. *Stabo promiſſis, quum primùm occaſio dabitur.*

AT VERO ſtandi prioribus illis promiſſis iam nūc datur occaſio. Nam & via plana ſimúlque ſpatioſa eſt, ut lateri tuo commodè adhærere poſſim. Quum igitur deſiderio quo teneor ſummo intelligendi quo res Gallicæ in ſtatu ſint, ſatisfacturum te pollicitus ſis: etiam atque etiam rogo ut iam nunc meam velut ſitim explere libeat: atque ut, qualem te gereres erga me valde ſitibundum, talem in adeò deſiderabūdum (ſi voce hac uti licet) te geras. COR. *Pro viribus tuæ cupiditati gratificari iam nunc paratus ſum. Non fruſtra autem hac cautione utor, ut me pro viribus illi gratificari, aut etiam obſequi paratum eſſe dicā. Fieri enim poteſt, ut curioſitas inexplebile, mihi quidem certè, tuum reddat deſiderium.* PHI. *Valde es diffidens, qui iam cautione aduerſum me utaris. Atqui Gallos potius aduerſus Italos, aut aliam quampiam gentem, quàm in Germanos, cautione uti ſolitos ſcio. Verùm ut omnibus huiuſmodi præfatiunculis aut excuſatiunculis iter præcludam, iam nunc ad meas interrogationes veniam.* COR. *A qua initium ſumes?* PHI. *Ab hac: Philarchiáne an philothreſkeia hos nouiſſimos motus Gallicos excitarit. Vocibus autē Græcis utor, tum ut breuius tum ut magis emphaticè loquar: præſertim quum eas tibi notiores quā mihi eſſe ſciam: ſi quidem is es quem eſſe arbitror.* COR. *Vocibus Græcis apud me uti ne dubitato. atque ut eas mihi notas eſſe ſcias (notiores tamen quàm tibi ne dixeris) nónne me interrogas, Vtrum dominandi cupido, quæ quorundā*

rudam Gallorum pectora ſubijſſet, an religionis amor tã tragica incendia excitarit. PHI. Iſtud ipſum eſt quod ex te ſciſcitor. COR. Quæſtionem mihi proponis, quam alios nonnullos exteros mihi proponere memini. Sed hoc tamen qui ignorat, veram iſtorum Galliæ malorum originẽ ignorat. Sic igitur habeto: puram putã philarchiam (& quidem non quamuis philarchiam, ſed philouaſileiam) fuiſſe illam Megæram incendiariã: id eſt, quæ hæc incendia quibus ardet Gallia, excitauit: ſed philarchiam tamen laruatam, & quidem laruam philothreſkeiæ gerentem. PHI. Audiui quoddam Ligæ nomen, quod illa factio ſibi tribueret. COR. Multo ſpecioſius huic laruæ nomen erat. nanque haud Liga ſimpliciter, ſed Sancta liga à ſuis dicebatur. PHI. Quid vobis ſonat hoc vocabulum? nõ recordor enim me hoc, quum in Gallia eſſem, audiuiſſe. COR. Sonat factionem. Videtúrque facta odioſa, aut ſaltẽ ſubodioſa hæc Ligę appellatio: ſicut in odiũ tandẽ veniſſe factionis appellationem ſcimus: quum initio talis non eſſet, (opinor) veluti ubi Cæſar totius Galliæ factiones eſſe duas ſcribit. Neque tamen Liga de quauis factione dicitur, ſed de potenti, & in quam ſaltem multi ac diuerſi, aliqua ſinguli potentia præditi (interdum & tota ciuitates) ſtudia viréſque conferant. PHI. Vnde vox illa? an à ligando? COR. Non dubito quin inde ſit: tanquam plures qui eiuſdem factionis ſunt, & illi ſe obſtrinxerunt ſacramento (à quo more eſt Latinum Coniuratio, ſicut Græcum Synomoſia) alij alijs eo velut vinculo colligati ſint. Exſtat quidem certè Liga vocabulum non apud Gallicos tantùm hiſtoricos, ſed & apud Guicciardinum. PHI. Memini me, quum in Gallia eſſem, audire ſæpe Ligas Heluetiorum, Les ligues des Suiſſes. Hic tamen factiones non diceres. COR. Nequaquam: ſed Symmorias vocarem: aut aliquam vocem Latinam quæ illi Græcæ reſponderet

(quãquam ne illa quidem uſquequaque mihi ſatisfacit) quærerem: verùm haud ſcio an inuenirem. Quãuis porrò factiones vocari non poſſint, ex factionibus tamẽ ortũ habuiſſe conſtat. Sed, quocũq; tandẽ nomine Latino Liga illa vocãda ſit (Liga illa quæ iã tantũ Gallici ſanguinis hauſit & quæ ne tandem eum exhauriat timendum eſt: niſi Galliæ Deus noſtræ miſereatur) primas eius technas machinãſque illa philothreſkeiæ larua tectas fuiſſe, vel ipſi iam pueri nouerunt. Verùm illis ſtatim idem quod mulieribus ſeſe fucantibus, ſed fuco non ſatis cautè utentibus, accidit: ut fraus fuco facta, detecta fuerit: tandem verò quum illam imperandi, & quidem regnandi, cupiditatem diſsimulare amplius non poſſent, omnibus aperti Martis viis ad ſceptra ſimul & aduerſus ſceptra graſſari cœperunt: ac ijs etiam quæ audita nunquam fuerunt.

PHI. Atenim quo fieri modo poteſt ut Gallica gens, quæ non fuit unquam ulla ſui principis, regis videlicet, amãtior, nulla ſuũ principẽ maiore obſeruãtia colẽs, nulla deniq; ſuo principi magis obſequens: ſententia repẽtè mutata non ſolùm ita rebellauerit, (hoc enim de maiore ſaltẽ eius parte fertur) ſed omnia non dicam tantùm maleuoli ſed virulenti etiam in ſuum regem animi (ut quidem audio) indicia dederit? Nam alia quidem ſiue huius ipſius gentis ſiue aliarum rebelliones hiſtoriarum monumentis prodita ſunt: ſed vix ulla tanta cum animorum acerbitate & virulentia. COR. Dicam quod ſentio. Superiori tempore ab illis ipſis qui rebellabant proficiſcebatur rebellio, iugũ excutere cupientibus, potius quòd eo nimis graui premerentur, quàm quòd eſſent qui ſuis prauis ſolicitatos & ſubornatos conſilijs eorum animos ad illam ſtimularent. At his contigit contrà, ut non rebellauerint niſi quum longo antè tempore ipſorum animos illi fratres corrupiſſent, qui principes externi erant, (ſi principes) atq; ſuo à prin-

cipe

cipe alienaſſent: & quidem ab illo alienatos ad ſe pellexiſſent. Poſſumus enim (meo iudicio) Galliam, id eſt, illam Galliæ rebellem partem, caſtæ cuidam matronæ comparare, quæ longo temporis ſpatio nullis muneribus, nullis illecebris, nullis lenociniis potuerit corrumpi: ſed tamen ab aliquo tandem, qui magis artificioſas illecebras, magis artificioſa lenocinia adhibuerit, & animo & corpore corrupta fuerit. PHI. Non deſunt in hiſtoriis talium matronarum exempla, quæ ſummum in maritos amorē & propemodum incredibilem in ſummum odium & vix fide dignum mutauerint: (tantum quidem certè ut multæ relictis maritis, quædā illis vel manu ſua vel per alios interfectis, ſuos ſint adulteros per niues pérque horrida caſtra ſequutæ) quum tamen tanta animi mutatio non aliunde quàm ex adulteri venenatis (ut ita dicam) verbis & ſuū venenū menti infundentibus eueniſſet. COR. Sed ne hoc quidem negabo, illos accelerandi quod à multis iam annis meditati erant, (& ab eo quidem potiſſimùm tempore, quo hiſtoriam de rebus Gallicis à quodam canonico ſcribendam curauerant, ubi Lotharingicæ domus ſtemma ſtemmati poſtremorum Galliæ regū præferebatur) occaſionē ex eo etiam odio quod regi qui tum rex Nauarræ vocabatur, conflauerant, ſumpſiſſe. Quum enim iure hæreditario ſceptra illi deberi viderent, & id inficiari ne ipſi quidem poſſent, ideóque ſibi cum duobus regibus negotium futurū animaduerterent: uno, qui iam foret, altero, qui ſucceſſurus illi eſſet: de duobus hiſce obſtaculis breui tempore tollendis cogitauerunt: & ita quidem ut is, qui ſceptra tenebat, & iam ab annis XV. tenuerat, ſuam ad tollendum unum è duobus obſtaculum potentiam commodaret: quo ſublato, ipſe qui alterum obſtaculum erat, tolleretur. PHI. Callidum ſanè conſilium. COR. Non calidum tantummodo, ſed calidum etiam atq; audax. Verùm audi cætera.

Quum à multis iam annis plebicolæ fuiſſent, & nihil eorũ quæ plebicolæ proceres agere debent prætermiſiſſent (nam hoc & lippis & tonſoribus notum erat) ut iacto hoc tam bono fundamento ei ſuam ædificij molem ſuperſtruerent, ſummiſere multos qui in vulgum ſpargerent voces non ambiguas (ut loquitur apud Maronẽ Sino) ſed apertè ſeditioſas, & ad concitandos inflãmandóſque vulgi & multorum qui è vulgo non erant animos, accommodatiſſimas. Sed nullæ illis buccinæ æquè adiumento erant ac eorum qui preſcheurs *(è Latino* prædicatores, *pro* prædicateurs*) appellantur. Hos ſuas ſæpe buccinas inflare aduerſus ipſum regẽ, qui tum Nauarræ rex vocabatur, iubebant: & quidem talia in eum iactare ut nullus ex auditoribus eſſet qui inde diſcedens dicere non poſſet,*

mihi frigidus horror Membra quatit.

Tale fuit quod quidam boauit in eum Pariſiis: quum, occaſione captata ex crudelitatis Herodis mentione, exclamaret, O quàm magno in periculo verſamur ne regẽ multo Herode crudeliorem experiamur, qui non tantũ infantes, ſed omnes cuiuſuis ætatis, qui eandem quam ipſe profiteri religionem nolent, morti tradat. PHI. *O quàm incẽdiariæ erant voces huiuſmodi.* COR. *Aptè profectò & verè incendiarias nominaſti. magna enim bellorum incendia tandem excitarunt.* PHI. *Nemo, ut opinor, erat qui ea oritura non præuideret.* COR. *Quid quòd & in illum ipſum qui tum ſceptra tenebat, multa declamabant, præſertímque poſtquam Ligæ conceſſa, quæ ſua proteſtatione petebat, fuerunt: illum ad omnia quæ Huguenotos moliẽtes cerneret, conniuere: omnibus quæ de illorum conatibus referrentur, (erant autem meræ magna ex parte calũniæ) ſurdas aures præbere: atque adeò clàm fautorem illorum eſſe. Quinetiam cum ipſo Nauarræ rege clàm conſentire, & coitionem inter eos eſſe; ideóque illum oppugnantibus*

haud

haud quātum poſſet roboris, ac vix dimidiam eius partem ſuppeditare: deniq; omnia aduerſus illam perfunctoriè agere.

PHI. *Sed illa modò à te nominata proteſtatio (ut tu vocas, ſermonem Gallicum ſequens) qualis, vel potius, quæ fuit?* COR. *Vocata etiam fuit hoc nomine:* Declaratio cauſarum quæ impulerunt cardinalem Borboniū & reliquos, ad opponendum ſe illis qui omnibus modis euertere religionem catholicam & ſtatum regni conantur. *Et ſatis longo pòſt interuallo:* Propter has iuſtas cauſas & conſiderationes, Nos Carolus Borbonius, primus princeps ſanguinis, &c. aſsiſtẽtibus & alijs, &c. declaramus nos iuraſſe unanimiter & ſanctè promiſiſſe, nos armis noſtris conaturos eccleſiam Dei ſuæ dignitati reſtituere, atque ad veram & ſolam catholicam religionem reducere: & nobilitati ſua iura ac priuilegia plenè reddere. *Hæc ſunt illa duo præcipua capita quæ Liga prætexuit ac prætexit. Inter alia autem multa quæ in ea declaratione leguntur mendacia, quoddam eſt ridiculum, utpote quod ijs demū occultum futurum ſit qui nihil unquam audiuerint de ijs quos principes ſanguinis appellamus. Ibi enim inter alia dicit*, aſsiſtentibus multis principibus ſanguinis. *Atqui unde illi multi principes ſanguinis, quum aduerſus eos (quos eſſe ſcimus pauciſsimos) hæc coniuratio eſſet?* PHI. *Vel hoc unum tam apertum mendacium multos alios locos meritò ſuſpectos fautorib. quoque illorum reddat.* COR. *Ita ſe res habet. Verùm ad narrationem meam ut redeam, quum Guiſiorum natu maximus ex inſolente factus planè impotens animi, eo quòd apud regni ſtatus conuocatos tātum poſſet, ut eum quis plenis aut potius pleniſſimis velis nauigare meritò dicturus eſſet; ita tandem ſe erga regem ipſum gerere cœpit, ut & ad*

minas, interdum quidem tectas, interdum verò apertas, veniret. PHI *Mira erat hæc animi impotentia.* COR. *Quum rex non ſolùm tolerare eam amplius non valeret, ſed in vita etiam periculum venire ſe videret, atque adeò de cæde ſui cogitari, (quod & ſuſpicabatur) audiret: tandem aliquando præuenire quàm præueniri maluit, & ita contigit huic Guiſio, quod pulchrè quidam nobilis Gallus his duobus verſibus deſcribit,*

Dúmque moræ impatiens iam regni extorquet habenas,
Et regi inſultat, rege iubente cadit.

PHI. *Quis ille eſt nobilis Gallus?* COR. *Eius ſine me nomen tacere. Scribit autem hæc in Guiſii epitaphio: cuius ultimi duo verſus, qui hos ſequuntur, ſunt hi,*

Hoc ſolamen habet, quòd magnis excidit auſis.
Sic quondam Enceladus centimanúſque Gyas.

PHI. *Probo & hanc epitaphij illius clauſulam. Sed nónne & frater eius, qui cardinalis erat, cæſus fuit?* COR. *Ita. Verùm nimium diu dilata fuiſſe horum ſupplicia, exitus oſtendit. iam enim tantum roboris Liga ceperat, ut vel unicum eorũ fratrem ſibi ducẽ conſtituens, non minus quã antea, ſed magis etiam, Galliæ magnam partem vel ad rebellionem perpulerit, vel in ea (ad quã antea perpulerat) obſtinatè manere perſuaſerit. Nulla autem ante Guiſiorũ mortem fuerat memorabilior rebellio, quàm Pariſienſis: q̃ ita exorta eſt ut ſimul parum abfuerit quin ipſe rex ab illis cõprehenderetur. Ac niſi ſe rex maturè ſua è regia ſubduxiſſet, ſed tantùm per aliquot adhuc horas in urbe manſiſſet, actum de eo erat: ut intelliges quum totam iſtam hiſtoriam audies.* PHI. *Nimium nimium diu (ut & ipſe antea dixiſti) dilata hæc ſupplicia fuerunt. Ac principes alij in-*

in his alienis malis utiliſſimum ſpeculũ habent, & in quod ſæpe intueri debeant:ut hinc ſemper illius dicti meminiſſe diſcant, PRINCIPIIS OBSTA.

COR. *Quandoquidem hunc in ſermonem incidiſti, idem mihi in mentem veniſſe non negabo: adeò quidem ut non dubitem dicere, principes vix intra trecentos annos tot habuiſſe documenta cautionis regimini ſuorum principatuum adhibendæ, quot ſeculo noſtro, & præſertim à quinque & viginti, plus minus, annis habuerunt. Hoc autem antea cogitationem meã ſubiiſſe, teſtari poteſt quoddam poematium, quod in bonorum omnium principum gratiam ſcripſi, & omnibus bonis principibus dicatũ eſſe volui: cuius verſus intercalaris eſt hic,* CAVETE VOBIS PRINCIPES. PHI. *Id ne videre mihi continget?* COR. *Videre quidem, ſed non legere.* PHI. *Modò apertum videam, vix fieri poterit quin aliquot verba oculi mei ſuffurentur. Verùm te ſeriò non eſſe loquutum ſcio: ipſe autem ſeriò te rogo vt eius videndi & legendi copiam iam nunc facias.* COR. *Atqui non eſt eorum è numero quæ inter equitandum legi debent.* PHI. *Pollicceris ſaltem te mihi illud eſſe exhibiturum, quum in diuerſorium venerimus.* COR. *Polliceor: & quidem priſtina fide Gallica polliceor.* PHI. *Quid audio?* COR. *Ita loquor, quia ſcio apud exterorum nonnullos dubiam eſſe noſtratum fidem cœpiſſe, ex quo Sãctobartholomæana ſtrages edita fuit.* PHI. *At ego, qui multum peregrinatus ſum, nullam magis bonæ fidei gentem mihi eſſe cognitam affirmare poſſum.* COR. *Bella moribus aliquorum labis aliquid attuliſſe non inficior: ſed pacem in integrum eos reſtituturã ſpero.* PHI. *Quid? annon illa ſaltem philoxenia Gallica, illa hoſpitalitas illabefacta permanet?* COR. *De omnibus hoc nequaquam dixerim.* PHI. *Ego tamen miram illã ac propè incredibilem expertus ſum. Ac fuit certè & priſcorũ Gallorũ (ſicut & Lu-*

& Lucanorum) valde celebrata hiſtoriarum monumentis hoſpitalitas: adeò quidem certè ut Nicolaus Damaſcenus ſcripſerit, apud eos, illum quidem qui peregrinũ interfeciſſet, morte mulctari ſolitum: at qui ciuem, tãtùm exilio. COR. *Alia certè multa de priſcorum Gallorum hoſpitalitate legi: & verò ante bella ciuilia nos priſcis illis ne ea quidem in laude ceßiſſe exiſtimo: ſed bellis ingenia multorum, hac præſertim in re mutata eſſe, non inficior. Quòd ſi negare velim, at mea id muſa fatetur.* PHI. *Nónne libet eam audiam?* COR. *Libet.*

Hoſpes, tu prius hoſpitaliorem
Gentem gente mea eſſe qui negabas,
Huius ſi datur hoſpitalitatis
Vix veſtigia pauca nunc relicta
Poſſe cernere, dic quid eſſe cauſæ
Arbitrabere. Liberè fatetor.
Ipſe, quum taceas, volo fateri.
Si ciuilia bella ſuſtulerunt
Multis patribus in ſuos amorem
Natos, fratribus in ſuos amorem
Fratres, & potuit ciere tantum
Inter hos odium, ciere & iras
Tantas, quantus amor prius fuiſſet:
Si ciuilia bella reddiderunt
Multos immemores amoris eius,
Natura indere quem ſolet quibuſuis,
Quem natura iubet manere ſaluum:
Quis hîc ſit memor hoſpitalitatis?

PHI. *Huic certè rationi nemo eſt (ut opinor) qui non acquieſcat, & quidem cum lacrymis. Quis enim magis lacrymabilis eſſe ullius gentis ſtatus poteſt, circa ea ſine quibus vita vitalis eſſe non poteſt?* COR. *Vt ſimul ſemélque lacrymabiles fundentem de Gallia ſtatu ver-*

tu verſus meam muſam audias, addam & hos,

Hoſpes, qui patriam meam reuiſis,
Non viſam tibi plurimis ab annis,
Eius quàm facies nouata, dices.
Nec verba immeritò loquêris iſta.
Eius nam facies nouata ſic eſt,
Galliam ut meritò queas negare
Gallia in media videre poſſe.
Dicam (ſed lacrymas ſimul profundens)
Mira quæ tibi ſunt magis futura,
Luctuoſa magis mihi futura.
Si fortè ingruat (ut timemus omnes)
Tempeſtas ea multa quam minantur:
Galliæ haud poterit manere corpus,
Vmbra ſed modò Galliæ manebit.

PHI. *Ipſe quoque vix à lacrymis tempero, dum mihi in memoriam reuoco quàm florentem eam viderim. Adeò certè mihi placuit, vt.* COR. *Quæ eſt hæc apoſiopeſis?* PHI. *Aliquid paradoxon dicturus eram: ſed quod ſimul me pudet fateri.* COR. *Coniectura mihi videor aſſequi quidnā illud ſit.* PHI. *Eam prome. ſi εὔστοχος fuerit, non inficiabor.* COR. *Adeò tibi regio noſtra placuit, vt in ea non eſſe natum diſplicuerit.* PHI. *Rem profectò coniectura aſſequutus es.* COR. *Eādem (mihi crede) confeſſionem & alij cuidā expreſſi. Neq; repugnat iſtud ei quod Naſo cecinit,*

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit:

Nanque haud interim tibi non dulcis tua patria eſt, aut illi ſua non erat. Sed audi alios verſus quos ſcripſi iam olim quum adoleſcens ex ea diſceſſiſſem, & iam intumeſcentibus bellis ciuilibus ad eam rediſſem:

Salue Gallia, quam puer videbam
Alta pace domi & foris fruentem:

At do-

At domeſtica bella nunc fouentem
Cerno, quum ſenij minæ propinquant.
Eheu cerno manus tibi afferentem,
Viſcera in tua cerno ſæuientem.
O Diſcordia, Galliæ Megæra.

PHI. *Propemodum vellem Galliam ita florentem non vidiſſe, vt eius vicem non tantopere dolerem.* COR. *Multo magis doleres, ſi multorum eius malorum, quemadmodũ & ego, ſpectator fuiſſes. Nam vel hic expertus ſum quàm verum ſit illud Horatianum,*

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Quod certè & à Nazario eleganter his expreſſum verbis fuit, Ad animum languidius accedunt quæ aurium via manant, quàm quæ oculis hauriuntur. *Quod ego quum eſſem expertus, & quidem in ea ipſa de qua nunc agitur calamitate (ſi ſatis eſt calamitatem hic dicere, ac non potius ſermoni meo μείωσις ſubeſſe videri poteſt) etiam teſtari his verſibus volui,*

Si longum tibi quis refert grauémq;
Morbum, ſi tibi ſe fuiſſe dicit
Orco pænè datum illius furore,
At nunquam tamen impetu petitus
Illius fueris: minus mouebunt
Eius omnia lacrymoſa verba.
At ſi poſtmodo morbus opprimat te
Idem, ſæuiat & pari furore,
In mentem reuocant tui dolores
Eius omnia lacrymoſa verba.
Sic, ciuilia bella quum referrent
Romani populi Latina nobis
Scripta Graiaq;, nos quidem mouebant,
Nos ſed omnia languidè mouebant.

At poſt-

At poſtquam incubuit fragore magno
In meam patriam, meos penates,
Tempeſtas ea Martij furoris:
Et poſtquam mala ſeculi vetuſti,
Auri tradita quæ prius fuiſſent
Tantùm ab hiſtorici libri relatu,
Hauſerunt oculi: fuitq; noſtra
Speclum Gallia talium malorum:
Noſtra pectora (nam volo fateri)
Non, vt antea, languidè moueri,
Verùm horreſcere concutiq; ſenſi
Et præſentibus, & ſimul vetuſtis,
Ceu præſentibus. Et vetuſta ſiqua
Tantorum cumulo deeſt malorum
Ærumna, arbitror eſſe iam propinquam,
Aucturam & numerum breui mearum.
Nam meas voco, Galliæ fuerunt
Quæ meæ in medio à tot & tot annis.
  Sed quî Gallia te meam vocare,
Poſſum Gallia quî meam vocare,
Nunc Hiſpanica quæ videris eſſe?
  Immò, Hiſpanica quòd verebar eſſe,
À me nunc (ais) exſulare malo.

PHI. *Tu de lacrymoſis verbis loquutus es: quæ autem his eſſe queant lacrymoſiora? Fateor equidem, ſi paulo plura adieciſſes, non poteram mihi à lacrymis temperare. Ac velim certè propinquum eſſe diuerſorium, vt illorum verſuũ quorum copiam te facturum mihi promiſiſti, lectione, ab iſtarum calamitatum & miſeriarum cogitatione interquieſcam. Sed nónne iam pagũm video? Video ſanè.* COR. *Maius te fortaſſe prandij quàm illorum verſuum deſiderium tenet.* PHI. *Vt ingenuè fatear, illorum quidem verſuum deſiderium, ſed ſimul etiam prandij deſideriolum*

ſideriolum. COR. *Prius illud breue futurum eſt, quũ breuiſſimum ſit hinc ad pagum vſque iter.*

PHI. *QVVM iam ad locũ peruenerimus, ubi alterum tuum promiſſum impleturum te promiſiſti, memineris velim prouerbij, Bis dat qui citò dat.* COR *Memor ero, & iã nunc quod promiſi exhibebo. Nam ipſe recordor itidem illius Græci hemiſtichij,*

ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι.

PHI. *Cogito an poſſim abſoluere: ſed meam memoriam non ſatis fidelem experior.* COR. *Interim dum memoriã tuam ſolicitabis, illum libellum quæram.* PHI. *Rem pergratam facies.* COR. *Cedo tibi eum.* PHI. *POEMATIVM, cuius verſus intercalaris, CAVETE VOBIS PRINCIPES. Nullus erit (ut opinor) quem vel hic intercalaris verſus non ſtatim ad huius poematis lectionem inuitet. Sed cur meam ipſemet auiditatem remoror?*

HENRICVS STEPHANVS PRINCIPIBVS ſalutem dicit.

CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Tu vis (quantum video) hæc pauca eſſe loco epiſtolæ. COR. *Vel potius epiſtolij: aut epiſtolioli, ſi hac uti voce licet. Ac quæ ſequũtur, id oſtendũt.* PHI. Quòd ſi vobis pœccupatiões veſtras plura, & quidẽ multo plura, legere licet: & quod vobis licet, id etiã libet: rogat ut & ſuã muſam hæc canẽtẽ audiatis. PHI. *Placet* ꝙ *tã reuerẽter ſimúlq; tã cautè cũ principib. agis. nã pauca hæc vel potius pauciſſima à ſequẽtib. ſeparãs, illis moleſtus eſſe non vis, à ſuis eos maximi momẽti negotiis interpellãdo: ſimúlq; dũ tã paucorũ verborũ lectionẽ petis, non times ne tua petitio repulſam patiatur. Sed veniendũ eſt adverſuũ illorum principium, id eſt, ad primũ diſtichum.*

Omnis legitimus vobis honor antè tributus:
Huius honoris lex nunc inhonora iacet.

Se-

Sequitur ille verſus intercalaris,

CAVETE VOBIS PRINCIPES.

Vlterius in horũ lectione pergã oportet, antequã tuũ verſum intercalarem mihi reddam familiarem. Sunt certè hæc verba, CAVE TIBI, *attentionem ſibi vel ab inuito parantis: quamuis te eò non ſpectaſſe (àd principes quod attinet) exiſtimem. Sed volo ulterius pergere, uti dixi.*

Legitimíque prius quæ credita ſacra poteſtas
Principis, eſt vilis facta, profana velut.
CAVETE VO. PR.
Tempore legitimo ſucceſſor & eſſe ſolebat
Legitimus: nunc mos temnere legitima.
CAVETE VO. PR.

COR. *Abſcedam pauliſper, dum tu ulterius progredieris. nam quæ tibi lectori noua ſunt, & propterea (ut quidem præ te fers) grata: mihi autori ſunt jam vetera, aut tanquam vetera. Quinetiam poteris, me remoto, attentius omnia conſiderare.*

PHI. *Dum abfuiſti, non legi ſolùm ſed perlegi etiã tuũ poematium. Primùm quidem placet quòd in primis quinque diſtichis* legitimi *appellatione uſus ſis, licet de rebus diuerſis loquens. Potiſſimùm tamen quòd primo diſticho id vocabulum à te adbibitum fuerit. Nã ſi alio uſus fuiſſes, loquens de honore principibus exhiberi ſolito, aliquis te illis aſſentari dixiſſet. Placet etiam illud,* nunc mos temnere legitima: *ac voluiſſem fuiſſe non ſemel ſed ſæpius repetitum. In illo diſticho,*

Legitimus priſco mos bellum indicere more:
Nunc etiam in media claſsica pace ſonant:

quod auribus meis gratiſſimum eſt hîc, dici, mos legitimus *fuit antea* bellum indicere priſco more, *(repetitio videlicet eiuſdem nominis,) alicuius fortaſſe aures*

offendet, qui te de induſtria ita loquutū eſſe non animaduertet. Sunt & alia nonnulla, quæ quum gratiam magnā apud lectores ſeu auditores idoneos ſint habitura, contrà apud vulgus fortaſſe iacebunt: quia non perſpicietur ab eo quod ſub ijs latet artificium. COR. *Hoc ego iam prænidi.*

PHI. *Sed cur nō & aliquod diſtichum inſeruiſti ea de re cuius antea mentionem fecimus, tanquam principibus non ſolùm utile ſed etiam neceſſaria, quum aliquid mali aduerſus principatum ſuum gliſcere vident, obſtandi principiis? Annon poteras & debebas aliquod tale diſtichum cæteris inſerere, ubi de illa miſerabili cæde regis tui loquebaris?*

PRINCIPIIS OBSTATE: auri vos credite veſtræ
Nunc manes huius talia verba loqui.

Atque huic diſticho tuum intercalarem verſum ſubiungere,

Cauete vobis principes.

COR. *Poterā quidē, ſed non & debebā.* PHI. *Quamobrē?* COR. *Quoniā in animo habebā, principes de ijs tantùm monere quæ nunc aliter quàm prius aguntur, & ex quibus cognoſcimus paululū illud quod ſupererat pudoris ac bonæ fidei tēpore auorū, periiſſe: at illa cautione iam olim, atque ad eò priſco iam ſeculo ſcimus opus fuiſſe, principiis obſtādi, ac ne Naſonem quidem dixiſſe primum illud, ſed multos multis ante illum annis, aut etiam ſeculis, Eſſe obſtādū principiis, & ſerò medicinam parari quum mala per longas moras inualuere. Fortaſſè tamen de re tanti ponderis monitum iſtud nunquam datum fuit.*

PHI. *Dum tu hæc loqueris, ab illo tuo poematio ad alia poemata exſpatiatus ſum. Ac commodùm incurrerunt in oculos meos aliquot Græca verba margini adſcripta: ac è*

tua

tua manu illam Vergecianam planè imitante, eſſe te illum cognoui quem ſuſpicabar. Quo etiam nomine longè mihi charior futurus es. Sed hæc de re poſtea. nunc enim ſcire ex te ꝑcupio, cur hæc monita De principatu bene inſtituendo & adminiſtrãdo, *principibus data, verſib. quàm ſoluta orationi mandare malueris: quum multo illud tibi fuerit laborioſius. Præſertim verò quum de multis rebus loqui velles quæ carmini familiares non ſunt, ſed contrà numeris ipſas poeticis includere volenti fieri non poteſt quin multum negotij faceſſant.* COR. MVSA MONITRIX PRINCIPVM, *quæ hæc carmina dictauit, de eo quod quæris interroganda eſt.* PHI. *Sed hæc ſe nonniſi à te ſolicitatam dictaſſe reſpondebit. Age ergo ipſe reſponde, ac me ad illam non remitte.* COR. *Fateor quidẽ, ſermonem poeticis numeris adſtrictum multo plus negotij exhibere, ſed hanc moleſtiam ſolantur multa tùm alia, tum verò multa loquendi genera audacter (ut ita loquar) figurata, multum gratiæ & veneris illi addẽtia, quæ à ſoluta oratione exſulare coguntur.* PHI. *Nunquam mihi perſuaſeris tantam eſſe hanc commoditatem ut ea penſari illa incommoditas potuerit.* CÒR. *Vrges me: & confeſsionem (quantum video) vel exprimere mihi ſtatuiſti. Verùm te deuenire eò non ſinam: ſed præueniam, ac fatebor ingenuè cur hoc argumentum carmine tractauerim. Cauſa quidem certè illa fuit quam dixi: ſed cauſa adiuuans, & velut τὸ συναίτιον, at τὸ αἴτιον fuit, ut in itinere, & quidem equo inſidens, ea ſcriptione leuàre tædium viæ poſſem. Scis enim poſſe quem multo facilius inter equitãdum verſus componere, & compoſitos mandare memoriæ quàm proſam (vel prorſam, ut alij vocant) orationem.* PHI. *Quid? erátne tibi tam fidelis memoria ut omnes verſus quos tot horis matutinis equitans ſcripſiſſes, tibi in diuerſoriũ venienti ſuggereret.* COR. *Nequaquã illi adeò,*

fidebam, ut eius tanta in re experiri fidelitatem vellem: quũ timerem ne potius magnam infidelitatem experirer. PHI. *Huic igitur periculo quomodo occurrebas?* COR. *Si mulatq; viginti verſus meditatus erã, interdũ etiã paucio res, eos vel in tabellis ſtylo, vel in charta calamo & atramẽto ſcribebã: deinde aliorũ compoſitioni me tradebam: vel potius muſam meam de alijs ſolicitabam.* PHI. *Ipſi equo inſidens ſcribebas?* COR. *Equitans ſcribebam.* PHI. *Sed hoc ſaltem fateberis, te ſolitum eſſe reſiſtere ad ſcribendũ.* COR. *Si à me diceretur iſtud, aliud quàm quod verũ eſt dicerẽ. Reſiſtebã .n. rariſſimè, ac prterquã quòd non eſt moris mei reſiſtere, ſi voluiſſem tũ, vix potuiſſem, quoniã vehebar equo Turcico. planè generoſo, ac moræ (præſertim quum ſuos comites videbat præcedere) impatiente. Eo autem magis me illius ingenio cogebar accõmodare, quòd alioqui refractarius erat & aliquantum duri oris. dummodo tamen cæteros nòn magno præcedere ſpatio videret, ſatis tractabilem ſe præbebat.* PHI. *Miror, te tali equo, qui durior oris eſſet (ut loquitur Naſo) uſum eſſe.* COR. *Mirabere magis quum ſcies in quod diſcrimen me ſemel adduxerit ex illa oris duritate.* PHI. *In quod?* COR. *Certè τοῦ ἐκτραχηλισθῆναι.* PHI. *Iam non ſolùm magis miror tuam de utendo tali equo ſententiam, ſed damno etiam: ne uid diſſimulem.* COR. *Hoc vitium multæ virtutes pẽſabant: quod vitium tum demum ſe prodebat quum habenæ illi ad curſum laxabantur, & cum alijs non currebat. Nam tum, ubi cæteros præcurrerat (quod ei utpote velociſſimo facile erat) contra ſua frena tenax non erat. Sed quũ ſeorſum ab alijs ad curſum concitabatur, tum de eo dici Ouidianum illud poterat,*

Vidi nuper equum contra ſua frena tenacem
Ore renitenti fulminis ire modo.

Quum autem egreſſus Francfordio, (ubi eum emeram) nõ

procul

procul à porta, quàm bonus curſor eſſet experiri vellem, cōtigit ut illius Ouidiani equi more currens, à me retineri non potuerit, præuidente alioqui ſeptum quoddam tranſuerſum quo iter intercludebatur. Eò igitur quū me inuito currens perueniſſet, & ſuperſilire quidem tentaſſet, verū non potuiſſet (hoc interim ſine illo quod dixi periculo factum non fuit) in illud ſeptum ligneum ita calces impegit ut fregiſſe dictus ſit: adeò ut ad magiſtratum vocatus fuerim de damno ſarciendo. PHI. *Felicior (ſi vera fateri licet) quàm prudentior fuiſti, qui tali equo inſidens manum calamo tam ſæpe & tam utiliter admoueris.* COR. *Tanto magis agenda à me ſunt Deo gratiæ.* PHI. *Sed cur poematij pars una alio characterum genere excuſa eſt?* COR. *Non tantùm quòd in tota illa parte de regina Angliæ agerem, ſed etiam quòd verſui hexametro qui heroicus vocatur, non pentameter, ſed iambicus ſenarius ſubiūctus eſſet. Principium eſt,*

Teſtis & illa potens regina, elapſa periclis
Pleriſque cædis, multa per miracula.

PHI. *Cupio totam de cædibus illis hiſtoriam, aut totas hiſtorias cædium illarum, quæ non ſine miraculo ab ea euitatæ fuerunt, intelligere. Vt tamen ordo ſeruetur, quoniā prius fit cædis principis Vraniæ mentio, prius narrare te mihi velim à quo & quomodo perpetrata illa fuerit.*

Vraniæ teſtis princeps, huic latro cruorem
Hauſit & intra ipſum quum penetrale domus.

Cur Vraniæ principem ac non potius Auraicum vel Auraſium cum aliis vocaſti? COR. *Vſus eo ſum nomine quod in mentem primum venit. Scio autem & alio eum nomine appellari. Sed veniamus ad rem: id eſt, ad ſcelus illud, cuius hiſtoriam audire cupis. Eum qui id perpetrauit, Balthaſarē nominatū ferunt Geraertz. Erat antē Burgūdus,*

ut ipſe aiebat: & aliquandiu comiti Carolo Manſfeldienſi fuerat à ſecretis. hic verò principis Parmenſis mareſchallus (ut vulgo vocant) erat. Balthaſar ille quum eſſet illi comiti à ſecretis, occaſionem die quodam nactus eſt imprimendi in ceram ſigillum eius: & ita quidem ut magnum numerum talium ſigilli impreſſionum (ut ita dicam) haberet. Is Delfos ad principem Vraniæ, ſiue Auraicum veniens, ſuam operam ei libello ſupplici offert, affirmatque ſuam patriam ſub eius eſſe ditione: & tam multa támque exactè de quadam ſtirpe quam ſuam eſſe mentiebatur, commemorabat, & de tota propinquitate atque affinitate, ut fidem hac etiam in parte faceret. Hinc contigit ut princeps Auraicus non parum fidendum illi putaret: tantum abeſt ut ſibi ab eo cauendum eſſe arbitraretur. PHI. *Vtinam legiſſet tuum poematium, & ſemper in mente habuiſſet intercalarem illũ verſiculum,* CAVETE VOBIS PRINCIPES.

COR. *Vtinam. Sed audi quomodo effectum ab eo fuerit ut princeps magis magiſque illi fideret. Poſt aliquot dierũ interuallum ad principẽ rediens, narrat ſe comiti Manſfeldienſi à ſecretis fuiſſe, ſed eo tamen animo ut poſſet aliquando principibus reformatam religionem profitentibus prodeſſe. Ideóque, quũ aliquando ſigillum eius nactus eſſet, in ceram impreſſiſſe. & plurimas huiuſmodi impreſſiones ſecum attuliſſe. Addebat autem quantæ commoditates ex appoſitione illius ſigilli percipi poſſent. Ac quum multa de rebus hoſtis & quo illæ in ſtatu eſſent, narraſſet, tandem ita in gratiam principis irrepſit ut iam illi ad eũ aditus quoties vellet pateret.* PHI. *Magnam ergo illi cõmoditatem ad patrandũ ſuum facinus incautus princeps præbebat.* COR. *Tandẽ ſimulat abitum ad regem tum quidem Nauarræ, nunc verò & Galliæ: petítque à principe ad eum literas commendatitias.* PHI. *Quare hoc ſimulabat?*

bat? COR. Intelliges ex ijs quæ ſtatim ſubiungam. Per hunc ſui diſceſſus prætextum quæritat paßim non clam ſed palam aliquam exploratißimam & nunquam fallentem bombardam, ac tandem talis ei venditur à quodam ex ipſius principis ſatellitibus: qui nihil minus quàm in tam nefariũ uſum cõparari ſciebat: ut miſer eius exitus te docebit. Cæterùm ille ſicarius (erat autẽ natus annos triginta, aut circiter) die quo principem interfecit, manè venit ad cœnobiũ ſanctæ Agnetis, in quo ille habitabat: & quamuis nondum ille ſurrexiſſet, tamen à cubiculario admittitur: à quo poſt eius ingreſſum, oſtium cubiculi clauditur: ita ut ſolus, & quidem pugione accinctus, cum ſolo principe in lecto iacente diutulè manſerit, eum alloquẽs. PHI. *O quàm malè hoc eſt tuum monitum ſequi,* CAVETE VOBIS PRINCIPES. *Dicimus vulgò, Occaſio facit furem: quidni & tam bella occaſio interfectorem reddat vel eum cui alioqui in dubio antea fuiſſet animus de cæde admittenda, vel non admittenda?* COR. *Ita fidebatur illi (ſicut & antea expoſui) ut mirum non ſit illuc etiam fuiſſe admiſſum. Sed aliter ſe res habet quàm putes. elabi enim ſibi è manibus hanc bellam occaſionem ſiuit.* PHI. *Rem miram narras.* COR. *Quamuis principi valedixiſſet, tanquam ad eum ante ſuum diſceſſum non reuerſurus, redit tamen eo prandente: & exſpectans dum prandium finiat, deambulat in porticu inter duas columnas quæ ſunt è regione illius atrij in quo princeps prandebat. Deambulat autem læua manu librum tenens & lectitans, pallio etiam è dextro humero pendente. Princeps finito prandio egreditur: & quum iam quatuor aut quinque gradus conſcẽdiſſet, eúmque animaduertiſſet, ad eum ſe conuertit, tanquam alloquuturus. At Balthaſar qui bombardam geſtabat ſub pallio, tribus globulis veneno illitis oneratam, eam in illum exonerat: & ſub mamilla ſi-*

 niſtra

niſtra vulnus infligit: ac globorum unus ibi hæſit, alter ipſius atrij oſtium pertranſiit: quò delatus fuerit tertius, ignoratur. Quidam tamẽ monachus globos concatenatos fuiſſe ſcribit, ac poſtquam illi tres ſimul mamillæ ſiniſtræ vulnus latitudinis duorũ digitorũ inflixiſſẽt, unũ in ſpinã dorſi, alterum in in ſcapulam penetraſſe, tertium inter inteſtina hæſiſſe. At tibi cogitandum relinquo quî fieri id potuerit. Cæterùm princeps eodem ferè momento corruit, Deum precans, & ſuã animam ei commendans. Contigit autem iſtud anno 1584. *die decimo Iulij.* PHI. *O cædem ob quam vel unam principes verſus tui intercalaris ſemper meminiſſe oportet,* CAVETE VOBIS PRINCIPES. *Sed nondum deſino mirari, cum non potius eum in lecto non interfeciſſe.* COR. *Dum cuſtodes, qui tum aliquantum remoti erant, ad bombardæ ſonum accurrunt, ac dum ab illis & alijs circa principem in terram proſtratum tumultuatur, & cædis autor quæritur, is per ſtabulum horto vicinum fugiens, iam pœnè ciuitatis mœnia attigerat: ſed à quodam ex prætextatis principis pueris inſequente, manus in eum injicitur, dum ex caſu reſurgit, & poſt breuem colluctationem ſuperuenìẽtibus alijs comprehenditur, atque in carcerem abducitur. Interuenit autẽ ſpatium ſex hebdomadum ab hac cæde uſque ad interfectoris mortem: de quo interim variis tormentis quæſtio eſt habita. Verùm hæc & aliunde intelligere potes (non tamen ſine aliqua mendaciorum adiectione:) at quod nunc referam, in alium fortaſſe qui tibi narret, non incides: quamuis valde ſit memorabile.* PHI. *Me valde attentum hac tua præfatiuncula reddis.* COR. *Is à quo bombardã illam emerat, nunquam (ut antè dictũ eſt) fallentem, quum è principis eſſet ſatellitibus, ubi audiuit, illã fuiſſe inſtrumentum cædis domini ſui, quam ipſe dediſſet, poſt multas lamentationes, pugione priuſquam, accurrere*

quiſquã

quiſquam potuiſſet, bis pectori infixo, exſpirauit. PHI *Hoc nimirum eſt quod innuebas antea, quum diceres de illo ſatellite, exitum eius oſtenſurum, illam bombardam ab eo quidquam mali cogitante non fuiſſe venditam.* COR. *Totam hiſtoriam habes nunc mihi fideliter narratam nuper à quodam nobili Delfenſi, qui omnibus interfuit.*

PHI. *AB HAC cæde ad regis veſtri cædem transfeas velim.* COR Quid? *vis me totum eſſe in cædibus?* PHI. *Abſit ut hoc velim: ac magis etiam abſit ut hoc contingat. Sed intelligo quo tu velis modo ludere.* COR. *Audies cædem quæ & ipſa docet quàm utile ſit illud monitum, & quàm debeant illi aures præbere principes.* PHI. *Nónne loqueris de illo? CAVETE VOBIS PRINCIPES.* COR. *De illo. Sed paucis illam hiſtoriam libet verbis includere.* PHI. *Rem gratam feceris.*

COR. *Monachus quidam ex ordine eorum qui Iacobitæ vocantur (vulgò* Iacopins *pro* Iacobins*) perſuaſus tandem eſt iſtud homicidium ſuſcipere.* PHI. *Etiam monachi ſunt homicidæ?* COR. *Noli interpellare. Monachus quidam hoc facinus ſuſcipere perſuaſus (longum autem eſſet quæ perſuadendi vim habuerunt commemorare) ſimúlque de ijs quæ illi facilem aditum ad regem darent, edoctus, ad eum ſe contulit, cõmorantẽ in pago Pariſiis vicino, qui à ſancto Clouio (ut reor) nomen habet: & ſermone noſtro* ſainct Clou *appellatur. Hic in aulam quum veniſſet, regis procuratorem generalem (cui nomen erat Guelleo) primùm adijt: & ſe habere tum literas ad regẽ dixit, tum etiam quædam illi exponenda quæ literis committere, minimè tutum viſum erat. Cœna excipitur ab illo regis procuratore generali: ſed quũ ſatis longo poſt cœnam tempore ad regem introduci vellet, & valde urgeret (tanquam videlicet maximum in mora periculum eſ-*

 ſet)

ſet) hoc tamen non impetrat: quòd rex iam iam lectum petiturus eſſe diceretur: & in diem ſequentem ut rem dif ferat rogatur. Quod ab illo ægrè obtinetur. PHI. *Nimirũ noctem ſui facinoris adiutricem fore ſperabat.* COR. *Poſtridie igitur manè, ſimulatque rex è lecto ſurrexit, ad illũ admittitur. Præterquã autẽ quod ad regẽ philomonachũ facilè monachi admittebãtur, hoc etiã faciliorẽ aditum præbebat, quòd ſe literas ab Harlæo, curiæ parlamenti præſide primo (qui Pariſiis in carcere detinebatur) afferre, multáque alia ad eũ mãdata habere ſe diceret. Admiſſus literas illi offert quas illius eſſe mentiebatur. ficta enim erant, & manum illius imitantes. Sed addit, ſe habere etiam mandata ad eum magnis de rebus, quæ remotis arbitris velit exponere. Ac quamuis rex duobus qui ipſi adſtabant præſentibus poſſe illa exponi diceret, tamen quòd eum cunctari videret, & ſperaret fore ut liberius loqueretur ſi alium nullum auditorem haberet, illos à ſe dimiſit. Tum ille inter alia dicens regi ſe aliquam præterea chartam habere quam ei vellet exhibere, & ſe eam è manica velle fingens depromere, eius loco gladiũ deprompſit: quẽ in regis (qui ſeminudus erat) ventrẽ impegit.* PHI. *O quis tantum eſſe monachicum artificiũ ad tantum ſcelus perpetrandum crederet.* COR. *Dicendum potius eſt, Quis credidiſſet? iam enim nemo dubitat.* PHI. *Rex nõ ſtatim cecidit?* COR. *Nequaquam: immò eodẽ & illũ gladio percuſſit, & diem unum ſuperuixit: ac per aliquod tempus vulnus non fore lethale credebatur.* PHI. *At illo percuſſore, ſeu ſicario, quid factum eſt?* COR. *Non potuerunt ſe continere & ſatellites & alij qui accurrerunt quin vulneribus illum confoderent: quum potius in carcerem abducere deberent, ut quæſtione de eo habita, ſupplicium ſolenniter ſumeretur. Erat autẽ ei monacho nomẽ Clemẽs.*

PHI. *Au-*

PHI. *Audiui hunc regem aliquot ante obitum annis literatos complexum fuiſſe, ac te tum temporis, inter eos quos complectebatur & liberalitate proſequebatur, non ultimũ fuiſſe.* COR. *Si mandatis eius obſequi miniſtri voluiſſent, præclarè mecum actum fuiſſet: ſed audiuiſti fortaſſe, dum in Gallia noſtra eſſes, quàm res ſit incerta, pendere ab ijs qui theſaurarij vocantur. Neque tamen nulla eum beneficentia ſcripta mea proſequutum eſſe (quum libuit illos alioqui ceſſantes urgere) dixerim.* PHI. *Quid? eum tu laude aliqua per epitaphia carmina proſequutus non es?* COR. *Magis eius mortem deploraui meis epitaphijs, & de illa expoſtulaui, quàm eius laudes ſum perſequutus.* PHI. *Audiam, obſecro, illa.* COR. *Primum hoc fuit.* PHI. *Quum te primum, non prius, dicentem audio, inde colligo te plura quàm duo ſcripſiſſe.* COR. *Scripſi tot ut quis habere delectum poßit. Eum autem tibi permitto. Primum inquam (primum de tempore intellige) hoc fuit ex epitaphijs regis à me ſcriptis,*

HENRICVS iacet hìc intra ſua caſtra peremptus,
Dum parat obſidio cingere Pariſios.
Sed percuſſorem monachalia clauſtra dederũt,
Scilicet inſidias tendere docta magis.
Percuſſorem igitur poſthac cui caſtra negabũt,
In clauſtris illis inueniendus erit.

PHI. *Vocabulum* obſidio *nónne eſt in dandi caſu à recto* Obſidium? COR. *Maximè.* PHI. *Aptè* percuſſoris *appellatione uſus es. In hac autem paronomaſia, ſeu alluſione vocis* clauſtra *ad vocem* caſtra, *recordor Capilupi, qui in vita monachorum feſtiuè à feris ad monachos hæc verba tranſtulit,* Intra clauſtra fremunt. COR. *En tibi ſecundum,*

Perſæpe à ferro, à tetro perſæpe veneno
Qui ſitus eſt hic rex cauerat inſidias.

At monachi inſidias potis haud fuit ille cauere,
Dum putat, à monachis haſce timere, nefas.
Principibus cunctis ab eo documenta dabūtur,
Nulla cucullatis ut ſit habenda fides.

PHI. *Præſertimq; ut nulla fides habenda ſit illius ordinis monachis: videlicet Iacobitis. Nam & qui illum Germaniæ imperatorem ſua ſacra hoſtia venenata ſuſtulit, Iacobita fuiſſe fertur. Sed illi parata fuit venia, ſi Pontificis id iuſſu factum fuit.* COR. *Aliud audi, in quo itidem cucullæ maleſidæ ſit mentio,*

Dum capiti Henricus raſo fiditq; cucullæ,
Indigna & turpi cæde peremptus obit.
Huius ab exemplo regis iam diſcite reges,
Quantum larua ſcelus relligioſa tegat.

PHI. *Quid? an* cucullam *vocas* laruā relligioſam?
COR. *Quidni ita vocem? nónne eſt pulchra periphraſis?*
PHI. *Pulchra certè poëtis, ſed turpis monachis. Verùm, quum cucullati non ſint omnes monachi, an tu incucullatis ſaltem vis principes fidere, & ad horum conſpectum,* Cauete vobis principes, *non acclamari?* COR. *Formidabiliores quidem certè cucullatos incucullatis crediderim: verùm ſi minus hi ſunt formidabiles, haud ideo formidabiles non ſunt. Sic inter ſerpentes ſunt quorum periculoſior ſit morſus: ſed omnium eſſe ſcimus periculoſum, utpote venenatum. Verùm ecce, commodùm in veneni mentione recordor alius cuiuſdam epigrammatis mei in quo mentio fit gladij venenati quo hic monachus uſus eſt.*

Hic monachi gladio cecidit rex atq; veneno,
Quo monachus gladiū tinxerat ille ſuum.
Vna unum ſatis eſt alijs occidere morte:
At monachis cædem ſic geminare placet.

PHI. *Fieri certè poteſt, ſi veneno imbutus fuerit gladius,*
ut

ut quodammodo morte duplici rex hic perierit: & venenum lethalem plagam reddiderit quæ alioqui lethalis futura non erat. Venenatarum autem ſagittarum mentionem fieri ab Horatio videmus. COR. *Virgilius eleganter hoc monachi factum vocat* Armare ferrum veneno. *Apud quem legimus etiam*, -calamos armare veneno.

Iam audi quod mortem hanc longè magis reddet miſerabilem,

Qui ſummo rex eſt monachos complexus a- (mor-,
Dignatus ſummo qui nec honore minus,
Occidit à monacho,lingua qui mella gerebat,
Quũ mala mens tetro pectore clauſa foret.
Si monacho meritũ bene de ſe occidere fas eſt,
Ille malè in meritum quid putet eſſe nefas?

PHI. *Mortem illam regis multo magis miſerabilem hoc reddit, ut & ipſe ais: ſed & factum reddit multo atrocius: quòd quum monachorum rex ille amator & fautor eſſet (ſi unquam quiſquam alius rex fuerat) tamen à monacho interfectus ſit.* COR. *Libuit itaque & alio carmine tetraſticho hac de re queri,*

Cæde huius regis cuiuis documenta dabũtur,
Hoſte ut nil monacho tetrius eſſe putet.
Si monacho cædes patrata eſt regis amici,
O' quid in hoſtẽ gens tam truculenta patret.

COR. *Eſt aliud etiam quod mortem regis iſtius valde reddat miſerabilem. Id autem ex hoc diſces epitaphio,*

Dum fidit monacho rex Gallus, dũ vocat illum
Patrem, (vox monachos hęc reuerẽtis erat)
Illius foditur cultro: nec blanda furentem
Vox potuit monachi flectere barbariem.
Si monachi nato non parcunt ſceptra tenenti,
Cui nato hos patres parcere velle putas?

Rex enim illi ad ſe venienti ſtatim dixit, Et bien mon

pere

pere qu'y-a-il? *Eſt autem titulus qui monacho per reuerentiam datur, etiam ei qui non prouectæ ſit ætatis.* PHI. *Obſeruo, te in hoc epigrammate, ſicut in duobus præcedentibus, argumentari à maiore ad minus.* COR. *Vtinam tam bene poſſim argumẽtari, ut principes diſcãt hinc cautam illam concluſionem,* CAVETE VOBIS PRINCIPES. PHI. *Spero fore ut eam vel nunquam, vel hinc diſcant.*

COR. *Oblitus ſum antea poſt primum recitare tibi unum in quo itidem paronomaſia eſt vocum harum* caſtra *&* clauſtra.

Excitus è clauſtris monachus dũ nuntia regi
Ferre ſuo fingit, vulnerat atque necat.
Caſtra ſcelesta quidem, ſed ſunt mage clauſtra ſcelesta.
Non fuit in caſtris tam ſcelerata manus.

PHI. *Haud minus placet iſtud epigramma quàm superius, in quo itidem eſt hæc alluſio. Immo verò & paulò magis placet.*

COR. *Quoniam à monacho perpetrata fuit hæc cædes, & quidam à ſacra (ut putant) monachorũ natione nihil niſi ſacrum proficiſci arbitrantur, eò etiam libuit alludere: atque huc ſpectant duo quæ proximè ſequuntur epigrammata.*

Henricus iacet hîc, ſacrum cui vulnus adactũ.
Confoſſus monachi nam fuit ille manu.
Sed ſi huius monachi dextram fas dicere ſacrã,
Et latro ſe ſacram iactet habere manum.
Immo ſacrum vulnus nec non ſacra dextra vocetũr,
Auri ut Virgilio ſacra vocata fames.

PHI. *Ne iſta quidem alluſio ad Virgilianam vocem (id eſt ad eum quem ille ei tribuit) mihi diſplicet. Sed ullíne ſunt*

ſunt tam perfrictæ frontis homines ut ſacrã appellare hãc dextram auſint? Multò autem minus eſſe tã impudentes ullos crediderim, ut ſacrum appellare vulnus ea illatum auſint. COR. *Quid non auſint qui in martyrum numerũ referre hunc audent? Atque adeò canonizatum eſſe: (vocem è Græco ſermone ſumptam intelligis, quam veterum Græcorum nullus, ac ne Demoſthenes quidẽ, intelligeret) ſed poſtea quoſdam, qui tamen alioqui talibus canonizationibus faueant, voluiſſe decanonizari.* PHI. *Riſum mihi propemodum inter lacrymas elicis.* COR. *E duobus quorum mentionem modo feci epigrammatis audi & alterum.* PHI. *Recita, obſecro.*

COR. Inſidias hoſtis regem qui fugerat omnes
Occidit monachi ter ſcelerata manus.
Relligio hãc cædẽ monachalis ſed quia ſancit,
Sit monachos inter relligioſa manus.

PHI. *Quid ſi verò quum verbo* ſancit *utaris*, ſanctam *etiam manum dicas?* COR. *Non improbo. ſed videamus quomodo includere meo verſu illam vocem paucis mutatis poſſim.* PHI. *Quod ſi & omnia vocabula mutanda eſſent, quid tum?* COR. *Rectè mones. Cogitet ergo uterq; noſtrûm.* PHI. *Meam cogitationem parum profuturam puto.* COR. *Quid ſi igitur ita quartum illum verſum mutemus?*

Hanc monachos ſanctam credo vocare manũ.

PHI. *Aliquid aliud exſpectabam: ſed tamen ne hoc quidem diſplicet.*

COR. *At nunc audi epigramma ubi non ex ore monachorum ſed meo loquens, ſacrilegam appello manum, & quidem ter ſacrilegam: reddens etiam huius præclari tituli rationem.* PHI. *Iſtud libentius quàm præcedentia audiam.*

Eicta

COR. Ficta ſuo regi monachus dũ nũtia perfert
Scriptáque, ventrẽ illi dextera ſæua fodit.
Sic, monachorum hic rex fautor quum maximus eſſet,
Cędit eum monachus proditor atq; latro.
Si quid habet verè maieſtas regia ſacrum,
Sacrilegam huic monacho quis neget eſſe manum?
Quúmque fidem monachis ſacram omnibus illę dediſſet,
Sacrilegam huic monacho quis neget eſſe manum?
Sacrum & amicitiæ fœdus ſi ritè vocatur,
Sacrilegam huic monacho quis neget eſſe manum?
Sacrilegam ergo manũ ſatis haud eſt nolle negare:
Sed ter ſacrilegam confiteare manum.

PHI. *Rectè argumentari mihi videris.* COR. *Putet quiſpiam forſitan, amicitiæ mentionẽ facere, neceſſe non fuiſſe: quum iam fidei meminiſſem: verùm eum cogitare velim fidem interdum hoſti etiam dari.* PHI. *Ita ſe res habet.*

Sed iámne exhauſtæ ſunt tuæ muſæ opes? COR. *Nequaquam: ſed vereor ne exhauſta ſit aurium tuarum patientia.* PHI. *De malis verſibus tale quid timendum eſſet: ſed in hoc numero non ſunt tui. Non dubito tamen quin à monachis in eo ponãtur, quum te adeò μισομόναχον eſſe videbunt.* COR. *Olim, propter unum atque alterũ monachum nihil minus quàm μοναχίζοντα, propemodum factus eram φιλομόναχος: ſed poſt iſtud monachicum homicidium decreui illis πόλεμον ἀκήρυκτον πολεμεῖν: præſertim quum eos hoc de ſcelere gloriari etiam non pudeat.*

Sed

Sed iam recordor quorundam phaleuciorum hoc ipſo de facinore à me ſcriptorum: recordor & jambicorum. Vtrorumque autem recitatio non iniucunda tibi fortaſſe futura eſt: quòd vel ipſa numerorum varietas aures delectet. PHI. *Nimis aurium mearum faſtidium ſiue tædium times. nam etiamſi in illo ipſo verſuum genere pergeres, nō offenderentur.* COR. *Addam igitur & iſtud epigramma.*

Hoſpes paucula ſed ſtupenda certè
Diſce, principibus tuis referre
Quæ poſsis, ſimul ac eos reuiſes.
Henricum referas periſſe noſtrum,
Latronis monachi manu peremptum,
Dum nullum monachum putat latronem.

PHI. *Quis iſta ſiccis oculis vel audiet, vel leget?* COR. *Deus eſt mihi teſtis quot lacrymis aſperſa fuerit charta quæ prima hos verſus excepit.* PHI. *Non miror, quum amares hunc regē, & vel eius in te merita hoc amore digna eſſent. Audiui enim (ut antè dixi) illum magna & humanitate & liberalitate proſequutum te eſſe. Quòd ſi miniſtrorum eius infidelitate (ne quid peius dicam) fructum ex aliqua tantùm parte liberalitatis eius ſenſiſti, nequaquam hoc illi imputandum eſt.* COR. *Haud certè imputo.* PHI. *Sed perge quæſo.* COR. *Veniā ergo ad epigrammation ſenarijs jambicis ſcriptum.*

Audite reges pauca quæ vobis loquor.
Vos antè puduit hominibus diffidere,
Cuculla quos inſignit & raſum caput:
Inſigne nunc vos moneat id diffidere.

PHI. *Hoc certè eſt dicere,* Cauete vobis reges: *ut in tuo poematio ſæpe iteraſti,* Cauete vobis principes. COR. *Superſunt duo tantùm (ex ijs quidem certè quæ mihi ſuggerit memoria) verſibus hexametris & pentametris ſcripta, ſicut illa ſuperiora. Ac prius, eſt tantùm diſti*

chon: ſed in eo mihi permiſi (& quidem coactus) duobus Græcis vocabulis uti. PHI. *Non dubito quin meis auribus eo futurum ſit gratius. Scio enim te non eum eſſe qui verba Græca Latinis immiſceas, ubi Latina locum habere poſſunt.*

COR. Quot monachorum ædes quondam,
tot ἄσυλα fuerunt:
Συλᾶν ipſi nunc incipiunt monachi.

PHI. *Me ſpes non fefellit mea. Quis autem hunc Græcarum vocum uſum reprehendat, quum ſuam hic paupertatem fateri Latina lingua neceſſe habeat? Adde quòd & Latini vocabulo* aſyla *tãquã Latinitate donato uſi ſunt: oportuit autem, ſicut nomen* aſyla *præceſſerat, ita ſequi & συλᾶν, ut elegantem hanc antitheſin haberemus.*

COR. *Supereſt illud epigramma quo nõ huius tantùm regis ſed ſimul eius quoque qui illi ſucceſſit, & rex Nauarræ tum vocabatur, mentionem facio. Mirabile enim hoc fuit, & memorabile ſemper erit, Galliæ regem ab illo rege auxiliũ petere, eo fere ipſo tẽpore quo eum bello (quod iã diuturnum fuerat) perſequebatur. Hunc auxilio non venire tantùm, ſed aduolare: & tam fidele operam illi præſtare quàm armis præſtari fidelis opera poteſt: tandem verò talia euenire, ut quam illi operã præſtiterat, eam ſe ſibi ipſi præſtitiſſe comperiret.* PHI. *Magno illius audiendi deſiderio teneor.*

COR. Hoſpes, mira ex me binis de regibus audi,
Qualia commemorat pagina nulla tibi.
Henrico Henricus regi ſociauerat arma,
In regno è regno qui velut exſul erat.
Verùm, quem regno tentat ſocialibus armis
Reddere, eum monachus proditione necat.
Sic, modò cui fuerat regni ſpes ſola relicta
(Ius quòd ei hæredis Gallica ſceptra darẽt)

Ipſo ſpem effectu ſubitò commutat, & illam
Fert ſibi ferre alij quam properabat opem.

PHI. *Multa ſimul miranda exhibet iſtud epigramma, & præſertim qui illa quæ mihi expoſuiſti nouerit.* COR. *Haud omnia tibi expoſui: ac ne id quidem quod eſt præcipuum.* PHI. *Quid illud eſt?* COR. *Ei, ſi nō ad auxilium ferendum vocatus fuiſſet, deſperandum fuiſſe (niſi diuina potentia miraculum aliquod edente) non ſolùm de cernēda illa tam magna hæreditate, ſed etiam de pedem inferendo in eam partem Galliæ quæ magis propriè Frãcia nominatur, niſi maximo cum periculo. Quid dico? vix ei uſquam vel angulum tutum ad perfugium ligarij reliquiſſent. indignum enim eſſe diademate clamãt ligarij: quòd religionem quidem profiteatur eccleſiæ catholicæ apoſtolicæ, ſed non eccleſiæ catholicæ apoſtolicæ Romanæ conſentaneam. Atque hinc illum eſſe hæreticum vociferantur.* PHI. *Atqui nónne omnibus Romanizantem religionē permittit, quibus ea placet?* COR. *Maximè. ſed ipſum quoque volunt in religione Romanizare.* PHI. *Ergo volunt ut vel inuitus fiat Romaniſta.* COR. *Petunt ut Romaniſta, Papiſta & monachiſta ſit: qualem reddiderant præcedentem regem. Quãquam ne his quidem accidentibus inſeparabilibus in illo contenti fuerunt, ſed ei aliud accidere inter philoſophica accidentia inauditum voluerunt. Quòd ſi hunc regem, quamuis talis foret, ita odioſum reddere ſuis potuerunt, ut etiam fuerint multi qui in eius cædem conſpirarint, & tandem à monacho perpetrata fuerit: quanto maius odium in hunc concitari putas? In ſuis enim concionibus multo peiorem eius quàm Turcarum religionem boant?* PHI. *Non pudet eos hæc loqui, quum ſciant illum ſymbolum apoſtolicum totum, eodem quo ſe modo, ne vna quidē ſyllaba mutata, ꝓfiteri?* COR. *Cauent diligēter ne populus hoc reſciſcat, eos qui huguenoti vulgo vocantur, in ſua fidei confeſſione ſymbolū apo-*

ſtolicum omnino ſequi: adeò ut magna pars populi credat eos cõtrà illi ſymbolo in ſingulis articulis repugnare. PHI. *Verùm interim audio, hunc regem qui ſe in ſua ipſius religione Chriſtianizare quidem ſed Romanizare nolle dicit (Græcè eleganter miniméque nouè diceretur, χριστιανίζειν μὲν ἐθέλειν, ἀλλ' οὐ ῥωμαΐζειν) in bellicis reb. & Romanizare & Græcizare: id eſt, celeberrimorum imperatorũ tam Romanorum quàm Græcorum fortitudinem æmulari.* COR. *Teſtes ſunt cùm aliæ multæ victoriæ, tum ea quã ante aliquot menſes de numero hoſtium multis partibus maiori reportauit.* PHI. *Nullíſne verſibus celebrata fuit?* COR. *Inquiſiui diligenter Francfordij nundinis ſuperioribus an aliquid de illa ſcriptum eſſet, ſed nihil (quod quidem illuc perlatum eſſet) inuenire potui.* PHI. *Quid? fieríne potuit ut muſa tua ſilentiũ non rumperet?* COR. *Rupit quidem certè, ſed propemodum inuita. Quis enim locus, quod tempus, magis loco & tempore nundinarum, (etiamſi alioqui negotiis nundinalibus occupatus non eſſem) ſcriptioni verſuum repugnat?* PHI. *Audiam obſecro & illos tuos nundinales ea de victoria verſus.*

SCISSA eſt in partes regio dum Gallica binas,
Et mentis ſanæ eſt vna, ſed vna furit:
Obſequium regi (qui ſtirps Borbonia) præſtat
Sana, furens regi pars mouet arma ſuo.
Verùm vbi ſe toties illi ſuccumbere vidit,
Magnáque iam paruis agmina terga dare:
Aduocat & Gallorum hoſtes (quos inter, Iberos)
Ac ferme vires triplicat, antè duplas.
Quo magis hæc auxit vires, victoria maior
Regis: quam miti temperat ingenio.
Palmam inter reges hic omnes dignus apiſci:
Quod miraris in hac, principe cernis in hoc.

Nanque

Nanque vt palma ſolet, mage preſſa, valẽtior eſſe:
(Graiis & Latiis ſi tribuenda fides)
Gallica ſic cui nunc ſunt ſceptra, potentius hoſtis
Quanto agmen, victor hoc magis eſſe ſolet.

Idem verò epigramma & totidem verſibus Gallicis in amicorum gratiam ita reddidi,

CE-PENDANT que la France eſt diuiſee en deux,
Et qu'vn parti eſt ſage, & l'autre eſt furieux:
L'un, vray Francois, au Roy monſtre ſon franc courage,
L'autre ſon Roy guerroye, & luy fait grand outrage.
Quand ceſt enragé voit le Roy auoir ceſt heur,
Qu'auec plus petit nombre il eſt touſiours vainqueur,
D'vne trouppe Eſpagnole & autres ſe renforce,
Et oppoſe à ſon Roy plus qu'vne double force.
Mais plus ſa force eſt grande, & plus eſt ſurmonté,
Sans toutesfois qu'il ſoit cruellement traicté.
Ce Roy prenne le pris, & la palme il obtienne:
A la nature d'elle eſt ſemblable la ſienne.
Comme plus forte elle eſt ſoubs plus de peſanteur,
(Si l'eſcrit des Gregeois & Latins n'eſt menteur)
Ainſi, luy des Bourbons renouuelant la gloire,
Tant plus eſt combatu, mieux obtient la victoire.

COR. *Libétne & aliud audire epigramma, quo illam victoriam alio etiã nomine commendo?* PHI. *Quídni libeat?*

VIncere poſſe hoſtes, haud parua eſt gloria regum:
At ſe poſſe ipſos vincere, maior ea eſt.
Ac meritò cuiuis mage formidabilis hoſti
Quiſquis & hoc peperit rex ſibi grande decus.
Sed qui ſeſe alijs in rebus vincere poſſit,
Iram hoſtem in victum vincere ſæpe nequit,
Humanæq; vices dubias perpendere ſortis:
Victoris victrix eſſe ſed ira ſolet.

Quem ſimul hæc ergo decorat victoria duplex,
  Quantis dignus erit laudibus ille vehi?
Quantis laudibus hic, cuius victoria talis
  In media vt clemens luceat ingenium?
Nempe illum ornabit triplex victoria quondam,
  Quum Borboniacum vicerit ille decus.

COR. *Viſne Gallicam huius quoque interpretationem audire?* PHI. *Libenter & eam audiam.*

C'EST grand honneur aux Rois, vaincre leurs ennemis:
Mais en plus haut degré d'honneur le Roy eſt mis
Qui ſcait vaintre ſoymeſme: & eſt bien urayſemblable
Qu'à tous ſes ennemis il eſt plus redoutable.
Or tel eſt de ſoymeſme ailleurs victorieux,
Qui gangnant la bataille, eſt comme furieux:
Et n'eſt aucunement vainqueur de ſa cholere,
Des changemens humains contemplant la miſere.
Que dire donc faut-il d'un qui enſemblement
L'vn & l'autre faiſant, eſt vainqueur doublement?
De ce Roy tellement emportant la victoire,
Qu'enſemble acquis il a de clemence la gloire?
Ie di que triplement victorieux ſera:
Et que continuant, non ſeulement fera
Le grand los des Bourbons (deſquels il eſt) renaiſtre,
Mais ce los ſurmonté par luy on verra eſtre.

COR. *Quinetiam Græcum quoddã de eadem ſcripſi: verùm neſcio an eius potero recordari. Cogitandum mihi fuerit aliquandiu, & ſolicitanda mea memoria. Iam & id mihi ſuppeditat.*

Νίκας μὲν βασιλεῖς πολλοὶ ἤραντο καὶ ἄλλοι,
  Ἐν δὲ βραχεῖ οὐδεὶς ἤρατο τοσσατίας.
Τῷ καὶ σὺν πᾶσιν ἔχων προτέρων ἐν πλήθει τόσσῳ
  Νικάτωρ μόνος εἷς ἐστὶν ἐπωνυμίην.

Θάρσει

Θάρσει καὶ πινυτῇ παῦροι νεότητος ἐν ἀκμῇ
Τῆς γλυκεροῦ νίκης κῦδος ἐυτίασαν·
Θάρσει καὶ πινυτῇ ὄντος νεότητος ἐν ἀκμῇ
Τῆς γλυκεροῦ νίκης κῦδος ἐυτίασε.
Καὶ μέσαι πολλοῖς νῖκαι ἐγένοντο παραλλάξ,
Εὔνικοι πᾶσχι τῷ δὲ καὶ ἐυτυχέες.
Κρείττονες ἀντιπάλων, σφῶν δ' αὐτῶν ἥττονες ἦσαν
Πολλοί· ὁ δ' ἂν νίκην καὶ καθ' ἑαυτοῦ ἔχει.
Ἄλλοι οὖν ἔσκον βασιλεῖς νικήτορες ἁπλῶς,
Οὗτος νικάτωρ παντοδαπῶς τελέθει.

PHI. *Quemadmodum tam inſignem regis huius victoriam nō Latinis tantùm laudibus es proſequutus, ſed Gracis etiam, atque adeò Gallicis: ita non dubito quin regis alterius morti non Latina tantùm epitaphia, ſed Graca quoque, necnon Gallica dederis. Sed cur duo hac genera potius quàm Latina mihi inuides?* COR. *Quomodo inuidere id dici poßim quod nec exſtat nec unquā exſtitit? nullum enim Gracum regis illius epitaphium ſcripſi.* PHI. *Quid? an ne Gallicum quidē? Quid hoc ſibi vult quòd nihil reſpondes?* COR. *Ideo taceo quòd nec mentiri velim, nec deſiderio tuo ſatisfacere. nam qua Gallicè hac de re ſcripſi, adeò ſunt adhuc ſcabra & impolita, ut pro nō ſcriptis habeam: at tu ea quoque tibi petis recitari.* PHI. *Delicias facis: quaſi verò aut tibi quidquam ſcabrum & impolitum excidat, aut, etiamſi tale quid illis ſubeſſet, ego id forem animaduerſurus.* COR. *Ne me delicias facere, obÿcias iterum, en tibi.*

Paſſant, quand tu ſeras au pays reuenu,
Di vn merueilleux cas en la France aduenu.
Qu' vn moine, ſoubs couleur de bonne conſcience,
De tuer noſtre roy a trouué la ſcience:
Laquelle n' auoyent pu trouuer autres meurdriers,

Qui ſont en ce meſtier deſia des vieux routiers.
Vne autre choſe auſsi merueilleuſe racomte,
Qu'entre les ſaincts martyrs ce meudrier-ci on comte.

PHI. *Video video te delicias voluiſſe facere. nam quid hic tale eſt quale dicebas? tantam certè quantam dicebas ſcabritiem vel ego poſſem animaduertere.* COR. *Quandoquidem ſe tam faciles præbent aures tuæ, audi & alia.*

Paſſant, en ton pays racomte vne nouuelle,
Qu' vne nouuelle eſtrange & horrible on appelle:
Noſtre roy dans ſa chambre a eſte maſſacré
Par vn de ſes ſubiects, eſtant meurdrier ſacré.

Ecce tibi & tertium,

Courrier, quand tu viendras au pays eſtranger,
Di là combien eſt grand des moines le danger.
Par vn moine brigand le roy tué on voit,
Noſtre roy qui nul moine eſtre brigãd penſoit.

PHI. *Non minus quàm cætera hoc placet: immo paulo etiam magis placet. Sed cur taces? tu mihi & aliud videbaru meditari.* COR. *Multorum verſuum eſt quod nũc meditor carmen: quorum omnium vereor ut recordari poſſim. Continet autem huius facti narrationẽ, cum principum admonitione. Recitare conabor: quòd ſi hærendũ alicubi fuerit, nónne hærere mihi per te licebit?* PHI. *Licebit.*

COR. Princes, tant plus eſtans de viure deſireux,
Que plus vous penſez eſtre en ceſte vie heureux:
Qui toutesfois ſcauez que ſouuent on eſpie
Toutes occaſions pour vous oſter la vie:
Pourtant à maintes peurs eſtes aſſubiettis
Auſquelles nullement ſont ſubiects les petis:

Et

Et bien conſiderans les cautelles humaines,
Voyez ſouuent vos peurs n'auoir pas eſté vaines:
Ce roy qu'on a tué ſi malheureuſement,
Eſt ſpectacle piteux, mais aduertiſsement.
Et encor qu'en ayez autres innumerables,
Vous en auez bien-peu qui ſoyent tant remarquables.
Il n'a eſté tué d'vn qui luy fuſt ſuſpect:
Ains d'vn auquel pluſtoſt il portoit du reſpect:
Non reſpect ſeulement, mais portoit reuerẽce:
Et le tenir ſuſpect, euſt penſé grãde offenſe:
Pour eſtre de ceux-la qu'on dit religieux,
Leſquels de tous les rois onq aucun n'aima mieux.
Iamais il n'y eut roy par qui la moinerie
Reſpectee fuſt plus, & par qui plus cherie.
Si les moines ainſi tuent leurs grands amis,
Bon dieu que feront-ils à leurs grãds ennemis!

PHI. *Hic quoq; ſuo functa eſt officio tua memoria, quæ ne hæſitare quidem te ſinit: ſed & tua Gallica muſa optimè ſuo functa eſt munere in hoc carmine, quantum iudicare poſſum.* COR. *Ecce, & aliud quoddam ſponte ſua & à me non rogata ſuggerit.* PHI. *Dum id ſuggerit, depromе.* COR. *Non recuſo.*

Seigneurs, voyans ici noſtre bon roy & maiſtre
Par vn moine meurdrier en vn tel eſtat eſtre,
Quand de vous deſormais vn moine approchera,
Qui noir, ou gris, ou blanc, ou enfumé ſera:
De quelque lieu qu'il ſoit, de quelque lieu qu'il vienne,

De noſtre roy meurdri par vn d'eux vous ſouuienne.
Mais ſouuenez-vous en lors principalement
Quand donné luy aurez du meſcontentement.
Car ſi ces gens ainſi leurs grands amis meurdriſſent,
Que feront-ils à ceux qui du tout les hayſſent?
Aucuns diſent ceci des moines eſtre faux:
Et que des diables ſont en habits monachaux,
Qui ces meurdres-ci font. les autres au cõtraire
Que diables ſõt leſquels par moines les fõt faire
Aucuns diſent, (de tous pour bõs docteurs tenus)
Que de diables ils ſont des moines deuenus.
Autres docteurs auſsi veulent nous faire à croire,
Que moines ſont venans d'enfer ou purgatoire.

PHI. *O quàm pretioſa mihi nunc eſt mea Gallicæ linguæ cognitio: ô quantam ex hoc carmine voluptatem capio. Nunc certè haud meream Perſarum montes aureos ut huius linguæ cognitionem amittã: tantã venerẽ habere mihi videntur hi verſus.* COR. *Nimium illis tribuis: ac præclarè cum illis agetur ſi noſtrorum criticorum auribus male dolati non reperiantur.* PHI. *Dico quod ſentio, & quod pro mea huius linguæ cognitione (quæ eſt ſaltem pluſquã mediocris) ſentire poſſum.*

COR. *Ad noſtrum illud poematium, (id eſt, ad hiſtorias quæ eo attinguntur) redeundum eſt,* PHI. *Veniamus igitur ad illud diſtichon,*

Teſtis & illa potens regina, elapſa periclis
Pleriſque cædis, multa per miracula.

Cupio enim miracula illa audire. COR. *Audies certè miracula, & pluſquam miracula, ſi conſideretur quantis elapſa ſit hæc regina periclis, prouidentia & ope diuina.*

Pri-

Primùm autem Guillelmi Parri horrenda proditio narrãda eſt. PHI. *Memini me audire qui hunc in proditorum numero ponerent: ſed hiſtoriæ non recordor.* COR. *Nũc eam plenè intelliges: fac ut recorderis. Hic Guillelmus Parri Anglus quũ ſolũ mutaſſet (metu ſupplicij ob quoddam ſuum facinus) & Romam veniſſet, à Ieſuitis perſuaſus fuit reginæ ſuæ cædem modis omnibus moliri. Quod quum facturum ſe promiſiſſet, in Angliam reuerſus eſt anno M.D.LXXXIII. habens in animo id quod promiſerat exequi. Primùm igitur quum hoc obtinuiſſet ut ſibi aditus ad reginam pateret, ac die quodam magnam cũ ea colloquendi occaſionem nactus eſſet (quum reginæ tũ vir unicus adſtaret, qui ex eius conſiliariis erat, & aliquantulo etiã interuallo remotus foret) declarat ſibi Romæ cũ Ieſuitis aliiſque pontificis miniſtris conſuetudinem fuiſſe, nec non Pariſiis cum Thoma Morgantio Anglo, qui ipſum valde ad perpetrandam reginæ cædem hortati eſſent. Sibi autem cum illis conſuetudinem ideo eſſe voluiſſe ut hac ratione omnes aduerſus ipſam conſpirationes quæ in regionibus exteris inibantur audiret. Quamuis autem regina in bonam hac partem interpetrata eſſet, eúmque cum bonis verbis dimiſiſſet, eiúſque ad ſe aditum ſibi gratum eſſe oſtendiſſet: ille tamen poſtea quendam Neuillium in ſocietatem huius facinoris allicere conatur. Neuillius nobili cuidam hoc detegit, nobilis ille reginæ. Ducitur Guillelmus Parri ad ſecretarij reginæ ædes, & ab eo examinatur: ac primùm interrogatur annon aliquid de quadam aduerſus ipſam coniuratione audierit. Quum negaret ac pernegaret, tandem alium in locum ducitur: quò vocatus Neuillius veram eſſe ſuam accuſationem contendit. Ille negare, & magnam ſibi ab eo iniuriam fieri dicere. Tandẽ igitur in turrim ductus fuit Guillelmus, Neuillius autem iuſſus omnia perſcribere quæ Guillelmus ipſi de ſua cõſpiratione*

ratione communicaſſet. Quod quum exactè feciſſet, & quoties, ac quibus argumentis utens, ipſum ut ſe ſocium adiungeret, hortatus eſſet, & qua via quibúſque adminiculis ad tanti facinoris exequutionem peruenire poſſent, oſtendiſſet: quum (inquã) hæc omnia ſcripto ſuo Nevillius complexus eſſet, Guillelmus Parri à multis nobilib. examinatus, ſuam coniurationem ſponte confeſſus eſt: ac ſcripto longo expoſuit quomodo & à quibus in Italia primùm, deinde in Gallia (præſertímq; Pariſiis) ad hanc reginæ cædem ſolicitatus eſſet, tanquam coram Deo meritoriam (ut loquuntur) futuram. Scripſit etiam ad reginam, eius clementiæ opem implorans, qua veniam conſequeretur. Sed ego aliquam literarum eius partem proferam ex Gallica Anglici ſermonis interpretatione. Hoc igitur eſt eius initiũ, VOSTRE maieſté peut voir par ma cõfeſsion volontaire les dangereux fruits de mon eſprit mal-contẽt: & de quelle conſtance i'ay pourſuyui l' intention que i'auois premierement conceue à Veniſe, puis cõtinuee à Lyõ, & arreſtee finalement à Paris, de me mettre en hazard pour la reſtitutiõ d' Angleterre à l' obeiſſance ancienne du ſiege Apoſtolique. Ce que vous voyez auſsi approuué & garenti par l' autorité du pape, & de quelques grands theologiens: comme choſe non cõtreuenante à la conſcience, religion, ou police. Combien que nos theologiens Anglois pour la plus part le condamnent du tout: pour n' eſtre ſi bien exercitez es affaires de ſi grãde importance. *Et in fine, poſt unam pagellam,* Deſchargez moy à culpa, & nõ point à pœna, bonne dame. Et ainſi dieu. &c. *Obſeruandum autem ut ubique papæ autoritatẽ alleget: quam illum verè allegaſſe oſtendunt literæ Cardinalis De como. quæ quum initio ab eo flagitarentur, eas ſe com-*

combuſiſſe dixit: verùm poſtridie quum magis urgeretur, declarauit quo in loco eſſent: ubi & inuēta fuerūt. Nōn-ne ſermonem Italicum intelligis? PHI. *Magna ſaltem ex parte.* COR. *Audi igitur illum Cardinalem ſua lingua loquentem, atque ut firmus permaneat in ſuo propoſito de patrando illo ſcelere, non tantùm hortantem idque verbis papæ ſed etiam ſtimulantem.* Mon Signore, la ſantita di noſtro Signore ha vedute le lettere di V.S. date del primo giorno. con la fede inchiuſa: & nō puo ſe non laudare la buona diſpoſitione & riſolutione che ſcriue di tenere verſo il ſeruicio & beneficio publico. Nel che la ſua Santita l'eſorta di perſeuerare, con farne reuſcire l' effeto che V. S. promette. *Quibus addit, Sanctitatem pōtificis, ut magis adiuuetur ab illo bono ſpiritu qui illum ad ſuſcipiendum illud facinus impulit, concedere illi ſuam benedictionem & plenam ignoſcentiam ac remiſſionem omnium peccatorū. Quinetiam velle eandem Sanctitatem, ad illud meritum quod in cœlo conſequetur (id eſt, ad illam meriti mercedē quam in cœlo conſequetur) addere & ſuam gratitudinem quibuſcunque eam poterit modis teſtari. Verùm & hic illum ſuo ſermone utentem volo audias,* Et accioche tāto magiormente V. S. ſia adiutata da quel buon ſpirito che l' ha moſſo, la concede ſua benedittione, & plenaria indulgenza & remiſsione di tutti gli peccati.

COR *Verùm, ut tandem hanc hiſtoriam ad finem perducamus, hæc aduerſus eum lata fuit ſententia, ut à carcere per totam urbem uſque ad ſupplicij locum ſuper cratem traheretur: deinde ibi ſuſpenderetur: ſed funis ſtatim ſecaretur, ut ipſo adhuc viuente verenda eius amputata in ignē unà cū inteſtinis proijcerentur, & ſpectāte ipſo cōburerentur: deinde caput abſcinderetur, & corpus in quatuor*

partes

partes diuideretur.

PHI. *Ad iſtos verſus tranſeamus velim,*

Quá profugá hoſpitijs exceperat illa benignis
Reginam, & ipſam ſenſit infenſiſsimam.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.
Atque virū profuga hæc dira curauerat arte
Necandū: ut orbe fama erat toto volans.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.
Nempe ſinu in proprio ſerpentem ignara fouebat
Multos per annos illa princeps principem.
CAVETE VOBIS PRINCIPES.

COR. *Regina hæc erat Maria Stuarta, de cuius conſpirationibus & de ſupplicio quo affecta fuit verba faciam: ſequendo magna ex parte librum Anglico ſermone editum, qui inſcriptus eſt, Apologia ſententa honorabilis & iuſtiſſimæ executionis Mariæ Stuartæ reginæ nouiſſimæ Scotorum. Sed antequam eò veniam, pauca vel potius non pauca de ea dicam, ex quibus eius ingenium cognoſcatur. Maria Stuarta, miro & mirè tyrannico ingenio mulier, quum poſt mortem Franciſci regis Gallorū hoc nomine ſecūdi in Scotiam reuerſa, Henrico Stuarto nupſiſſet, contigit ut huius connubij ipſam paulo pòſt pœnituerit. Siquidem ut apud reginam in dies creſcebat Dauidis Rizij (de quo poſtea dicetur) autoritas & potentia, ita rex quotidie apud eam magis vileſcebat. Atque ut in cōtrahendis nuptiis præceps fuerat reginæ temeritas, ita repente ſequuta eſt pœnitentia. Quinetiam multa erant quibus ſe voluntatem mutaſſe præ ſe ferebat. quum enim ſtatim poſt nuptias, ſine publico conſenſu publicè præconis voce regem pronuntiaſſet, & poſtea id obſeruatum ad id tempus fuiſſet ut diplomatis regis & reginæ nomen*

expri-

exprimeretur: non modo poſt, utroque nomine ſeruato, mutatus tantùm ordo eſt. PHI. *An ut reginæ nomen prius, regis, poſterius ſcriberetur?* COR. *Ita. Tandem regina ut omni gratificandi poteſtate ſpoliaret maritũ, cauſata eſt, per eius abſentiam, dum venationibus & aucupiis eſſet occupatus, multa aut non ſuo tẽpore fieri, aut omnino prætermitti. Cõmodius itaq; fore ut ipſa pro ambobus ſubſcriberet. hac ratione proſpici poſſe ut & ille ſuis voluptatibus frueretur, & publicas neceſsitates eius abſentia non moraretur. Id quum ille, ut qui nulla in re eã offendere volebat (ac nec audebat, quantũ ex multis aliis eius & factis & dictis conycere eſt) in bonã partẽ accepiſſet. primũ leuibus de cauſis ablegatur: ut procul à negotiorũ publicorũ cõſciẽtia abeſſet, atq; adeo, omni publica cura exutus, ne arbiter quide rerũ ſecretarũ eſſe poſſet. Poſsim verò & rerũ amatoriarũ, ſeu venerearũ, dicere: ad illũ Davidẽ reſpicies.* PHI. *De eò dicturũ te pollicitus es.* COR. *Ad eum venire volebam: ac iam venio. Hic David Rizius, Auguſtæ Taurinorũ & humili loco natus, quum in collegiũ cantorũ reginæ primò adſcriptus eſſet, paulatim ita obſequio graſſatus eſt, ut quũ paulatim maiora tractare cœpiſſet, tandẽ ab epiſtolis aſſumeretur: ita ut hoc prætextu ſecretius & ſeorſum à vulgo agere cum regina poſſet. Iã .n. nõ belli ſermones de Davidis cum ea familiaritate ſpargebãtur. Tãdémque eũ illi eſſe in deliciis, & quidẽ in deliciis venereis (ſi ita loqui licet) compertũ eſt ab ipſo etiã rege. Nã quũ aliquãdo intellexiſſet, Davidẽ cubiculũ reginæ ingreſſum, ipſe ad oſtiolũ, cuius clauẽ ſemp habebat, acceſsit, ac pter morẽ, interius oppeſſulatũ inuenit: & ita quidẽ ut pulſanti nemo reſpõderet. Unde factũ eſt ut iram ſub pectore coquẽs, noctẽ eã prope inſomnẽ egerit. atq; ab illo tẽpore paucis è domeſticis adhibitis (quũ .n. reginã penes tota habena regni eſſet, ille in contemptũ venire cœperat, utpote*

cuius

cuius & amicitia parũ fructuoſa & ira parũ formidabilis eſſe poſſet: unde factum erat ut paucos ſibi fidos haberet) de Dauide tollendo cõſultat. PHI. *Mira fortaſſe quædam erat huius Dauidis pulchritudo, quæ hanc reginã in talem eius amorem illexerat. Talem amorem dico qualẽ ſæpe forma conciliat.* COR. *Immo verò nihil minus quàm pulcher erat: & tamẽ eũ ſic amabat ut ei maximum ſuarũ noctiũ præmiũ perſolueret.* PHI. *Quo erat minus formoſus, vel potius quo erat deformior, hoc magis mirũ erat illã eius amore fuiſſe captã.* COR. *Fateor: & eo magis ꝙ illa ut ſalaciſſima, ita erat formoſiſſima.* PHI. *Sed qd tandẽ illo eius Adonide factũ fuit?* COR. *Multis nõ multo poſt vulneribus cõfoſſus fuit: quũ eũ ea quum ingreſſos coniuratos vidiſſet, vel corporis ſui obiectu protegere eũ voluiſſet. Sed tandẽ illius cædẽ nõ percuſſorũ tantũ ſupplicio, verumetiã ſui mariti cæde ulciſcitur: quũ prius ſuã in eũ maleuolentiã plurimis factis & dictis teſtata eſſet: quinetiã veneno eum aggreſſa eſſet.* PHI. *Qualis verò cædes illa fuit?* COR. *Ipſum alto ſomno ſolutũ inuadũt, & unà cũ famulo ꝗ lecto accubabat ſtrangulãt. Strangulatos per portulã, quam in hũc uſum in urbis muris ædificauerãt, efferunt in hortulũ propinquũ: deinde ignẽ ſulfureũ admouẽtes domũ à fũdamẽtis cõuellunt. Poſtea cuidã Bothuelio nubit, cuius & antea amore capta erat. Cædis tandẽ cõuicta quũ in Angliã ꝓfugiſſet, & ꝑſequẽtib. Scotis comiter excepta fuiſſet à regina (eadem & poſtea comitate uſa:) illa contra per annos ſexdecim, quibus ibi commorata eſt, reginam è medio tollere variis artificiis per ſuæ cõiurationis participes conata eſſet, necnõ regnũ inuadere: ac ſæpe iã horum ſceleſtorũ conatuũ accuſata veniã impetraſſet: aliquando tandẽ Londini ipſamet, capite amputato, è medio ſublata eſt. Sed iam de conſcendendis equis cogitandũ eſt.* PHI. *Ego quoque iam de hoc ipſo cogitabam.*

DE ARISTOTELICAE ETHICES AB HISTORICA ET POETICA ETHICE DIFFERENTIA.

Vbi multorum Ariſtotelis locorum fidelior interpretatio, quorundam & emendatio affertur.

Quibuſdam locis MVSÆ MONITRICIS PRINCIPVM carmina de virtutibus inſeruntur.

AVTORE HENRICO STEPHANO.

HENRICVS STEPHANVS LECTORI S.D.

IN PRINCIPVM gratiam iam-bos de virtutibus quoq; ſcripſeram, & quidem ijs potiſſimũ quæ in prin-cipibus eſſe potiſſimæ exiſtimãtur: (virtutum autem appellatione & illas animi dotes quæ generalibus virtutibus ſubſunt, comprehen-do) at quum eos nunc dare me non poſſe, ſed tantùm aliquod alicubi eorum ſpecimen, vi-derem: libuit aliud principibus donum, tan-quam illius vicarium futurum, offerre. id au-tem erit, DE ARISTOTELICÆ ETHI-CES AB HISTORICA ET POETI-CA ETHICE DIFFERENTIA. Nam Ariſtoteles aliique ethices doctores (neque e-nim hîc ab vnius Ariſtotelis docentis ore pen dere volo) quid ipſa virtutũ natura poſcat, vel potius exigat, tradiderũt: hiſtorici & poe tæ, quatenus natura humana ſit earũ capax, oſtenderunt. Multo tamen magis hiſtorici:

ij quidem certè, qui ſua verba hiſtorica fide alligare voluerunt. Ac vix profectò vel eodē nomine illos dignor, de quibus dictū eſt, omnes omniū virtutes tantas eſſe, quātas videri eas voluerint eorū ingenia qui uniuſcuiuſque facta deſcripſerint. Quinetiam inde eſſe, quòd Alexander Magnus, quum ad Achillis ſepulcrum veniſset, grauiter ingemiſcens, Felicem te, *inquit,* iuuenis, qui talem præconem tuarum virtutum reperiſti: *Homerum intelligi volens, qui Achillē tantum in virtutum ſtudio finxit, quantum ipſe ingenio valebat. Multò, inquam, magis hiſtorici illud oſtenderunt: ſed hiſtorici, quales dixi, non ij in quos talia dicta locū habere poſſunt. Verùm te de his ad proximè ſequentia (id eſt, ad primū huius libri caput) remittam: ſi modò ea digna, in quibus legēdis tempus & operam ponas, exiſtimabis.*

DE

DE ARISTOTELICAE ETHICES AB HISTORICA ET POETICA ETHICE DIFFERENTIA.

CAPVT I.

ARISTOTELEM & cæteros ethices doctores virtutes perfectas & omnibus ſuis numeris abſolutas propoſuiſſe: necnõ poetas interdũ, & illos qui panegyricas orationes ſcripſerũt: at non itẽ hiſtoricos, illos quidẽ certè qui ſua verba fide hiſtorica alligare voluerunt.

INITIVM ab eo ſumam quod in mea in hũc commentariũ pręfatiuncula dixi, Ariſtotelẽ cæteróſq; ethíces doctores, quid ípſa virtutum natura poſcat, vel potius exigat, tradidiſſe: hiſtoricos ac poetas, (multo tamen magis hiſtoricos) quatenus natura humana ſit earum capax, oſtendiſſe. Hîc enim de veris hiſtoricis, & hiſtoricorũ nomine dignis, ago: non de iis in quos cùm

alij, tum Dionyſius Halicarnaſſeus & Herodianus in ſuarum hiſtoriarum proœmiis inuehuntur:non de iis, inquam,in quos iactari illud poteſt, tãtas fuiſſe eorũ virtutes quorum vitas literarum monumentis prodiderunt, quantas videri eorum ingenia voluerunt. De iis deniq; hiſtoricis,qui(vt eleganter loquitur Naſo)*hiſtorica fide verba ſua alligant.* Ideóq; non immeritò dixi, hiſtoricos multo quàm poetas magis, quatenus natura humana ſit virtutum capax, oſtendiſſe. Idem enim qui de hiſtoricis illud eleganter cecinit,contrà poetarum licentiam errare in immenſum fatetur: ac,vel ipſo tacente, notum id eſſe poteſt. Quo magis miror, cùm à quo illa de virtutibus dicta ſunt quæ modò retuli,ſtatim Homerum in exemplum afferre: licet M. Catonem & Criſpum Saluſtium ac Gellium autores,laudet. Hęc enim Flauij Vopiſci verba ſunt,initio vitę Probi,*Certum eſt quod Saluſtius Criſpus, quódque M. Cato & Gellius hiſtorica ſententia modo in literas retulerunt,omnes omnium virtutes tantas eſſe, quantas videri eas voluerunt eorum ingenia qui vniuſcuiuſq; facta deſcripſerunt.* Quibus proximè ſubiungit, *Inde eſſe quòd Alexãder magnus Macedo, quum ad Achillis ſepulcrum veniſſet, grauiter ingemiſcens,*&c. Ex iis tamen quę de Homero ſubiunguntur, ſuſpicari quis poſſit,

ſit, potius de poetis quàm de hiſtoricis id eos intelligi voluiſſe. Niſi fortè Vopiſcus nō ſcripſit, *Inde eſſe*, ſed *Inde eſt*. ſi enim ita ſit, Vopiſco, non illis, adſcribenda hæc fuerint. Sed vtut ſe res habeat, nullum omnino inter illa quæ ab hiſtoricis, & ea quæ à poetis memoriæ produntur, ſtatui hîc diſcrimen videmus: quum tamen id eſſe vel maximum conſtet. Poetæ enim ſuo quodã licẽtiæ poeticę iure ad maximas vſq; hyperbolas exſilire ſibi interdũ permittũt. Quę enim maiores iis eſſe poſsint quib. ex muſca fit elephãtus?

Hanc autem exaggerandi licentiam communem fere cum poetis habent (neſcio vnde datam) orationum panegyricarum ſcriptores. Hinc fit vt quoddam Claudiani dictum ὑπερβολικώτατον, itidem in panegyrica Latini Pacati oratione inueniatur: vt in quodam meorũ Schediaſmatum indicaui. Claudianus enim in carmine primo de laudibus Stiliconis (quód *Panegyris*, nō minus quàm alia huiuſmodi, vocari poteſt: vel *Panegyricus*, id eſt πανηγυρικὸς λόγος) poſtquam dixit,

—partitum ſingula quenque
Nobilitãt: hũc forma decẽs, hunc robur in armis,
Hunc rigor, hunc pietas: illum ſolertia iuris,
Hunc ſoboles, caſtique tori:

ſubiungit per antitheſin hanc miram & valde hyperbolicam laudem,

—ſparguntur in omnes,
In te miſta fluunt: & quæ diuiſa beatos
Efficiunt, collata tenes.

Itidémque Pacatus in oratione panegyrica quã de Theodoſio corã ipſo habuit, *Quum igitur impediat turba delictum, * ad qui tatum præſtet geſta in ſummum referre,* (vel potius, vt ipſe ſcribendum arbitror, *Quum igitur impediat turba delectum tanta, atque præſtet geſta in ſummam referre) quàm enumerando tenuari: dixiſſe ſufficiat, vnum illum diuinitus extitiſſe, in quo virtutes ſimul omnes vigerent, quæ ſingulæ in omnibus prædicãtur.* Tale dictũ & in alia panegyrica oratione legiſſe mihi videor. Multáſq; alias huiuſmodi hyperbolas, aut ſaltem nõ multo hac minores, adulationem ſibi hoc in argumento permiſiſſe videmus. Adeo vt meritò Peſcennius Niger, apud Spartianum, cuidam, qui ipſi facto imperatori panegyricum recitare volebat, hæc diceret, *Scribe laudes Marij, vel Annibalis, vel alicuius ducis optimi vita functi: & dic quid ille fecerit, vt eum nos imitemur. Nam viuentes laudare, irriſio eſt: maximè imperatores, à quibus ſperatur, qui timentur, qui præſtare publicè poſſunt, qui poſſunt necare, qui proſcribere. Se autem, viuum placere velle: mortuum, etiam laudari.* Ac veriſimile eſt multos cæſares, dum illis panegyrici recitarentur, eadem cogitaviſſe.

uiſſe. Cum quibus conſentaneum eſt Iuliani dictum, apud Ammianũ Marcellinũ, *Gaudebam planéque me efferebam, ſi ab his laudarer quos & vituperare poſſe aduerterẽ, ſiquid ſecus factum ſit aut dictum.* Verùm non dubito quin ſcribendum ſit, *Gauderem planéq; me efferrem, ſi ab his laudarer, &c.* Vel certe ita, *Gaudeam planéque me efferam, ſi ab his lauder quos & vituperare poſſe aduertã.* niſi quis malit *aduerterim.* Sed ad illud panegyricum dictũ vt reuertar (etiamſi non eſſet huiuſmodi quod illi Peſcẽnio Nigro placere poſſet) tale quoddam apud non contemnendũ hiſtoricum habemus, Ammianum Marcellinum, miniméq; aſſentationi deditum: de Iuliano ſcribẽtem, quum ſint, vt ſapientes definiunt, virtutes quatuor prçcipuæ, Temperantia, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, eiſque accedentes extrinſecus aliæ, Scientia rei militaris, Autoritas, Felicitas atq; Liberalitas (de quibus extrinſecus, vt ipſe loquitur, accedentibus virtutibus, in alio huius cõmentarij loco diſſeram) eum intento ſtudio coluiſſe omnes vt ſingulas. Ac primum quod affert exemplum ad Temperãtiam pertinet. Tradit enim eum ita inuiolata caſtitate enituiſſe, vt poſt amiſſam coniugem nihil vnquam venereum attingeret. Et quibuſdam interiectis, ſe illa aliò quàm ad Temperan-

tiam, à qua & initiũ ſumpſerat, nolle referri oſtēdit(vt nec poſſunt,)eius nomē, illis prioribus verbis nõ præfixum, hîc ponēs: quum dicit hoc temperātiæ genus ab immani parcimonia ciborum & ſomni fuiſſe adiutum: quibus domi foriſque tenacius vtebatur. Vbi *tenacius* ab eo pro *parcius* dici exiſtimo.

Ad prudentiã veniens, eius itidem exempla proponit, quæ indicia vocat. Sed vereor tamen ne quæ pro illis indiciis poſita legimus, non ab ipſo Ammiano ſed à librariis ibi infarta habeamus: ac ne haud pauca precederent, quæ illi omiſerint. Quũ enim ſcribat, *Dein prudentiæ eius indicia fuere vel plurima: è quibus explicari ſufficiet pauca:* tamē iſta proxime ſequuntur, *Armatæ rei ſciētiſſimus, & togatæ ciuilitati admodum ſtudens. tantũ ſibi arrogans, quantum à contemptu & inſolentia diſtare exiſtimabat. Virtute ſenior quàm ætate: ſtudioſus cognitionum omnium: & indeclinabilis aliquoties iudex, cenſor moribus regendis acerrimus, placidus opum contemptor, mortalia cuncta deſpiciens.* Atqui veriſimile non eſt Ammianum, indicia prudētiæ afferre volentem, ab his initium ſumpſiſſe, *Armatæ rei ſcientiſſimus, & togatæ ciuilitati admodum ſtudens.* Quamuis enim & hæ res prudētiam requirant, (nam quid illã non requirit?) primum quidē, quod ad rem militarē attinet, quam vide-

videtur *armatæ rei* appellatione intelligere (niſi forte *armorum rei*,vel potius vnicam vocem *armaturæ* ſcripſit : ex qua factũ ſit *armatæ rei:* quum & alibi *armaturam* ita dicat) credibile eſt illum prudentię exemplum allaturum fuiſſe in rebus quæ domi gerũtur, priuſquam rerum quæ foris & in bello. Vt omittam, eum qui dicit aliquem rei militaris ſeu rerum bellicarum fuiſſe ſcientiſsimum, non proponere exemplum prudentiæ circa rem militarem,ſiue circa res bellicas. Deinde verò,ad illa verba quod attinet, *togatæ ciuilitati admodum ſtudens*, præterquã quod mirum eſt illũ poſt tria verba de armis dicta, ſtatim ad togam tranſire, & non eſt magnum aut magnæ prudentiæ indicium, aliquem togatæ ciuilitati admodum ſtudere: (aliud enim eſt,alicui rei ſtudere, aliud eam aſſequutum eſſe)poterat certè aliquid magis notabile,in principio præſertim,proponere: nec defuiſſe putandum eſt quod proponeret. Omnino igitur perſuaſum habeo, illa omnia prudentiæ indicia quæ Ammianus protulerat, deſiderari: & quod eum *armaturæ* (nã ſic legere malo quàm *armatæ rei*) ſcientiſsimum fuiſſe dicit, referri ad id quod ꝓpoſuerat de ſcientia rei militaris. Sic tamen vt fatear non ſuo hæc loco poſita eſſe.

Quòd ſi & quæ proximè ſequuntur libet

excu-

excutere: videndum nequæ hîc dicuntur, *tantum ſibi arrogans quantum à contemptu & inſolentia diſtare exiſtimabat:* potius temperantiæ quàm prudentiæ (niſi, quòd reliquæ virtutes prudentiam ſibi,velut ducem, conſtituunt, ideo huic omnia tribuere quis velit) adſcribere debeamus. Temperantiæ eſt enim mediocritatem in rebus omnibus amplecti, ſeu medium (vt vulgus loquitur) tenere. Id autē facit qui hactenus ſibi aliqua in re plus quàm alij arrogat, vt id à duobus quæ ἄκρα vocat Ariſtoteles diſtare poſsit: à *contemptu*, in quo eſt ἔλλειψις: & ab *inſolentia*, in qua eſt ὑπερβολή. Quid? illa, *Et indeclinabilis aliquoties iudex cenſor (* aut potius *iudex, & cenſor:* vel ſaltem poſita poſt *iudex* interpunctione: quæ in nōnullis exempl. non habetur) *moribus regendis acerrimus*, nônne manifeſtè ad iuſtitiā pertinent? Illo certè *indeclinabilis* non dubito quin Græcū ἀκλινὴς exprimere voluerit: quod eodē modo de iudice (quem δικαστὴν ſermo ille appellat) in meo Theſauro dictum reperio. Nam ibi de metaphorico huius vocabuli vſu agens, ſcribo, ἀκλινῆ de rigido etiam homine & qui flecti nequeat, dictum inueniri: & quidē δικαστὴν ἀκλινῆ apud Pollucem, eundem eſſe qui & ἄτρεπτος ſiue ἀπαράτρεπτος vocatur. Verba quoque illa quibus hęc excipiuntur, *Placidus*

dus opum contemptor, mortalia cuncta deſpiciẽs, non ſatis aptè illuc referri videntur: quum opes contemnere, ſit *abſtinentia* (vt vocare ſolet Suetonius) abſtinentia autem ad temperantiam pertineat. Atque illud *placidus* contẽptori opũ, tanquã epithetũ, nõ ſatis aptè dari exiſtimo: cur enim placidum ingenium hęc contemptio requirere dicatur? Videndum igitur ne vox iſta *placidus* ad pręcedentia ſpectet: quũ ille ſcripſiſſet, *moribus regendis acerrimus: alioqui placidus*: vel tale quid. Atque, vt ne de illis quidem verbis taceam, *mortalia cuncta deſpiciens*, nemo (vt opinor) mihi non aſſentietur, elati animi laudem ea eſſe dicenti. Verùm hęc in gratiam eorum qui lectionis hiſtorici huius ſunt ſtudioſi hactenus excuſſa ſint: ex quibus etiam cõiicere poterunt quàm multa hoc ſint in ſcriptore deprauata.

Ad eam verò laudem vt redeam quã paucis illis verbis Iuliano tribuit, *intento ſtudio coluit omnes vt ſingulas*: ſuſpicari quis poſsit eum potius ſcripſiſſe, *intento ſtudio coluit omnes vt ſingulas alij colerent*, aut tale quid: atq; id magis cum illis panegyricis verbis conueniret. Panegyriſten tamen agere voluiſſe Ammianum ne credamus (quamuis ſub eo & vixerit & militauerit) obſtãt quę in ſequẽtibus à me de illo non minus quàm de aliis qui-

quibuſdam hiſtoricis dicetur. Sed eam certè perſonam egit Mamertinus quidã in gratiarũ actione de conſulatu ſuo. Apud quem tamen tales hyperbolæ quales apud alios, non leguntur: ac multa illi cum Ammiano in hac laudatione communia eſſe videmus. Nam parcimoniæ Iuliani mentionem hic quoque facit. *Maximum tibi prebet parcimonia tua, auguſte, vectigal. quidquid enim alij in prodigas cupiditates prodigebant, id omne nunc in vſus publicos reſeruatur. hucvſq; ſolus hic fructus imperij putabatur, vt imp.* &c. Ad quam parcimoniam hęc quoq; pertinent, *Neq; tempus epularum ei qui ſapius ſtatarium prandium ad neceßitatem humani corporis capiat: gaudens caſtrenſi cibo, miniſtro obuio, & poculo fortuito.* Omnino certè hæc cum iſtis Ammiani conueniunt, *Per varios autem procinctus, ſtans interdum, more militiæ, cibum breuem vilémq; ſumere viſebatur.* Has autem voces proximè præcedunt iſtæ, *Nanq; in pace eius menſarum tenuitas erat rectè noſcentibus admiranda, velut ad pallium mox reuerſuri.* Quæ poſtrema verba ad ea quæ de eodem dicit, vbi de ipſo verba facere incipit, ſunt referēda, *Et Iulianũ patruelem fratrem, haud ita dudum ab Achaia contractum accitu, etiam tum palliatũ, in ſocietatem imperij adſciſcere cogitabat.* Quod autem de ſtatario prandio ab vtroq; ſcribitur, idem,

idem & de Alexandro Magno refertur. Verùm ad parcimoniam vt redeam, addit Mamertinus quoddam notabile diſcrimen inter eum & alios qui itidem illi eſſent dediti: eum, quãuis tam ſeuerè parcum ſibimet, in ſuos ciues valde liberalem ac remiſſum fuiſſe: *laborum aſperrima ſibi ſumẽtem, vt ipſi quietis rebus* (niſi potius *quietis in rebus* ſcribendum eſt) *agitent.* Ac experimur certè & ipſi quod vſuuenire tum animaduertebant, vt qui remotam à voluptatibus vitam ſequuntur, difficiles & moroſi ſint, ſibi parum læti, ſed aliis triſtiores, mœſtas atque ſolicitas & priuatas domos faciãt. (id eſt, priuatas quoque domos, mœſtas atque ſolicitas faciant) quod tamen ab illo imperatore minimè fieri ſolitum dicit: ſed contrà illum nihil ſibi veniæ, nihil cæteris moleſtiæ ac laboris impartiri, ſuo negotio omnibus otium præſtare, diuitiarum largitorem eſſe, at curarum auarũ: & qui laborioſiſsima negotiorum præoptet ipſe agere quâm aliis imperare. Cum præcedentibus autem & iſta conueniunt, *Sed imperator noſter addit ad tempus quod otio ſuo detrahit: nihil ſomno, nihil epulis, nihil otio tribuit.* Deinde de illo dicit quod Terentius *ſuũ defraudare genium* vocat. ſubiungit enim, *Ipſe ſe naturalium neceſſariarúmque rerum vſurpatione defraudat.* & adiicit, *totus commodis publicis*

blicis vacat. Atque aliquãto poſt, in quadam ad Nepotianum & Syluanum apoſtrophe, hæc ad eandem laudem pertinentia ſcribit, *At nunc vltro vobis poteſtas regnandi datur, vt ea qua Iulianus conditione regnetis, vt pro omniũ otio die noctúq; vigiletis. &* (quo nihil maius, nihil magis eleganter dici poterat) *quum domini vocemini, libertati ciuium ſeruiatis.* Quinetiam addit, *ſæpius prælium quàm prandium cæpeſſatis.* Illi autem dicto, *pro omnium otio die noctúq; vigilare:* (cui affine eſt, *ſuo negotio omnibus otium præſtare:*) ſimile quoddam Senecæ iam habebamus, *omnium domos ſua vigilia defendere.* Verùm is (quo nullus panegyriſtes elegantiora vnquã loquutus eſt) quamuis cæſarem de quo loquitur, id præſtare dicat, non aliò tamẽ quàm ad illud quod præſtare debet, reſpicit: (ſcilicet enim talia ille cæſar curabat) ſicut & in cæteris quæ ibidẽ exſtãt pulcherrimis dictis. Hæc enim totus ille locus habet, *Cæſari quoque ipſi, cui omnia licent, propter hoc ipſum multa nõ licent. omnium domos illius vigilia defendit, omnium otiũ illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* Atq; his anthitetis aliud non minus elegans adnectit, *Ex quo ſe cæſar orbi terrarum dedicauit, ſibi eripuit: & ſiderum modo, quæ irrequieta ſemper curſus ſuos explicant, nunquam illi licet nec ſubſiſtere, nec quid-*

quidquam ſuum facere Sed in iis quæ proximè præcedunt, quidpiã loquitur quod multo magis panegyricam libertatem, aut etiam licentiam, redolet. Scribit enim, *Cogita cæſarem: vide quantam huius in te indulgentia fidẽ, quantam induſtriam debeas: intelliges non magis tibi incuruari licere quàm illi (ſi quis modò eſt fabulis traditus fauor) cuius humeris mũdus innititur.* Sunt autem hęc ex eo libro deprompta qui inſcriptus eſt Conſolatio ad Polybium. Verùm quum hîc ſcribat, Intelliges non magis tibi quam Atlanti (nam de cœlifero Atlante loqui illum conſtat) incuruari licere: haud dubitaſſet aliquis panegyriſtes, id quod dicitur fieri debere, laudans tanquã id quod fieret, dicere, Non magis ſibi quàm Atlanti incuruari licere exiſtimat. Quum autem iſti panegyricarum orationum ſcriptores multas huiuſmodi hyperbolas, & nominatim hyperbolicas cõparationes, habeant: non immeritò dixi antea, his ſcriptoribus multa cum poetis, quod ad licẽtiam attinet, eſſe communia. Ac in prõptu certè eſt exemplum apud eundem Mamertinum inſigne. quum enim in extrema fere illa oratione hęc ſcribat, *Omne negotium, omne otium meum in ornandis rebus tuis celebrandiſq; ponetur: neque ſolùm à iuuentute mea vigente (niſi fortè ab ætate mea vergente ſcribendum eſt) grati animi*

beneuolentia declarabitur: ſed etiam à me quum anima defecerit, monumenta tui in me beneficij permanebunt. quum (inquam) hæc ſcribat, & tantam talis promiſsi audaciam verè poeticam appellare queamus, ne de hac re dubitare poſsimus, facit Tibullus: apud quem legimus in fine carminis ad Meſſalam,

Quinetiam mea quũ tumulus contexerit oſſa,
Inceptis de te ſubtexam carmina chartis.

Omittere enim libet verſus qui interiecti ſunt, quum phantaſiam (ſi ita loqui licet) habeant magis poeticam, & quidem quæ Pythagorica dici poteſt. Sufficiunt certè hi duo verſus ad indicandum quod volo. Ad ſimile autem Mamertini dictum quod attinet, quamuis nõ ſit itidem de re ad laudem virtutis ſeu virtutum imperatoris pertinente: tamen vel ex iſta hyperbole cõijcere quis poteſt, quantum & in aliis quæ ad eam pertinent, ſibi permittant.

SED, etiamſi crederemus eam perfectæ virtutis laudem quæ ab aliquo hiſtorico, vel potius à quopiam panegyricæ orationis ſcriptore, aut certè ab vno ex poetis, homini alicui data eſſet, tanquam perfectam virtutem adepto, non eſſe hyperbolicam, ſed omnino verã: vt vna hirundo ver non efficit, ita quod de vnico dici homine poſſet (aut etiã quod de pauculis) illis quæ de infinitis obiicerentur,

rentur, reſiſtere minimè poſſet. Si enim Ariſtoteles virtutem perfectam requirit, cætérique itidem philoſophi requirunt: eam in omnibus pariter cōſtat requirere: vt omnes pariter ſummum illud bonum quod à virtute proficiſcitur, conſequantur. Sed contrà tamen huius perfectionis exempla minimè apud hiſtoricos eſſe quærenda, cap. proximè ſequenti oſtendam: ſimúlque Ariſtotelis locos in quibus minimè ipſi cum illis ne hac quidem de re conuenit, proponam.

CAPVT II.

DE VIRTVTE quam Ariſtoteles τελείαν vocat, id eſt perfectam.

De felicitate quæ perfectum bonum, item perfecta ab eodem vocatur.

ARISTOTELES à virtute proficiſci docet id quod bonum vocatur, ſiue ſummum bonum (vt alij τἀγαθὸν interpretantur) id autem eſſe felicitatem. Sed virtutem hanc eſſe vult τελείαν. id eſt perfectam. Hæc enim eius ſunt verba, Ethicorũ magnorum libri primi cap. 4, τῆς γὰρ τελείας ἀρετῆς ἡ ἐνέργεια, εὐδαιμονία. id eſt, *Perfectæ enim virtutis effectus, felicitas*. Paulo autem antè dixerat, ἐπεὶ οὖν ἐστιν ἡ εὐδαιμονία τέλειον ἀγαθὸν καὶ τέ-

λος, οὐδὲ τοῦτο δεῖ λανθάνειν ὅτι καὶ ἐν τελείῳ ἔσται.
Id eſt, *Quum igitur felicitas perfectũ ſit bonum
& finis, nos latere non oportet, hoc quoq; fore, vt
ea ſit in perfecto.* Atq; vt intelligamus quem
hic perfectum vocet, addit, οὐ γὰρ ἔσται ἐν παιδὶ (οὐ
γάρ ἐστι παῖς εὐδαίμων) ἀλλ' ἐν ἀνδρί· οὗτος γὰρ τέ-
λειος. οὐδ' ἐν χρόνῳ γε ἀτελεῖ, ἀλλ' ἐν τελείῳ. τέλειος
δ' ἂν εἴη χρόνος, ὃν ἄνθρωπος βιοῖ. Id eſt, *Non e-
nim futura eſt in puero (nam puer minimè eſt fe-
lix) ſed in viro. quoniam hic eſt perfectus. Ac ne
in tempore quidem quod ſit imperfectum, ſed in
perfecto. Perfectum autem fuerit tempus, vitæ
humanæ ſpatium.* Neque his contentus eſt:
ſed iterum duplicis perfectionis mẽtionem
facit, & eius quæ in tempore, & eius quæ in
ipſo homine requiritur. Hæc enim ſequun-
tur, καὶ γὰρ λέγεται ὀρθῶς παρὰ τοῖς πολλοῖς ὅτι δεῖ τὸν
εὐδαίμονα ἐν τῷ μεγίστῳ χρόνῳ τοῦ βίου κρίνειν· ὡς
δέον τὸ τέλειον εἶναι καὶ ἐν χρόνῳ τελείῳ καὶ ἐν ἀνθρώ-
πῳ. Id eſt, *Rectè nanque vulgò dicitur, indican-
dum eſſe in longiſſimo vitæ tempore quis ſit felix:
tanquam oporteat perfectionẽ & in tẽpore perfe-
cto & in homine eſſe.* Quinetiam videmus
non ſolùm his conſentanea, ſed eadem ferè
in Ethicis Nicomachiis ſcribi, (quum alio-
qui nonnulla ſint quæ hanc inter ſe conue-
nientiam non habent) lib. 1, cap. 7, εἰ δ' οὕτω,
τὸ ἀνθρώπινον ἀγαθὸν ψυχῆς ἐνέργεια γίνεται κατ'
ἀρετήν· εἰ δὲ πλείους αἱ ἀρεταὶ, κατὰ τὴν ἀρίστην καὶ
τελειο-

πλειοτάτην. Id eſt, *Sua autem quidq; virtute bene efficitur. Quòd ſi ita res ſe habet, humanum bonum eſt operatio animi ſecundum virtutem: at ſi plures ſint virtutes, ſecundum eam quæ præſtantiſſima & perfectiſſima eſt.* Verùm omnino perſuaſum habeo, deeſſe illi loco vocabulũ πλείαν, poſt ἀρετήν: & ſcriptum fuiſſe ab Ariſtotele, κατ' ἀρετὴν πλείαν. De quo mendo & in fine huius capitis verba faciam. Cæterùm poſtquam illud dixit, ad alterum perfectionis genus veniens, quod vitæ tribuitur, ἔτι δὲ ἐν βίῳ τελείῳ. μία γὰρ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, οὐδὲ μία ἡμέρα· οὕτω δὲ οὐδὲ μακάριον καὶ εὐδαίμονα μία ἡμέρα, οὐδὲ ὀλίγος χρόνος. Id eſt, *Quinetiam in vita perfecta. Vna enim hirundo ver non facit, neque vnus dies. eodémq; modo non vna dies beatum & felicem nec tempus exiguum efficit.* Atque hunc locum hiſce paucis claudit verbis, περιγεγράφθω μὲν οὖν τὸ ἀγαθὸν ταύτῃ.

Præterea libri eiuſdem capite 9, non procul à fine, poſtquam dixit, meritò neque bouem, neque equum, neque vllum aliud animal dici felix, quòd nullum eorum illam de qua loquutus eſt actionem habere cum homine communem poſsit: eadémq; de cauſa ne puerum quidem eſſe felicem, quum eius ætas non ſit talium actionum capax: & eos qui beati dicãtur, (quod de pueris intelligendum eſt) propter ſpem de ipſis conceptam

hoc titulo donari: hæc inquã, vbi dixit, mentionem perfectionis quæ in virtute requiritur, itidem facit: verùm haud perfectiſsimã dicit, vt in illo capitis ſeptimi loco: verùm perfectã dicere eſt contentus, vt in eo quem primum ex Ethicis magnis protuli. Scribit enim, δεῖ γὰρ, ὥσπερ εἴπομεν, καὶ ἀρετῆς τελείας, καὶ βίου τελείου. Id eſt, *Requiritur enim (quemadmodum diximus) vt tam virtus quàm vita ſit perfecta.* At quidam ex recentioribus interpretibus miro quodam modo verba hæc interpretatur: hoc videlicet, *Vt enim virtus ſit firma & ſtabilis, & aſſuefactione diuturna & ætate opus eſt.* Ac vix credo quis crederet eum illa Græca his Latinis voluiſſe reddere, niſi præcederẽt iſta, *Eandem ob cauſam nec infans beatus eſt, quum propter ætatis imbecillitatem nihil laude dignum efficere poſsit:* ac ſequerentur hęc, *Multæ enim commutationes fortunæ in vita accidũt*, &c. Ab hoc quidẽ interprete nullã perfectionis fieri mentionem videmus: niſi ἀρετὴ τελεία, id eſt, *virtus perfecta*, ſeu *abſoluta*, aut *numeris omnibus abſoluta*, ſignificare etiã poteſt *aſſuefactionem diuturnam:* & βίος τέλειος, id eſt *vita perfecta* (quæ dici etiam poteſt fortaſſe *vita plena, aut integra*) nihil aliud eſſe quàm *vita*, ſine vlla adiunctione. Is certè qui ex me audiẽs Ariſtotelem hîc perfectionis illius vel potius perfectionum illarũ me-

miniſſe,

miniſſe,non ipſummet Ariſtotelē, ſed illum tantùm interpretem conſuleret, illiq; magis quàm mihi fideret, meritò me mendacij argueret. Quid quòd idem & in altero illo capitis ſeptimi loco eueniret? nam ne ibi quidem hic interpres perfectæ virtutis mentionem facit, ſed tantùm perfectæ ætatis: quum Ariſtoteles duarum itidem ibi quoq; meminerit. Hæc eſt enim illorum antea propoſitorum à me Ariſtotelis verborum interpretatio, *Eſt igitur beatitudo actio rationis in homine: neque verò id ſolùm, ſed etiam actio ſecūdum virtutem. hoc eſt, ea quæ recta ratione diſcernente honeſta & turpia gubernatur: & quidē ſecundum omnes virtutes, aut præcipuas & confirmatas: & in vita perfecta*: ſiue, *in vita quæ iam maturuit.* nam & ita poſſe reddi ait. Mira & huius loci interpretatio faciet vt alterā minus miremur: vel potius infinitæ aliorum locorum interpretationes, multo etiam longius ab Ariſtotelis mente euagātes, facient vt harum neutram miremur. Vt tamen hanc amplius conſideremus, vide quàm procul illa ab his abſint, quibus verbum verbo redditur, *Quòd ſi ita ſe res habet, humanū bonum eſt operatio animi ſecundum virtutem: at ſi plures ſint virtutes, ſecundum eam quæ præſtantiſſima & perfectiſſima eſt: quinetiam in vita perfecta.* Meminit ἀρετῆς τελείας, id eſt virtutis perfe-

ſtæ, & Polit. lib. 3, cap. 3, εἴπερ οὖν ἐστι πλείω πολιτείας εἴδη, δῆλον ὡς οὐκ ἐνδέχεται τοῦ σπουδαίου πολίτου μίαν ἀρετὴν εἶναι, τὴν τελείαν. τὸν δ' ἀγαθὸν ἄνδρα φαμὲν εἶναι κατ' ἀρετὴν τελείαν. Id eſt, *Si igitur plura ſint adminiſtrationis ciuitatis genera, patet fieri non poſſe vt boni ciuis vna ſit virtus, illa videlicet perfecta. at bonum virum eſſe dicimus ſecundum virtutem perfectam.* Vbi etiam obſeruandum, non dici ab Ariſtotele, μίαν ἀρετὴν εἶναι τελείαν, ſed μίαν ἀρετὴν εἶναι, τὴν τελείαν. Quod tamen ne Lãbinus quidẽ videtur obſeruaſſe: quippe qui vertit, *Nimirum fieri non poteſt vt boni ciuis virtus ſit vna perfecta.* At ego non dubito quin magna hîc ſit vis articuli (ac mihi aſſenſuros puto quicunque in Græca lingua non parum ſunt exercitati) & quin perinde ſit acſi dictum foret, μίαν ἀρετὴν εἶναι, δηλονότι τὴν τελείαν. vel τὴν τελείαν δηλαδή. (aut potius, ἤγουν τὴν τελείαν. quoniã enim præcedit δῆλον, durum eſſet δηλονότι ſtatim poſt, duriuſculũ & δηλαδή.) Quod nec Lambinus cõſiderans, ita hunc locũ vertit vt negotiũ faceſſere cuilibet poſsit. nã qui audit, *vt boni ciuis virtus ſit vna perfecta*, neſcit an hoc *vna* ad alterã quãdam reſpiciat, quæ non itidẽ perfecta ſit. Verùm & de hoc monẽdus eſt mihi lector, duos eſſe hic locos ſibi vicinos, quorũ vterque mendoſus eſſe videtur, ex omiſsione ſimili. Nam in priori (quẽ iam propoſui) qualem in typographi-

cis editionibus habemus) legendum arbitror, δῆλον ὡς οὐκ ἐνδέχεται τοῦ σπουδαίου πολίτου καὶ τοῦ ἀγαθοῦ ἀνδρὸς μίαν ἀρετὴν εἶναι, τὴν τελείαν. Id eſt, *Patet fieri non poſſe vt boni ciuis & viri boni (vel, viri probi) vna eadémq; ſit virtus, illa videlicet perfecta.* In poſteriori autem, qui minimo interuallo diſtat, οὐκ ἂν εἴη μία ἀρετὴ σπουδαίου πολίτου καὶ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ. id eſt, *nequaquam vna eadémq; fuerit virtus boni ciuis & viri boni.* ſeu *viri probi.* Pro me certè facit quod proximè ſequitur, τὴν μὲν γὰρ τοῦ σπουδαίου πολίτου. Sed & ἐπειδὴ multo aptius ſcribemus quàm ἐπεὶ δε, in iis quæ proximè præcedunt: vt hæc verba, τοῦτο δε ἀπ' ἀρετῆς ſint per parentheſin poſita: & totus deniq; locus ita ſcribatur, εἰ γὰρ ἀδύνατον ἐξ ἁπάντων σπουδαίων ὄντων εἶναι πόλιν, δεῖ δ' ἕκαστον τὸ καθ' αὑτὸν ἔργον εὖ ποιεῖν (τοῦτο δὲ ἀπ' ἀρετῆς) ἐπειδὴ ἀδύνατον ὁμοίους εἶναι πάντας τοὺς πολίτας· οὐκ ἂν εἴη μία ἀρετὴ σπουδαίου πολίτου καὶ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ. Hoc enim vult Ariſtoteles, Sicut viro bono (ſeu probo) virtute opus eſt, ita etiam bono ciui: ſed quum virtutem quidem ciuis boni omnibus ineſſe oporteat, at fieri nõ poſsit vt omnes ciues ſint viri boni: fieri non poteſt vt ſicut omnibus viris bonis illa virtus τελεία, id eſt perfecta, ineſt, (dixit enim, τὸν δ' ἀγαθὸν ἄνδρα φαμὲν εἶναι κατ' ἀρετὴν τελείαν) eadem & omnibus bonis ciuibus inſit. Sic igitur poſsit ille lo-

cus verti, *Si enim fieri nõ poteſt, vt ciuitas nõ ex aliis quàm probis viris conſtet, & tamẽ* (nam hîc ꝯ puto aptè *& tamẽ* reddi) *oportet vnũquemque ciuem ſuo munere probè fungi* (*hoc autem à virtute datur*, vel *proficiſcitur*) *quandoquidem fieri nequit vt ſimiles ſint omnes ciues, nequaquã vna eadémq; boni ciuis & viri probi eſſe virtus poßit.* Q.d. Neceſſe eſt dicamus, illam virtutẽ per quã boni ciues fiunt, & bene ſuo munere fungentes (quod ille vocat τὸ καθ' αὑτὸν ἔργον εὖ ποιεῖν) eſſe aliam ab illa quæ τελεία vocatur. Obſerua autem hoc dictum, δεῖ δ' ἕκαστον τὸ καθ' αὑτὸν ἔργον εὖ ποιεῖν· τοῦτο δὲ ἀπ' ἀρετῆς, planè conuenire cum iſto, quod exſtat Ethic. Nicom. lib. 1, cap. 7, ἕκαστον δὲ εὖ κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν ἀποτελεῖται. Ac vbiq; cõſiderandum, illum eodem modo præpoſitione ſua κατὰ vti, eadem de re loquentem. Ego certè & in illius dicti interpretatione, τὸν δ' ἀγαθὸν ἄνδρα φαμὲν εἶναι κατ' ἀρετὴν τελείαν, verbum verbo reddidi: quum tamen non improbem hanc, *At virum bonum dicimus, virtute perfecta eum metientes.* Niſi quis malit, *At virũ bonum dicimus, quatenus virtute perfectâ prædi*tus eſt. Quod autem ad locũ attinet qui hunc excipit, ὅτι μὲν οὖν ἐνδέχεται πολίτην ὄντα σπουδαῖον μὴ κεκτῆσθαι τὴν ἀρετήν, καθ' ἣν σπουδαῖος ἀνήρ, φανερόν, ſi eum ita reddamus, *Euenire igitur poſſe, vt qui ſit bonus ciuis, eam virtutem non*

ſit

ſit conſequutus ex qua vir bonus appellatur, ex his intelligere licet: aliquis forſitã prima frõte mirabitur (nec immeritò) quî fieri poſſit vt aliquis dicatur eam virtutem conſequutus ex qua vir bonus appelletur. Ideóq́, quum Græcus ſermo non habeat verbum reſpondens iſti Appelletur, ſed ſubaudiendum aliquod relinquat: ego, ad vitandam illam quæ ſe primo aſpectu offert abſurditatem, non ſolùm λέγεται, vel ἐστὶ, ſed etiam τὶς ſubaudire mallim. vt dicamus, *eam virtutem non ſit cõſequutus ex qua quis vir bonus appellatur.* vel, *ex qua quis vir bonus eſt.* Ac vix particulam τὶς hîc omiſſam ab Ariſtotele crediderim.

Sed, dum locos iſtos examino, quorundã aliorum huius ſcriptoris, eodem pertinentiũ, vereor ne obliuiſcar. Quod ne accidat, iam nunc ad eos venio. Legimus igitur & lib. 10. Ethic. Nicom. cap. 8, ζητεῖται δὲ πότερον κυριώτερον τῆς ἀρετῆς, ἡ προαίρεσις, ἢ αἱ πράξεις, ὡς ἐν ἀμφοῖν οὔσης. τὸ δὴ τέλειον δῆλον ὡς ἐν ἀμφοῖν ἂν εἴη. Id eſt, *Quæritur autẽ vtra res virtuti magis ſit propria,* (quidam autem interpr. *vtrum dominetur magis*) *an proæreſis,* (quod quidam *electionem*, ſiue *delectum*, alij *propoſitum*, alij *conſilium* vertunt) *an ipſæ actiones: quippe quæ vtriſq́ inſit. Vnde etiã patet perfectionẽ in vtriſque eſſe ſitam.* Quibus hæc ſubiungit, πρὸς δὲ τὰς πράξεις πολλῶν δεῖται, καὶ ὅσῳ ἂν μείζους ὦσι καὶ

καλ-

καλλίους, πλειόνων Vbi videndum (quod obiter dictum ſit) an accipere debeamus genitiuos πολλῶν & πλειόνων tanquam à nominatiuis πολλὰ & πλείονα: an ſubaudire ἀρετῶν: ſicut præceſsit ἀρετῆς. Quòd ſi ad ἀρετῶν illa reſpicere dicamus, videtur hoc confirmatum iri eo libri primi cap. 7, loco, quem mendoſum mihi videri antea monui. nimirum vbi Ariſtot. ſcribit, εἰ δ᾽ οὕτω, τὸ ἀνθρώπινον ἀγαθὸν ψυχῆς ἐνέργεια γίνεται κατ᾽ ἀρετήν. εἰ δὲ πλείους αἱ ἀρεταὶ, κατὰ τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην. Niſi quis obijciat, Ariſtotelem, ſi illic ſubaudiri ἀρετῶν dicamus, affirmaturum eſſe quod hîc in dubio relinquit. Verùm vt & ipſe illud quod propoſui, in dubio (lectori expendendum) relinquam; interim affirmare propemodum auſim deeſſe hîc τελείαν poſt ἀρετήν. quę vox τελείαν quàm huic loco apta, & propemodum neceſſaria ſit, alij à me citati loci oſtendunt. Verùm & quod proximè ſubiungitur, fidem meæ huic emẽdationi facere videtur: quum dicat, εἰ δὲ πλείους αἱ ἀρεταὶ, κατὰ τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην.

HVIC capiti finem hîc impoſiturus eram: ſed quum ad illum veni locum quem modò attuli, ζητεῖται δὲ πότερον κυριώτερον τῆς ἀρετῆς, ἡ προαίρεσις, ἢ αἱ πράξεις· ὡς ἐν ἀμφοῖν οὔσης: & vidi verba hæc proximè præcedentia (quæ ſunt ſermonis longiuſculi clauſula)

πῶς

πῶς γὰρ δῆλος ἔσται ἢ οὗτος, ἢ τῶν ἄλλων τις, â Lambino non eſſe intellecta, ideóque nec recte verſa: propemodum religioni habui te ea quoque de re nō admonere. Verùm altius repetere neceſſe fuerit, vt ipſe de eoquod dico iudiciū ferre poſsis. Quum igitur ibi ſcripſerit Ariſtoteles, τῷ μὲν γὰρ ἐλευθερίῳ δεήσει χρημάτων, πρὸς τὸ πράττειν τὰ ἐλευθέρια, καὶ τῷ δικαίῳ δὴ εἰς τὰς ἀνταποδόσεις, & his ſubiunxerit (omitto quæ per parentheſin interiecta ſunt) τῷ ἀνδρείῳ δὲ, δυνάμεως, εἴπερ ἐπιτελεῖ τι (niſi potius ſcribendum eſt ἐπιτελέσει τι) τῶν κατ᾽ ἀρετήν· καὶ τῷ σώφρονι, ἐξουσίας. πῶς γὰρ δῆλος ἔσται ἢ οὗτος, ἢ τῶν ἄλλων τις; quum inquam, hęc ſint Ariſtotelis verba, Lambinus ea his Latinis cō mutauit, *Liberali enim pecunia opus erit, ad actiones liberales, & iuſto, ad remunerationes, rerúmque creditarum ſolutiones: viro forti autem, potentia, ſi quidem aliquid ſuæ virtuti conſentaneum effecturus eſt: & temperanti, autoritate & licētia. quî enim ſciri poterit ſit ne talis, an longè alius?* Vbi interpretatio vltimæ periodi, quæ loci huius eſt clauſula, verbis Ariſtotelis ſenſum dat eius à mente omnino alienū. Nam hæc verba, ἢ τῶν ἄλλων τις, quum ad illos omnes referātur de quibus loquutus erat priuſquam temperantis mentionem faceret, videlicet ad liberalem, ad iuſtum, ad fortem; ille ad temperantem tantummodo retulit,

&

& quidem vim etiam verbis afferens. nã pro his, *ſitne talis*, ſcribẽdum fuiſſet εἰ ποῖός, non ἢ ὅπως: deinde hæc verba ἢ τῶν ἄλλων τὶς ſignificare nullo modo poſſunt quod his Latinis dicitur, *an longè alius*. Debebat certè conſiderari quod dixi, & quod veriſsimum eſt, verba illa ἢ τῶν ἄλλων τὶς, ad omnes referri de quibus loquutus erat priuſquam temperantis mentionem faceret. Idem autem de hoc quod de aliis dicens, ſiue, eandem de hoc & de aliis quæſtionẽ proponens, quærit, *Quomodo enim vel hic, vel cæterorum quiſpiam, notus erit?* Perinde acſi diceret, Si enim temperans careat poteſtate, & cæteri ea itidem quæ dixi non habeant, quod ſpecimen ſui, ſiue ſuæ virtutis, vel hic vel cæterorum quiſquam dabit?

Verto autẽ ἐξουσίας *poteſtate* potius quàm *autoritate & licentia*, cum eodem interprete: quoniam ἐξουσίαν dicẽs intelligit poteſtatem & facultatem agendi intemperanter, quam ſuppeditant ea quę in noſtra poteſtate ſunt. Quum enim penes aliquem eſt voluptatibus frui, quòd in promptu ſint, & ijs tamen non fruitur, tum certè meritò temperantis titulus ei datur. Sed vocabulum *licentia* non tam reiicio quàm alterum illud *autoritate*.

Quoniam autem quo attẽtius locũ hunc conſidero, eo plura in eo emendatione vel expli-

explicatione digna inuenio, quæ mihi alioqui memoria exciderent: de ijs quoq; te monere libet. Primùm igitur, pro ἢ γελοῖοι, ſcribendum puto ἢ οὐ γελοῖοι. id eſt, *annon ridiculi?* Deinde κινδυνεύοντας εἰς τὸ καλὸν, vel περί τι καλὸν, pro illis, κινδυνεύοντας ὅτι καλόν. Poſtremò περὶ τί ἂν εἶεν, pro τί ἂν εἶεν. In ijs autem quæ non magno interuallo præcedunt, εἴπερ ἐπιτελέσει τι τῶν κατ᾽ ἀρ. pro εἴπερ ἐπιτελεῖ τὸ τῶν κατ᾽ ἀρ. q. d. ſi quidem ſuæ virtuti, quæ fortitudo dicitur, aliquid conſentaneum facturus eſt. Illa deniq; verba quæ per parentheſin interiecta ſunt, αἱ γὰρ βουλήσεις ἄδηλοι. προσποιοῦνται γὰρ καὶ οἱ μὴ δίκαιοι βούλεσθαι δικαιοπραγεῖν, nemini ſuſpecta eſſe debent, tanquam aliquid in ijs deſideretur. Perinde enim eſt acſi diceret, Nam ſi iuſtus non habeat vnde reddat, vel par pari referat, & dicat voluntatem alioqui eſſe promptam: quis ſcire poterit an vera loquatur, quum voluntates nobis patere non poſsint?

CAPVT

CAPVT III.

DE PERFECTIONE quæ ab Ariſtotele tribuitur peculiariter Iuſtitiæ. Item, De virtute quā præſtantiſsimam appellat.

De beatitudinis perfectione, cuius ab eodem ſæpe fit mentio. Item, De aliјs quibus perfectionē reſpectu eius tribuit.

De quibuſdam vocabulis quæ de beatitudine dici poſſe exiſtimat.

ARISTOTELES tamen non tantum virtuti, quæ genus eſt, illum perfectæ titulum dedit, ſed vni etiam eius ſpeciei: videlicet Iuſtitiæ. Scribit enim libri quinti Ethic. Nicom. capite primo, *αὕτη μὲν οὖν ἡ δικαιοσύνη, ἀρετὴ μέν ἐστι τελεία, ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρὸς ἕτερον. καὶ διὰ τοῦτο πολλάκις κρατίστη τῶν ἀρετῶν εἶναι δοκεῖ ἡ δικαιοσύνη.* Id eſt, *Hæc igitur Iuſtitia, virtus quidem eſt perfecta: non tamen ſimpliciter & abſolutè, ſed ſi ad alterum referatur. Vnde etiam fit vt ſæpe præſtantiſsima virtutum eſſe videatur Iuſtitia.* Et paucis interiectis, *καὶ τελεία μάλιστα ἀρετὴ, ὅτι τῆς τελείας ἀρετῆς χρῆσίς ἐστι. τελεία δ' ἐστὶν, ὅτι ὁ ἔχων αὐτὴν, καὶ πρὸς ἕτερον δύναται τῇ ἀρετῇ χρῆσθαι, ἀλλ' οὐ μόνον καθ' αὑτόν.* Id eſt, *Atque ideo potiſsimum perfecta vir-*

tus

tus eſt, quoniam perfecta virtutis vſus eſt. Eam autem ob cauſam eſt perfecta, quòd qui ea prædi-tus eſt, etiam erga alium, non ſecum ſolùm, virtutem colere poteſt. Cæterùm animaduertendum eſt; quum ſcripſerit Ariſtoteles, καὶ τελεία μάλιστα ἀρετή, ὅτι, &c. Lambinum quoq; iunxiſſe μάλιστα cum τελεία, perinde acſi dictum eſſet pro τελειοτάτη: at ego arbitror eum potius habere vſum illud aduerbium quem ei in mea interpretatione dedi. nam cur τελειοτάτην hîc diceret quam duobus aliis locis τελείαν tãtùm vocat? At de proxime ſequentibus verbis quid dicendum eſt? ego deprauatum eſſe locum perſuaſum habeo. Ac venit quidem mihi in mentem iſta emendatio, ὅτι αὐτῆς μᾶλλον vel μείζων ἢ ἄλλης τελείας ἀρετῆς χρῆσίς ἐστι: ſed poſt iſta verba nihil opus eſſet illis, τελεία δ' ἐστίν: quin potius ſatis fuiſſet ſequi, ὁ γὰρ ἔχων αὐτὴν, &c. Verùm aliud maius & occultius vulnus huic illatũ eſſe loco reor.

Quandam autem virtutem κρατίστην appellat initio capitis ſeptimi, libri decimi, Εἰ δ' ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία, κατ' ἀρετὴν ἐνέργεια, εὔλογον κατὰ τὴν κρατίστην. αὕτη δ' ἂν εἴη τοῦ ἀρίστου· εἴτε δὴ νοῦς τοῦτο, εἴτε ἄλλό τι, Id eſt, *Quòd ſi felicitas actio eſt ad virtutis præſcriptum, rationi conſentaneum eſt vt ſit ad eius quæ eſt præſtantiſſimã, Atq; hæc fuerit eius quod* in homine *eſt optimũ: ſiue hoc mẽs* ſit, *ſiue aliud quidpiam.* Aliquã-

to poſt autē ita loquitur de ſapientia quaſi ea ſit quam illo pulchro titulo ornat. Sed hac de re plura in cap. ſequenti.

AT non prætereūdum, perfectam etiam felicitatis ſeu beatitudinis mentionem fieri itidem pleriſque locis ab Ariſtotele. Inter quos eſt ille in Ethic. Nicom. cap. 7, lib. 10, ἡ τούτου (videlicet τοῦ νοῦ) ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν εἴη ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία. & pag. ſeq. ἡ τελεία δὴ εὐδαιμονία, &c. ac pauciſsimis interiectis addit, οὐδὲν γὰρ ἀτελές ἐστι τῶν τῆς εὐδαιμονίας. id eſt, *Nihil enim eorum quæ ſunt beatitudinis, imperfectum eſt.* Et lib. 1. cap. 12, dicit illā eſſe τῶν τιμίων καὶ τελείων. id eſt, eſſe ex iis quæ ſunt τίμια & τέλεια, id eſt *pretioſa* (ſeu *honorabilia*, vel *honore digna*) & *perfecta*. Obſeruādum eſt autem eum hîc τίμια dicere: quum alioqui in huius capitis principio in quæſtionem vocaſſet, vtrum inter τὰ ἐπαινετὰ, an potius inter τὰ τίμια ponenda ſit. Cæterùm & hoc animaduertendum, eum alicubi in eius mentione non ipſi perfectionis titulum, dare, ſed virtuti, dicentem eius ἐνέργειαν eſſe κατ᾽ ἀρετὴν τελείαν. vt lib. 1, cap. 13, in primo ingreſſu, vbi eius definitio ponitur, ἐπεὶ δ᾽ ἐστὶν εὐδαιμονία, ψυχῆς ἐνέργειά τις κατ᾽ ἀρετὴν τελείαν. Id eſt, *Quum autē beatitudo ſit actio quadam animi ſecundum virtutem perfectam.* vel, *ex virtute perfecta.* & q. d. *ex virtutis perfectæ*

præ-

præſcripto. Quidam verò interpr. *virtuti perfectæ congruens*. Quòd ſi alicubi hoc τελείαν adiici non videmus, non dubito quin id librarij omiſerint. Nec tamen dici de illo iſtud poteſt loco quem habemus in primo ingreſſu capitis 7, libri 10, εἰ δ' ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία, κατ' ἀρετὴν ἐνέργεια. nam ſequitur illius tituli loco, alius, εὔλογον κατὰ τὴν κρατίστην. Fuerit verò excipiendus & hic lib. 10, cap. 7, ἡ τούτου ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν εἴη ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία. nam quum περὶ τοῦ νοῦ loqueretur, contentus fuit κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν dicere: non autem dixit, κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν, ἥπερ ἐστὶ τελεία: quum lectorem ſatis id, vel ſe tacēte, intellecturum putaret. Quod dicendum puto & de loco illo lib. 1, cap. 13, qui habet quam attuli beatitudinis definitionem. nam legimus paulo poſt, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν δὴ, ψυχῆς ἐνέργειαν λέγομεν. quia & hîc noluiſſe eum puto quæ valde paruo interuallo præcedebāt repetere, quòd lectorem (vel nō admonitum) cætera inde petiturū exiſtimaret. Verùm, vt ad exceptionē illam reuertar, & alios certè ſimiles iis quos protuli locos excipiēdos eſſe arbitror. Neq; tamen ignoro multos occurrere qui in hāc exceptionem non cadāt, in quib. omiſſa ſit illa vox. Ex iis eſt hic quoque lib. 10, cap. 6, δοκεῖ δ' ὁ εὐδαίμων βίος (vbi obſerua dici non ἡ εὐδαιμονία, ſed ὁ εὐδαίμων

βίος) κατ᾽ ἀρετὴν εἶναι. Et in fine illius capitis, οὐ γὰρ ἐν ταῖς τοιαύταις διαγωγαῖς ἡ εὐδαιμονία, ἀλλ᾽ ἐν ταῖς κατ᾽ ἀρετὴν ἐνεργείαις. Quinetiam non procul à principio capitis ſequentis, ἡδίστη δὲ τῶν κατ᾽ ἀρετὴν ἐνεργειῶν ἡ κατὰ τὴν σοφίαν ὁμολογουμένως ἐστί. nam & hîc de beatitudine loquitur. Niſi fortè dicat aliquis Ariſtotelem, eam vocem in huiuſmodi locis ſubaudiendam reliquiſſe, contentũ eam nonnullis adhibere: ſicut ſæpe τὸν λόγον dicens, vult τὸν ὀρθὸν λόγον intelligi: vt antea monui. Cæterùm ne hoc quidem ſilentio prætereundum in hoc de perfectione ſermone, eum & ἐνέργειαν τελείαν (ſiue τέλειον, vt noſtrę editiones habẽt) ſtatuere. Nã lib. 7, cap. 13, vbi ſcribit, οὐδεμία γὰρ ἐνέργεια τέλειος, ἐμποδιζομένη· ἡ δ᾽ εὐδαιμονία, τῶν τελείων, oſtẽdit eſſe alioqui hîc ἐνεργείας τελείας.

Iam verò, quod ad perfectionem attinet, legimus item lib. 1, cap 7, de illa, τὸ γὰρ τέλειον ἀγαθὸν αὔταρκες εἶναι δοκεῖ. Quod licet de ea dici negaturus eſſe nemo videatur, tamen neganti opponi cùm alij poſſent loci, tum verò lib. 10, cap. 6, οὐδενὸς γὰρ ἐνδεὴς ἡ εὐδαιμονία, ἀλλ᾽ αὐτάρκης. Ac illud τέλειον ἀγαθὸν in memoriam mihi reuocat quendam libri primi, cap. octaui locum, vbi τὰ ἐν τῷ βίῳ καλὰ κἀγαθὰ de beatitudine ſeu felicitate dicere videtur. οὕτω (inquit) καὶ τῶν ἐν τῷ βίῳ καλῶν κἀγαθῶν οἱ πράττοντες ὀρθῶς, ἐπήβολοι γίγνονται. Ac

quæ

quæ hîc dicit, οἱ πράττοντες ὀρθῶς, conueniunt cũ illis pręcedẽtibus, καὶ τὸ εὖ πράττειν τὸν εὐδαίμονα: ſimúlq; oſtendunt non debere εὖ πράττειν accipi in vſitatiſsima ſignificatione, (in qua tamen accipi lib. 1, cap. 4, dicendum videtur: quum ſcribat εὖ πράττειν accipi pro εὐδαιμονεῖν, idémque illic de his vocibus εὖ ζῆν, quod de illis εὖ πράττειν legatur) ſicut nec vocabulũ εὐπραξίαν. Alioqui certè qd aliud in vulgo vſitata ſignificatione eſt εὐπραξία quàm εὐδαιμονία, ſeu εὐτυχία, & εὖ πράττειν quã εὐδαιμονεῖν, aut εὐτυχεῖν: ſiue εὐδαίμονα vel εὐτυχῆ eſſe? Sed parũ placet Lambini interpretatio, quæ εὖ πράττειν eſſe vult *rem bene gerere:* quũ *rem bene gerere*; & *res bene gerere*, vel de proſperitate bellica, vel de beatitudine ſiue felicitate dicatur. quod eſſet idẽ, bis dicere: quum Horatius Græcum loquendi genus exprimere volens, *rem bene gerere* dicat εὖ πράττειν. Idêmq; iudicandum & de his *res bene geſta*, pro εὐπραξία. At ſi contentus fuiſſet *bonam actionem* dicere (quod ſubiungit) vel *bonas actiones*, tum mihi ſatisfeciſſet. Ad εὐζωΐα autem quod attinet (quam vocem veriſimile eſt Ariſtotelem, ſequendo analogiã, finxiſſe, ſicut & illi εὐπραξία alium quâm vulgo receptum vſum dediſſe) non video cur *vita bene acta* debuerit reddi potius quàm *vita qua bene agitur*. Quanquam & vita quæ

bene agitur, poſsit fortaſsis ab aliquo intelligi quæ proſperè & beatè agitur. ac tũc idẽ fuerit quod εὐδαιμονία (nam hęc interdũ redditur *vita beata*) ideóq; videndum an fingi aliquod poſsit Latinum vocabulum, quod ſi durum, ſaltem ambiguum non ſit: & an id eſſe queat *beneuiuentia:* licet fatear maiorem huius in Latina lingua videri poſſe nouitatẽ quàm illius εὐζωία in Græca. Ac quandoquidem in mentionem harum vocum incidi quæ de beatitudine dicuntur, ne illã quidem tacebo quam Ariſtoteles nõ itidem dicendam de illa cenſet. Hæc eſt εὐτυχία, negat enim εὐτυχίαν eandẽ eſſe cum ea quæ εὐδαιμονία vocatur. Sed Ariſtoteles (quod eius pace dictum ſit) ſi conſideraſſet vocabuli εὐδαιμονία etymon, idem ambo hæc ſonare, fateri coactus fuiſſet. Sed hac de re plura in meis Schediaſmatis: vbi etiam oſtendo Ariſtotelẽ nomini quoq; δίκαιον & cuidã aliĳ etymon dediſſe cui natura huius linguæ repugnat.

Verùm vt ad illã perfectionis laudẽ quã beatitudini tribui oſtendi, tandem reuertar, poſsint & aliĳ loci addi iis quos propoſui: quorum hic fuerit lib. 1, cap. 7, Ethic. Nicom. vbi ſimul & τέλειον quiddam & αὔταρκες (quẽ titulũ & alio ex loco ſuprà attuli) eſſe illam ſcribit, τέλειον δή τι φαίνεται καὶ αὔταρκες ἡ εὐδαιμονία, τῶν πρακτῶν οὖσα τέλος. Sed veniendum eſt ad libri primi caput ſeptimum, vbi docet

quomodo laudem illam mereatur. *Quoniam* (inquit) *plures eſſe videntur fines, ac eorum aliquos propter alios amplectimur* (licet alij αἱρούμεθα *expetimus* reddant) *vt diuitias, tibias, & omne inſtrumentorum genus: perſpicuum eſt perfectos non eſſe omnes. Qui autem præſtantiſſimus eſt, is perfectus quidã eſſe videtur. Si quis ergo* finis *eſt qui ſolus ſit perfectus, ille fuerit is quẽ quærimus: ſin plures, eorũ perfectiſſimus. Iam verò id quod ꝓpter ſeipſum eſt perſequendũ, perfectius eſſe dicimus eo quod propter aliud perſequi oportet: & quod nunquã amplectendũ eſt propter aliud,* perfectius eſſe *iis quæ & ꝓpter ſeipſa & propter hũc* finẽ *amplecti oportet. Ac, vt ſemel dicã, perfectũ eſt id quod propter ſe ſemper eſt amplectendum, & nunquam propter aliud. Tale autẽ quiddam eſſe potiſſimum videtur beatitudo. hanc enim ſemper amplectimur propter ſeipſam, ac nũquam propter aliud.* Sed in tribus aliis quæ recenſet, & in omni virtute, rem ſecus ſe habere oſtẽdit. Trium autẽ illorũ tertium eſt νοῦς: quod fortaſſe pro prudentia ponitur. Ita enim ille, *At honorem & voluptatem & mentem & omnem virtutem cũ propter ſe amplectimur (nam etiamſi nihil nobis* ex illis *contingeret, illorum vnumquodq́; amplecteremur) tum verò beatitudinis cauſa, quòd exiſtimemus nos horum ope beatè eſſe victuros.* Sed νοῦν reddo vocabulo quod illi apud Latinos reſpondet: quum

aliõqui prudentiã ſignificare ſuſpicer. Lambinus *mentem ſanam ac vegetam* eſt interpretatus. Eum autẽ & in aliorũ quorundã quæ in toto iſto leguntur loco interpretatione, haud abſq; ratione ſequutus non ſum. Vertit enim, *perſpicuum eſt non omnes eſſe perfectos. quod autem optimũ eſt, id perfectum quiddam videtur.* Atqui quum Ariſtoteles περὶ τῶν τελῶν, id eſt de finibus, vtrobique loquatur, (quod clarius eſt quã vt probatione egeat) non dubiũ eſt quin ibidem ſequi debuerit, *qui autẽ optimus eſt.* vel *præſtantiſſimus*, vt vertere malui. At verò quę proximè ſequuntur, τέλειόν τι φαίνεται, poſsint etiam reddi, *is perfectum quiddã eſſe videtur.* id eſt, perfecta quædam res. Sic etiã τοῦτ' ἂν εἴη τὸ ζητούμενον ſiquis vertat (vt quibuſdam placuit) *is fuerit id quod quærimus:* intelligemus, is fuerit ea res quam quærimus. Sed ad τέλος, id eſt finem, referre vtrunq; vtrobiq; malui. Præterea, quum Ariſtoteles ſcribat, καὶ τὸ μηδέποτε δι' ἄλλο αἱρετὸν, τῶν καὶ καθ' αὑτὰ καὶ διὰ τοῦθ' αἱρετῶν, nõ potuit Lambinus ita reddere, *& quod nunquã propter aliud optabile eſt, iis quæ & propter ſe & propter aliud eliguntur, magis optabile eſt:* nam oporteret Ariſtotelẽ ſcripſiſſe καὶ δι' ἄλλο αἱρετῶν: quum habeamus καὶ διὰ τοῦθ' αἱρετῶν. videlicet διὰ τοῦτο τὸ τέλος: id eſt, propter hunc finem.

CAPVT

CAPVT IIII.

Perfectionis titulum iuſtitiæ fuiſſe datum: ſed alij alios virtuti eundem dandum cenſuiße. De virtute quam Ariſtot. præſtantißimã & perfectißimam vocat. Perfectam vitæ longitudinem male quoſdã apud eundem expoſuiſſe. De perfecta beatitudine in cõtemplatione poſita. De alia item beatitudine.

PERFECTIONEM habere etiam cenſetur vna virtus præ aliis. ea autem eſt Iuſtitia, in iis quæ cap. præcedente dicta ſunt. Ideóq; quum Ariſtoteles aliquot locis (qui allati fuerunt) virtutis perfectæ mentionem faciat, non addens quæ'nam illa ſit: plerique illos de iuſtitia intelligendos cenſuerũt, ſed quidã tamen de alia. Sunt enim qui Prudentiam eam eſſe volunt: & quidẽ eo etiam in loco (lib. 10, cap. 7, qui citatus fuit pag. 372.) vbi ſcribit, *ſua quidq; virtute rectè effici: ideóq; humanum bonum eſſe animi actionem, ex virtutis præſcripto* (nam & ita exiſtimo poſſe reddi κατ' ἀρετήν. & poſt ἀρετήν videri deeſſe τελείαν, id eſt *perfectam*, antea indicaui) *quòd ſi fuerint plures, ex præſcripto eius virtutis quæ ſit præſtãtißima & perfectißima.* Quidam Sa-

pientiæ potius titulum hunc ab Ariſtotele dari voluerunt. Eóſque fortaſſe mouit locus ille capitis ſeptimi, libri decimi, vbi poſtquã dixit, ἡ τούτου (videlicet τοῦ νοῦ) ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν εἴη ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία, paucis interiectis, addit, ἡδίστη δὲ τῶν κατ᾽ ἀρετὴν ἐνεργειῶν ἡ κατὰ τὴν σοφίαν ὁμολογουμένως ἐστί. Idem Ethic. Eudem. lib. 5, cap. 12, dicit à Sapientia effici beatitudinem. Quo in loco errorẽ eſſe dico, cuius animaduertiſſe emendationem quoq; crediderim. Nam quum in omnibus (quod quidẽ ſciam) editionibus, legamus, ἔπειτα καὶ ποιοῦσι μὲν, οὐχ ὡς ἰατρικὴ δὲ ὑγίειαν, ἀλλ᾽ ὡς ἡ ὑγίεια, οὕτως ἡ σοφία εὐδαιμονίαν: perſuaſum habeo deeſſe vocẽ εὐεξίαν poſt ὑγίεια; & ſcripſiſſe Ariſtotelem, ἀλλ᾽ ὡς ἡ ὑγίεια εὐεξίαν, οὕτως ἡ σοφία εὐδαιμονίαν. Ac mihi videor quendam apud hunc ſcriptorem locũ legiſſe qui fidem meæ emendationi facere queat, ſi forte eam à lectoribus non impetret. Hoc quidem certè nemo negauerit, quin poſt ὑγίεια deſit accuſatiuus quiſpiam. Sed vt ad virtutem redeam quam Ariſtot. præſtantiſſimam & perfectiſſimam nominat: qui Iuſtitiam ibi intelligi putant, hoc afferunt, illam eſſe virtutum moralium principem, ac intra ſuos fines virtutes cæteras cõtinere: & propterea virtutem vniuerſam virtutémq; perfectã ab ipſo Ariſtotele libro quinto Ethic. Nicom.

Nicom. dici. cæteras enim, quum ad eam ſe habeant tanquã partes, eſſe quodammodo imperfectas. Vbi quum Iuſtitiam ab illo vniuerſam vocari dicunt, fallũtur: & quidam quem ille affert verſus, illis anſam erroris præbet: hic videlicet, quem in prouerbium abiiſſe ait,

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.

id eſt,

Vna in iuſtitia virtus comprenditur omnis.

Cæterùm ſunt quæ illis opponantur qui Iuſtitiam ab Ariſtotele intelligi eo loco volũt, vbi de præſtãtiſsima & perfectiſsima virtute loquitur. Nec verò dubito quin ipſe, ſi de iuſtitia id dixiſſet, additurùs fuerit, Ea autẽ eſt iuſtitia: vt antea dictum à nobis fuit. Videndum ergo (cæteras enim opiniones prętermitto) annon potius id non ad vnam virtutem debeat reſtringi, ſed intelligi quælibet quæ ſuo in generę præſtantiſsima & abſolutiſsima ſit.

Quòd ſi liberet varias illorum quoq; Ariſtotelis verborũ expoſitiones afferre quibus ad perfectionẽ felicitatis, etiã longitudinẽ perfectã vitæ requiri ait, quædã ſunt profectò quę riſum lectori mouerent. Sed antequã vllam afferam, ipſum Ariſtot. locũ rurſum proponam (nam & ſuprà propoſitus is fuit) ex lib. 10, Ethic. Nic. cap. 7, ἡ τελεία δὴ εὐ-

δαιμονία αὔτη ἂν εἴη ἀνθρώπου, λαβοῦσα μῆκος βίου τέλειον. Id eſt, *Perfecta ſanè fuerit hæc beatitudo hominis, ſi perfectam vitæ longitudinem ſit conſequuta.* His verbis quid apertius? & tamen mirũ eſt quàm varient de illis ſententiæ, tanquam obſcuriſsimis. Ad quàm abſurdas autem ventum ſit, vel ex eo coniicere lector poteſt, quòd epiſcopus quidam auſus ſit, (reiectis aliorũ, omniũ expoſitionib.) dicere per vitam perfectã duo ſignificari. nã per *vitam* quidem denotari tempus lõgum, quatenus vita longo tempore menſuratur: at per illud quod additur, *perfectã*, ſignificari abundantem omnibus bonis, cùm naturæ, tum fortunæ. Sine his enim non poſſe hominem eſſe felicem. Quòd ſi riſerit lector, & quidem affatim riſerit, hæc legens, minimè mirabor: quum & mihi ea ſcribenti id contigerit. Sed quum te hoc eſſe riſu contentum velim (qui eo maior eſt, quòd bonorum quidem naturæ & bonorum fortunæ recordatus eſt ille epiſcopus, at bonorum virtutis eſt oblitus) aliarũ nullam adiiciam: præſertim quum Mor. Magn. lib. 1. cap. 4, locum habeamus, qui, ſi quid in Ariſtotelis dicto eſſet dubitationis, eam tolleret: ſed tantùm tè commonefaciã vt eo in loco hęc verba, [ὀυχρόνον] *ἀνθρώπος βιοῖ*, nõ interpreteris, vt quidã, *quamdiu homo viuere potuerit* (nã & qui per totam vitam

vitam beatus fuiſſet, etiamſi ea poſt exactũ pueritiæ tempus breuiſſima fuiſſet, tamen perfectum tempus adepta diceretur) ſed *humanæ vitæ ſpatium.* Sed nõ tacebo eſſe qui hîc obijciant, ſi hoc de tota vita intelligatur eo quo dictum eſt modo, quàm pauci futuri ſint quibus beatitudo poſsit dici contingere, quũ res omnes humanæ tot ſint calamitatibus obnoxiæ: ideóq; ſatis eſſe putẽt vt tamdiu ſic viuatur quoad virtutum actiones præſtãtiſsimæ ſeſe prodere poſsint. Aut etiam ſatis eſſe ſi vel in extrema ætate obtineatur felicitas. Verùm haud puto Ariſtotelem, ſi ita ſenſiſſet, ita loquuturum fuiſſe.

IAM verò & hoc de perfecta beatitudine addendum eſt, quod ab Ariſtotele aliquot locis traditur: eam eſſe θεωρητικὴν, id eſt, *in contemplatione* (nam *ſpeculatio* minus hîc placet) *poſitam*, vt lib. 10, cap. 8, ἡ δὲ τελεία εὐδαιμονία, ὅτι θεωρητική τις ἐστὶν ἐνέργεια, καὶ ἐντεῦθεν ἂν φανείη· τοὺς θεοὺς γὰρ μάλιστα ὑπειλήφαμεν μακαρίους καὶ εὐδαίμονας εἶναι. Id eſt, *Perfectã verò beatitudinem, quandam eſſe contemplatiuam operationẽ* (ſeu *actionem*) *ex eo etiã patere poſsit, quòd deos potiſsimũ felices ac beatos eſſe exiſtimamus.* Vel, ſi iungamus μάλιστα cum μακαρίους & εὐδαίμονας, *feliciſsimos ac beatiſsimos*. Sed malo priorem interpretationem. nam & videmus eum Polit. lib. 7, cap. 1. de deo loquentem, non ſuperla-

perlatiuo ſed tantùm poſitiuo vti, & ſtatim poſt ὃς εὐδαίμων μὲν ἐστὶ καὶ μακάριος. Et aliquā-to poſt, ὥστε ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια, μακαριότητι διαφέρουσα, θεωρητικὴ ἂν εἴη. Nec multo poſt, ἐφ' ὅσον δὴ διατείνει ἡ θεωρία, καὶ ἡ εὐδαιμονία. ac repetens hoc idem aliis verbis, καὶ οἷς μᾶλλον ὑπάρχει τὸ θεωρεῖν, καὶ εὐδαιμονεῖν. Et ita claudit locū illū, ὥστ' εἴη ἂν ἡ εὐδαιμονία θεωρία τις. Sed & ca. 7, ἡ δὲ τοῦ νοῦ ἐνέργεια σπουδῇ τε διαφέρειν δοκεῖ, θεωρητικὴ οὖσα.

Verùm poſtquam ſuis contemplationis laudibus finem impoſuit, lib. 10, cap. 7, & ita illum ſermonem clauſit, καὶ τῷ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ τὸν νοῦν βίος, εἴπερ μάλιστα τοῦτο ἄνθρωπος· οὗτος ἄρα καὶ εὐδαιμονέστατος. Id eſt, *Quāobrem eodem modo homini, vita quæ ad mētis arbitriū traducitur,* (ſi quidem hęc pars homo eſt maximè) *ea eſt beatiſſima.* Lamb. vertit, *quæ menti conueniēter traducitur*, ne hoc quidem malè. Sed addit de ſuo *optima,* & bis ponit illud *vita,* totum locum ita reddens, *Ergo & homini optima ea vita eſt quæ menti conuenienter traducitur: ſi quidē hæc pars homo eſt maximè. Hæc igitur vita eſt beatiſſima.* Sed propter illud οὗτος non fuiſſe neceſſe ad talem adiunctionē confugere, oſtendit mea interpretatio. Vbi (inquam) ſuis contemplationis laudibus finem impoſuit, & ita illum ſermonē clauſit, ad aliud beatitudinis genus veniēs quæ non itidem in contemplatione verſatur, ſcribit (& hinc

hinc octauum caput orſi ſunt qui in capita hoc opus diuiſerunt) δεύτερως δ' ὁ κατὰ τὴν ἄλλην ἀρετήν. αἱ γὰρ κατ' αὐτὴν ἐνέργειαι, ἀνθρωπικαί. δίκαια γὰρ καὶ ἀνδρεῖα καὶ τὰ ἄλλα τὰ κατὰ τὰς ἀρετὰς πρὸς ἀλλήλους πράττομεν ἐν συναλλάγμασι, &c. Id eſt, *Secũdo autem loco ea vita quæ ad aliarum virtutum præſcriptum traducitur. nam operationes ei conſentaneæ humanæ ſunt. Quæ enim iuſtitiæ, quæ fortitudinis, & cætera quæ aliarum virtutum ſunt, alter in alterum exercet in contractibus*, &c. Verto autem κατὰ τὴν ἄλλην perinde acſi ſcriptũ eſſet κατὰ τὰς ἄλλας ἀρετάς. Et talem illarum vocum vſum & alibi apud Ariſtotelem animaduerto: qui à Lambino animaduerſus nõ fuit: quũ vertat, *Secundo autem loco ea quæ alij virtuti conſentanea eſt.* Pro mea certè interpretatione quæ κατὰ τὴν ἄλλην ἀρετὴν ita reddit, faciunt ea quę ſubiungũtur, de pluribus virtutibus. Vt omittã, illum de vna loquentẽ, dictur ũ fuiſſe κατὰ τὴν ἑτέραν ἀρετήν. quod verti potuiſſet, *alterũ virtutum genus.* Cęterùm quum in his Ariſtoteles beatitudinem etiã in actione conſiſtentem (quam quidam actiuam vocant) conſtituat: quærat aliquis an & altera ſuam actionem habere dicenda ſit: quum paſsim ipſe ſuam ἐνέργειαν illi tribuat, quæ quidem eſt τοῦ νοῦ. Sed obſeruandũ eſt Ariſtotelẽ dixiſſe nõ ſolùm πράττομεν, (ſicut & πρακτικὰς ἀρε-

τὰς dicit capite præcedente) verùm πρὸς ἀλ-
λήλους πράττομεν. quod de illa energeia di-
ci non poteſt, ſicut nec alia multa quæ di-
ci περὶ τῆς πράξεως poſſunt. Ac tantum abeſt
vt ab altera felicitate, quæ in contemplatio-
ne verſatur, ſuā energeian remoueat, vt exi-
ſtimetur initio cap. 1, libri 1, Ethic. Nicom.
ſub ἐνεργειῶν appellatione cōtemplationem
quoq; comprehendiſſe. At verò de altera lo-
quens πρᾶξιν dicit, & in Polit. lib. 7, cap. 3, ἡ γὰρ
εὐδαιμονία πρᾶξίς ἐστιν. Quibus verbis hęc ſub-
iungit. ἔτι δὲ πολλῶν καὶ καλῶν τέλος ἔχουσιν αἱ τῶν
δικαίων καὶ σωφρόνων πράξεις. De ea autem ipſa
hîc loquitur de qua lib. 10, cap. 7. vbi politi-
cen nominat, id eſt ciuilem: ἑτέραν οὖσαν τῆς πο-
λιτικῆς· ἣν καὶ ζητοῦμεν. Nam Euſtratio non aſ-
ſentior hîc θεωρητικῆς pro πολιτικῆς legenti. Ac
multū ſanè huius loci cum illo cap. 3, lib. 7,
Pol. collatio profuerit. Quiddā tamē vnus
alteri cōtrarium habere videtur. Nam quùm
hîc ſcribatur, τὸ δὲ μᾶλλον ἐπαινεῖν (fortaſſe δεῖν
ἐπαινεῖν) τὸ ἀπρακτεῖν, τοῦ πράττειν, οὐκ ἀληθές· ἡ γὰρ εὐ
δαιμονία πρᾶξίς ἐστιν. Id eſt, *Magis autē eſſe lauda-
bile otioſum viuere, quàm in rebus agendis ver-
ſari, verū non eſt. felicitas enim eſt actio.* Quum
(inquam, ibi iſtud ſcriptum ſit, tamen hîc ex
eodem audimus ore, δοκεῖ τε ἡ εὐδαιμονία ἐν τῇ
σχολῇ εἶναι. id eſt, *Ac videtur beatitudo in otio
verſari.* Sed animaduertendū eſt, quod pro-
ximè

ximè ſequitur, *ἀσχολούμεθα γὰρ, ἵνα σχολάζωμεν. καὶ πολεμοῦμεν, ἵνα εἰρήνην ἄγωμεν.* id eſt, *Negotioſam enim vitam agimus vt otioſam agamus:* (nam ita mihi videor elegantiam antitheſis Græcę repræſentare) *& bella gerimus, vt in pace viuamus.* Aliud eſt de quo quæri poſsit, an quod Ariſtot. ſcribit, lib. 1, cap. 12, felicitatem habendam eſſe inter ea quæ ſunt *τίμια*, non autem inter *τὰ ἐπαινετὰ*, de hac etiam beatitudine dicatur. Ariſtoteles certè ibi generaliter de beatitudine loquitur: ſed mea tamen ſententia, vt hoc locum in altera habeat (quamuis ne hîc quidem iſta ſubtilitas controuerſia carere poſsit) at in iſta locum habere vix poſsit. de qua tamen re ſuum cuique iudiciũ relinquo. Iſtud addo, me *τίμια* libentius hîc redditurum eſſe *pretioſa*, quàm cum aliis *honore digna*, vel *honore afficienda*, aut *honoranda*. Nam aliquid honore dignum fateri, laude dignum negare, neſcio cuius ſubtilitatis ſit. Ac ne ea quidem quæ cap. 5, libri 1, Ethic. Magnorum, dicuntur de iis, quæ laudantur (licet & ipſa in controuerſiam venire poſsint) pro ea diſtinctione faciunt. Sed te hîc monebo ne ibi fallaris in his verbis, (cũ quibuſdam) *καὶ ὅσαι ἄλλαι τοῦ ἤθους δοκοῦσιν ἐπαινεταὶ εἶναι.* quaſi diceret, *Et quæcunq; aliæ ex virtutibus moralibus laude dignæ eſſe videtur:* (tanquã non oẽs laude dignę eſſent): ſed vertas,

Et quæcunq; alia ſunt *virtutes morales, laude eſſe digna videntur.* Subaudiendũ enim eſt εἶναι poſt τ῀ ἤθες, ſiue poſt ἄλλαι. At illud δοκοῦσι reddi etiam poteſt *exiſtimantur*, vel *cenſentur.*

CAPVT V.

AB ARISTOTELIS vnius docentis ore pẽdere me nolle, iam antea profeſſus ſum: quare & alios philoſophos audiendos eſſe dico. Verùm vt à beatitudine (ſeu felicitate) ad beatitudinem redeamus, quorundam de illa ſententias afferam, & de bono, ſiue ſummo bono: non ex Platone, non ex Plutarcho, nõ ex Cicerone, quorum omnia ſunt omnib. in prõptu: ſed ex ſcriptore quodã Græco, cuius opera quũ nondum in lucem prodierint, non itidem in promptu eſſe poſſunt. Neq; tamen inficior quin & horũ nõnulla apud Ciceronẽ reperiri poſsint.

Primùm verò ad definitionem veniamus boni ſeu ſummi boni (vtro quis modo τὸ ἀγαθὸν vel τἀγαθὸν interpretari velit. nam dicẽtes, propter præfixũ articulum ſignificare *ſummum bonum*, nihilo maiore niti ratione puto quàm ſi quis τὸ κακὸν ſummum malum interpretari velit: vt omittam ſæpe & ſine articulo dici ἀγαθὸν. neq; tamen negauerim, in quibuſdam Ariſtotelis locis illud diſcrimen ſeruari, veluti lib. 10, Ethic. Nicom. cap. 2, vbi ſcri-

ſcribit, τὸ δὴ πᾶσιν ἀγαθὸν, καὶ οὗ πάντ' ἐφίεται, τἀγαθὸν εἶναι) fuerunt quidam è Stoicis qui dixerunt ἀγαθὸν eſſe τὸ δι' αὑτὸ αἱρετόν. in qua definitione illis cum Ariſtotele cõueniebat. Sed alij ἀγαθὸν eſſe dicebant τὸ συμπληρωτικὸν εὐδαιμονίας, ſiue τὸ συνεργοῦν πρὸς εὐδαιμονίαν. Quæ qui dixerunt, multo certè minus dixerunt quàm qui eſſe εὐδαιμονίας ποιητικὸν affirmarũt. Iam verò fuerunt & qui ita definirent, ἀγαθὸν ὠφέλειά ἐστιν, ἢ οὐχ ἕτερον ὠφελείας. Quem definiendi modum videri nobis nouũ non ſinit Ariſtoteles: quum eo aliquoties vtatur. Sed quid iſtud eſt? *bonum eſſe vtilitatem, aut non aliud quàm vtilitatem?* Nimirum ſub *vtilitatis* nomine τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν σπουδαίαν πρᾶξιν, id eſt, *virtutem & probam actionem*, intelligebant: quum verò *non aliud quàm vtilitatem* dicebant, ſignificare volebant τὸν σπουδαῖον ἄνθρωπον καὶ τὸν φίλον, id eſt, *probum virum & amicum.* Siquidem virtus & proba actio quum ſit ἐνέργειά τις κατ' ἀρετὴν (quo & Ariſtoteles modo aliquoties loquitur) planè eſt ὠφέλεια, id eſt *vtilitas*: niſi quis adiumẽtum dicere malit) at verò probus vir & amicus neque dicẽtur vtilitas eſſe neq; aliud quàm vtilitas. Immo verò cur nõ potius virtutem quidem, vtilitatem, at hos vtiles eſſe Stoici illi dicebãt? Quoniam hæc apud eos regula erat, partes neq; idem eſſe quod totũ,

neq; diuerſa à toto. Sed interim, qui illis aduerſabantur, lepidam τοῦ κακοῦ definitionem ad exemplum illius fingebant, κακὸν, τὸ ἐναντίον τῷ ἀγαθῷ. ὅπερ βλάβη ἐστὶν, ἢ οὐχ ἕτερον βλάβης. Et ita quidem vt βλάβη eſſet tanquã κακία, & ἡ φαύλη πρᾶξις: at verò οὐχ ἕτερον βλάβης, velut ὁ φαῦλος ἄνθρωπος καὶ ὁ ἐχθρός. Deniq; ἀγαθὸν dixerunt quidam eſſe ἀρετὴν, alij, τὸ μετέχον ἀρετῆς: alij ἡδονὴν, vel ἀλυπίαν: alij autem ὑγίειαν: quorum eſſe ait Ariſtotelem.

AD ipſam autem felicitatem ſeu εὐδαιμονίαν vt trãſeamus, à tribus magni nominis ſectæ Stoicæ philoſophis, Zenone Cleanthe, Chryſippo, dicta eſt eſſe εὔροια βίου. id eſt, *vita res habens proſperè fluentes.* Atque vt εὔροιαν βίου dixerunt, ita etiam εὐρόως καὶ εὐδαιμόνως βιοῦν. Quidam verò cenſuerunt, eum qui nactus eſſet id quod bonum dicitur, & declinaret id quod malum vocatur, eſſe εὐδαίμονα. Deniq; fuerunt & à quibus εὐδαίμων dictus ſit eſſe ὁ ἀταράχως διεξάγων. id eſt, *qui perturbationum expertem vitam degit.* Ac horum certè ſententiæ multorum calculi & acceſſerũt olim & quotidie accedunt. Quidquid autem ſit beatitudo, inter omnes philoſophos cõſtitit eam eſſe τὸ τοῦ βίου τέλος, id eſt, finem quem vita ſibi proponit. Ac nonnulli eorum qui alioqui epochen de omnibus ſtatuebãt, tamen aliquam exceptionẽ, de beatitu-

titudine loquentes, adhibebãt. Quum enim interim videndum cuiq; foret quomodo vitam traducturus eſſet: ſiue, qualis futura ſibi eſſet ἡ τοῦ βίου διεξαγωγή: (ita enim loquebantur: vt paulo ante dictum fuit beatũ eſſe τὸν ἀπαράχως διεξάγοντα) & quum res hæc alicuius κριτηρίου opera indigeret: dicebat Arceſilaus de ſapiẽte, ὅτι κανονιεῖ τὰς αἱρέσεις καὶ φυγὰς καὶ κοινῶς τὰς πράξεις τῷ εὐλόγῳ. id eſt, *Ad regulam eius quod rationi conſentaneum eſt diriget ſuam de iis quæ amplectenda & de iis quæ fugienda ſunt ſententiam: & ipſas pariter actiones.* Tandémq; φρονήσεως (id eſt *prudentiæ*) implorare opem cogebantur (ſicut ad eam venire Ariſtotelem videmus) ac dicere, beatitudinem παραγίνεσθαι διὰ τῆς φρονήσεως. ſed addebant quod nouũ & durum (vt opinor) fuiſſet Ariſtoteli, ipſam prudentiam κινεῖσθαι ἐν τοῖς κατορθώμασι. At verò κατορθώματος illam definitionem afferebãt, ὅπερ πραχθὲν, εὔλογον ἔχει τὴν ἀπολογίαν. Id eſt, *Quod quum factum eſt, defendi tanquam rationi cõſentaneum poteſt.* Atq; ex his concludebat Arceſilaus, ὁ προσέχων οὖν τῷ εὐλόγῳ, κατορθώσει καὶ εὐδαιμονήσει. Carneades verò, qui & ipſe κριτήριον alioqui euertere volebat, tamen ad comparandam vitæ ipſi beatitudinem, illud poſſe aliquid hac in re volebat: ſed non contentus iis quæ Arceſilaus illi dabat, aduocabat

etiam τὴν πιθανὴν φαντασίαν, necnon τὴν πιθα-
νὴν ἅμα καὶ ἀπερίσπαστον καὶ διεξοδευομένην. vel potius διεξωδευμένην.

Sed multo videtur fuiſſe maior illorũ numerus, quorum alij beatitudinem in Opulentia, alij in Voluptate, alij in Valetudine conſtituerent. Ac feſtiuus certè is locus eſt, vbi per proſopopœian vnamquanque harum inducit habentem ſuam orationem (vel potius oratiunculam) apud concilium totius Græciæ, de primatu obtinendo: ob quem & coronetur. Prima (inquit) prodibit OPVLENTIA, & hæc loquetur, *Ego ornatum omnibus mortalibus affero: veſtes, calceamẽta cæteráq; vitæ cõmoda ſuppedito. Magnum & ægrotis & valentibus vſum præſto: & in pace quidem præbeo quæ oblectamento ſint: bella autem non alios quàm me rerum neruos habent.* Simulatque (inquit) illud totius Græciæ concilium (vocat autem πανέλληνας: vnde & initio huius oratiũculæ, Ἐγὼ ὦ ἄνδρες πανέλληνες κόσμον παρέχω πᾶσιν ἀνθρώποις) iſta verba audierit, vnanimi cõſenſu primatũ Opulẽtiæ adiudicabũt.

Verùm ſi, dum voce præconis hæc princeps declarabitur, ſuperueniens VOLVPTAS hæc inter alia dicat, (ſunt autem ex Euripide ſumpta) *Opulentia res eſt minimè ſtabilis, ſed temporaria: atq; ex ædibus auolat, quum breui temporis ſpatio refulſit. Neq; verò ei comparanda*

randæ ſtudent mortales propter ipſam, ſed propter oblectationem & voluptatem, omnino illud concilium haud aliter rem ſe habere cenſebit: ac coronandam eſſe VOLVPTATEM clamabit.

Enimuerò ſi hac iamiam victoriæ pręmiũ acceptura ingrediatur VALETVDO, cũ diis quos aſſeſſores habet, & his verbis vtatur, *Me abſente neq; Voluptatis neq; Opulẽtiæ vllus eſt vſus. Ac quis eſt qui non malit morbi expers in diem viuere, quàm inter magnas diuitias ægrotare?* hæc vbi totius Græciæ concilium audierit, & perpenderit fieri non poſſe vt BEATITVDO conſiſtat, ſi ægrotet & lecto affixa ſit (nam dicit κλινοπετῆ) pronuntiabit victricem eſſe Valetudinem.

Verùm & Valetudine iam vincente, vbi prodierit in mediũ FORTITVDO, magna fortiſsimorum virorum & heroum ſtipante caterua, & hæc loquuta fuerit, *Me abſente, aliena fiunt quæcunq; vobis comparaſtis bona. Ac nihil certè magis hoſtes in votis habeant quàm vos omni bonorum genere abundare: quippe qui vobis* me abſente *ſuperatis, & illis ſint polituri.* His etiam verbis vbi concilium illud aures præbuerit, primas quidem partes huic virtuti tribuent, ſecundas autem Valetudini: at tertias Voluptati: ac vltimũ locum Opulentiæ dabunt. Quibus additur, Cranto-

rem quoq; (cuius mentionem & ab Horatio fieri videmus) Valetudini ſecundum locum tribuiſſe. At verò & Ariſtotelē in valetudine beatitudinem conſtituiſſe, antea ex huius noſtri ſcriptoris ore audiuimus.

CAPVT VI.

DE BEATITVDINE ſeu felicitate quæ ab hiſtoricis, necnon ea quæ à poetis conſtituitur.

POST PHILOSOPHORVM tot tam diuerſas de beatitudine ſeu felicitate opiniones, & quaſdam δόξας non ſolùm παραδόξους, ſed etiam fortaſſe κακοδόξους, (planè quidem ἀλλοκότους) audiamus quid de illa hiſtorici & poetæ ſe ſenſiſſe oſtendant. Quũ igitur tria bonorum genera conſtitui vulgo ſciamus (nam nunc de eo quod cõmuni philoſophorum aſſenſu receptũ ſit nõ loquor) bona animi, corporis, & fortunæ: animi bona, quæ ſunt virtutes, aliis præferentes hiſtoricos etiam ac poetas audimus: & quidẽ apud eos etiam eſſe non paucos qui præferant. Nam licet Suetonius Tranquillus bona corporis ſeu dotes corporis dignatus ſit virtutum appellatione (quum ſcribit in Caligula, *Omnes Germanico corporis animiq; virtutes, & quantas nemini cuiquam, contigiſſe ſatis*

tis conſtat :formam, & fortitudinem egregiam: ingenium in vtroq; eloquentiæ doctrinæq; genere præcellens: beneuolentiam ſingularem, conciliandæq; hominum gratiæ ac promerendi amoris mirum & efficax ſtudium) illis tamen hunc titulum non à philoſophis ſolùm, & nominatim ab Ariſtotele, ſed ab aliis etiam denegari ſcimus. Ac rectè certè Iulianus imperator, *Turpe eſt ſapienti, quum habeat animũ, captare laudes ex corpore.* Atque idem in quadam conciuncula ſe cuncta bona in animi cultu ponere ait: *Nec pudebit imperatorem, cuncta bona in animi cultu ponentem, profiteri paupertatem honeſtam. Nam & Fabricij fam.* &c. Nec vero Pacatus in Theodoſio auguſto formã quoque laudans, eam cum Suetonio virtutẽ appellat: ſed contrà diſtinguens à virtute, *Virtus tua* (inquit) *meruit imperiũ. ſed virtuti addidit forma ſuffragium.* licet alioqui de forma loquatur quam antea diuinam vocauerat: nihilq; maius de Germanici forma dici potuerit. Sed de hoc Suetonij quod cenſuram mereri videtur dicto, ſicut & de aliis quibuſdam, in mea editione ſcriptorum eius (quæ & expoſitiones obſcuriorum locorum margini adiectas habebit) meam ſententiã proferam. Hoc vnũ addam, debuiſſe ſaltem videre ne præpoſtero ordine corpus animo præponeret. Qua tamen in re vtrobiq; pec-

caſſe illum videmus, & vbi duas res illas recenſet, & vbi earum exempla addit.

Contrà verò rectè cùm alij quidam hiſtorici, tum Ammianus, vbi tantũ honoris virtutib. defert, vt *bona* ſine vlla adiectione vocet, ac *vitiis* opponat. ſolet enim, poſtquã alicuius imperatoris virtutes recenſuit, etiam eius vitia memorare: (ac certè vel hoc ea cuius antea mentionem feci ſuſpicione eum liberat) & illas *bona* nominare. At non rectè idem Ammianus in eo loco (eum attuli antea, pag. 361,) vbi *felicitatem* inter virtutes numerat: Ciceronem in ea quidẽ enumeratione ſequens, ſed in illa re tamen ab eo diſcedens: vt docebo vbi de virtutibus diſſeram. Ac miror certè ei Simonidis lyrici placere ſententiam, *Beatè perfecta ratione victuro, ante alia patriam eſſe conuenit glorioſam.* Quamuis enim patria ad laudẽ & gloriã faciat, nõ tamẽ ita vt ab ea quoq; beatitudo ſeu felicitas perfecta pendere dici poſsit: etiãſi talis ſit patria quæ felix dici queat: vt Theodoſij patria in paneg. appellatur. Potius igitur ad beatitudinẽ facit, aut etiã beatitudinẽ efficit, quod ſubiũgit, *cõſciẽtia honeſtè rectéq; factorũ.* Ac is qui *ad aſcenſus veræ gloriæ tendit longos & arduos* (vt idem ex Heſiodo loquitur) tendere ad beatitudinem dici poteſt. Neq; aliter ſentire & ipſe videtur: vbi etiã ita loqui-

tur

tur de iis qui *æternitati commẽdari* cupiebãt, ac ſi hæc commendatio beatitudinem eſſet allatura. Non dubium certè quin hanc ea in commendatione multi conſtituerint: quum & Neronem eius cupidum fuiſſe legamus. *Erat illi* (inquit Suetonius) *æternitatis perpetuæq́; famæ cupido,* verùm addit, *ſed inconſulta.* Huc pertinent & illæ *gloriarum adoreæ* apud Ammianum, quum ad immortale nomẽ velut viã ſternãt. Huc ſpectat & illud loquendi genus *Conſecrare immortalitati:* (quum alioqui dicatur etiam *Immortalitati commendare*, ſicut paulo antè habuiſti *æternitati commendari:* quinetiam legamus *Immortalitati mandare:* item, *Æternitatem & immortalitatem* alicui donare) nec non *Conſecrare memoriam nominis alicuius*, apud Ciceronem. Eſtq́; hîc obſeruandum, quum ab hoc ipſo ſcribatur, *Cedit nulla re niſi immortalitate cæleſtibus vita beata*, altera illa nominis immortalitate aliquo compenſari modo cœleſtem. Atque, vt ad poetas veniam, nemo (vt opinor) huc pertinere negauerit iſta Horatiana,

Res gerere, & captos oſtendere ciuibus hoſtes,
Attingit ſolium Iouis, & cœleſtia tentat.

Sed videndum ne hîc fallamur, & felicitatem quæ imperatori exercitus non ſolùm ab hiſtoricis (& quidẽ nominatim à Liuio) tribuitur, ſed etiam à Cicerone & ab illis qui pane-

pane-

panegyricas orationes ſcripſerunt, cum illa beatitudine cõfundamus. De illo felicitatis genere loquor, à quo felicis nomẽ datũ Syllæ fuit: vel potius ipſe ſibi dedit, vt autor eſt Plutarchus. Cuius tituli & Pacatus meminit in Paneg. ad Theodoſium, ſed Romæ clade felicem illum fuiſſe dicens: *Spectabas hac à tuis collibus Roma*, (ita enim pro *Romam* ſcribo) *& ſeptena arce ſublimis, celſior gaudio ferebaris. Tu quæ experta Cinnanos furores, & Marium poſt exilia crudelem, & Syllam tua clade felicem*. Hæc eſt illa felicitas quæ & ab ipſo Cicerone dicta eſt eſſe *fortuna adiutrix conſiliorum bonorum*. Nec aliò ipſe Sylla, quũ ſe hoc titulo decorari voluit, reſpexiſſe exiſtimandus eſt. Hinc illud quod non rarò occurrit, *Res fortiter feliciterq́ geſta*. Hinc & iſtud, *Virtute duce, comite fortuna.* Hinc deniq; eſt hoc quoq;, *Fortes fortuna iuuat*: quod & apud Liuiũ legimus, Dec.1, lib.5. Eúmq; libro nono dicentem audimus, *fortuna per omnia humana, maximè in res bellicas potens.* Aliquãdo vero & fortunam alicuius imperatoris ſiue ducis dixerunt, tanquã peculiarẽ ſibi quandam habẽtis. Hanc fortunam interdum fortitudini ducis, interdum & eius prudentiæ ſeu ſapientiæ adiungunt. Atq; interdum aliis etiam quàm ducibus exercituum & aliis in rebus quàm bellicis eam locum habere,

& pru-

& prudentiæ itidem ſeu ſapientiæ adiungi oſtendunt. Sic apud Pacatum, *Ergo quum duplex fuerit iſte delectus, vnus ex iudicio, alter ex fato, incertum meliores viros ſapientia tua an fortuna quæſiuerit.* Vbi etiam animaduertendum eſt, quod *fato* adſcripſerit, poſtea *fortunæ*, quod *iudicio*, poſtea *ſapiētiæ* tribui. Quāuis autem fortunam aliquando conſiliorum adiutricem inducant (vt oſtendi) tamen cæcum eius iudiciū interdum vocare cogūtur.

Videmus autem & Valerium, vbi de felicitate agit, illam fortunæ adſcribere. nam in eum locum vbi de felicitate agit, hæc præfatur, *Volubilis fortunæ complura exempla retulimus, conſtanter propitiæ admodum pauca narrari poſſunt.* quum tamen Ariſtoteles ſuæ beatitudini, quam εὐδαιμονίαν vocat, nihil cum fortuna velit eſſe negotij. Quum porro illā virtutis velut præmium ſtatuat, (ſi ita loqui licet, quum ipſa ſibi præmium eſſe dicatur) quod *virtutum quarūdam* vocat *vberrimum fructum* Suetonius: videndū annon & ipſum εὐδαιμονία aut eius pars cēſeri poſsit. Iiſdémque verbis vſus eſt Nazarius in paneg. Conſtantini, *Nec minus vberes fructus reliquarum virtutum fuerunt* nam *vrbis beatitudinem* ex his ſequuturam eſſe oſtendit. Sic autem a Pacato, *felicitatis publicæ auſpex dies qui te primus inaugurauit imperio*, dicitur Theodoſio. Hoc qui-

quidē certè conſtat, interdum beatitudinem ſeu felicitatem certo tantùm reſpectu alicui adſcribi: præſertim tamen felicitatem alicui tribui, vel ad rem non magni æſtimandā reſpiciendo. Sed de principe, & quidem de cæſare, quum dicitur, *O felix in imperio, & poſt imperiū felicior*, ſequentia oſtendere vidētur, in poſteriori parte ad tale quid reſpici quale eſt illud Horatianum, antè allatum.

Atque, vt in Horatij mentione ad poeticen veniam, vel potius redeam, ſciēdum eſt illos interdum quidem cum vulgo loqui, & tum diuitias pro beatitudine habere. (quam & quorundam philoſophorum fuiſſe opinionem ſcimus) vnde etiam factum eſt vt *beati* aliquando à poetis dicantur ij qui ſunt diuites. Aut certè voluptati hunc beatitudinis titulum dare. quod & quoſdam philoſophos ſenſiſſe dictum eſt. ac videtur Ariſtoteles ita de voluptate loqui, vt potius & ipſum ei hunc titulum quàm valetudini (in qua tamē beatitudinem conſtituiſſe dicitur, ab eo ſcriptore Greco ex quo antea non pauca attuli) daturum fuiſſe credibile ſit. Deinde illi hoc extra omnē controuerſiam poſuerunt, *nemo eſt ex omni parte beatus:* ſicut etiā dictū fuit, *nihil eſt ex omni parte beatum.* Poetas denique de beatitudine ſæpe vulgo aſſenſos & eadem cum eo eſſe loquutos, ſatis cōnſtat.

Nec

Nec ſolùm illa omnis generis bona externa quæ & tyrannis non adeſſent tātùm ſed etiā ſupereſſent, beatitudinis titulo decoraſſe: (vt Damocles apud Dionyſium ea illo titulo hōnorabat, poſtea tamen ex iis quæ Dionyſius ipſi aperuerat, errorem ſuum faſſus) verùm & vni alicui ex iis id nominis dediſſe. Sed præſertim in eo bono quod voluptas appellatur, eam frequenter conſtituiſſe videmus: vnde qui ſuis frui amoribus poterant, beatos ſe vocabant. hinc & illud Horatij, *Perſarum vigui rege beatior.* Ac eo quidē vſq; progrediebantur vt lectulum cōſcium ſuarum deliciarum, & ipſum appellare non dubitarent. vnde & iſtud, & *ô tu Lectule deliciys facte beate meis.*

Verùm vbi philoſophari & ipſi voluerūt beatitudinē à virtute pendere dixerunt. Vnde ex ore eius ipſius quem canentem audiuimus, ob illud quod circa ſuos amores conſequutus erat bonum, *Perſarū vigui rege beatior:* audimus iſtud lōgè diuerſum carmen,

Néve putes alium ſapiente bonóque beatum.

Quinetiam canit idem,

Non, poßidentem multa, vocaueris
Rectè beatum: rectiùs occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus ſapienter uti
Durámque callet pauperiem pati:

Peiúſ-

Peiúſque letho flagitium timet.

At Virgilio *Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,*

Atq; metus omnes & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, ſtrepitúmq; Acherõtis auari.

Quæ ad τὴν θεωρητικὴν Ariſtotelis εὐδαιμονίαν potius pertinere videntur.

Cæterũ quũ τὸν κατ' ἀρετὴν βίον & ipſi beatũ iudicarũt, ad mala quibus obnoxij ſunt qui contrà inter vitia degunt, reſpexiſſe videntur. De quibus vide Horatium & Claudianum: (nunc enim eorum locos afferre non vacat) nec nõ Ciceronẽ in Par. Nec ignoro, poſſe cui videri & ad animarũ in cãpis Elyſijs felicitatẽ reſpexiſſe, cui contraria improborum animæ experirentur.

CAPVT. VII.

DE VIRTVTE quæ conſtituitur à philoſophis, præſertímq; ab Ariſtotele.

VIRTVS apud priſcos Latinos, (præſertímq; apud poetas) ſicut ἀρετὴ apud priſcos Græcos, plerunq; ad eam ſpeciem reſtringebatur quæ fortitudo appellatur. Ac certe vſum hunc ἀρετὴ apud Homerum paſſim habet. Nec alia ſpecies ipſius generis titulo donatur: ne Iuſtitia quidem, quamuis ei potius quàm cuiquam alij tributa fuerit perfectio, vt antea dictum fuit.

Sed Ariſtoteles Ethic. Nicom. lib. 2, cap.

6, non dubitat tam latè extendere hoc nomen ἀρετὴ, vt etiam oculo ſuã ἀρετὴν tribuat, (eodémq; modo alij corporis parti ſuam det quiſpiã) quinetiã equo: nec dubiũ quin poſſit quis alij itidem animali ſuã tribuere. (nec verò nõ veſtimento eam videmus dare.) Dixerat autem antea, generalius etiam loquẽs, ῥητέον οὖν ὅτι πᾶσα ἀρετὴ, οὗ ἂν ᾖ ἀρετὴ, αὐτό τε εὖ ἔχον ἀποτελεῖ, καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ εὖ ἀποδίδωσιν. Sed fuerunt quidam philoſophi qui ita loquendo profanare ἀρετῆς appellationem ſibi viſi fuiſsẽt. At verò de virtute quę φυσικὴ dicitur, & cui κυρία opponitur, item de ea quæ ἀνθρωπίνη, ſeu ἀνθρωπικὴ, & quæ κοινὴ καὶ οὐκ ἀνθρωπικὴ, vide in ſequentibus.

Vbi porro dicit, καὶ ὅλως τὰ κατ' ἀρετὴν, τῷ φιλαρέτῳ, & hìc & aliis infinitis locis hãc ἀρετὴν, a qua φιλάρετον dicit (ſicut & φιλοδίκαιον: illud, vt genus, hoc, vt ſpeciem) eam eſſe ſcimus quę ab eodem τῇ κακίᾳ opponitur. Sed prò hoc φιλάρετος dicere ſolet vel ἀγαθὸς ſiue καλὸς καὶ ἀγαθὸς, vel σπουδαῖος, vel ἐπιεικής. Et τῷ ἀγαθῷ ſiue σπουδαίῳ ſæpe φαῦλος opponitur, eodem modo quo τῇ ἀρετῇ opponi τὴν κακίαν dixi. Interdum & μοχθηρός: ſicut ἡ μοχθηρία opponitur τῇ ἀρετῇ. Nec verò non dicitur κακὸς, vt ipſum vitiũ, κακία. Ad vocem autem illam ἐπιεικὴς quod attinet, illa viro cuidam doctiſsimo impoſuit, hęc verba Po-

lit. lib. 5, cap. 10, καὶ καθίσαται βασιλεὺς ἐκ τῶν ἐπιεικῶν καθ' ὑπεροχὴν ἀρετῆς, ἢ πράξεων τῶν ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, reddenti, *Rex conſtituitur ex idoneis aptiſque ob eminentiam virtutis, aut actionum quæ à virtute*. Certè ſi aptos idoneóſque Ariſtot. ſignificare voluiſſet, non deſunt aliæ voces Græcis, quarũ aliqua vſus fuiſſet. Habere autem vocem ἐπιεικὴς & alium vſum apud Ariſtotelem quoque, & quidem vſum magis apud alios frequentem, in ſequentibus docebo.

Cæterùm virtutem ſic Ariſtot. definit, *Eſt virtus, habitus eligendi capax*, (vel, *ad eligendum idoneus*) *in medietate cõſiſtens, quod ad nos, quæ ratione eſt definita*: (ſiue *terminata*) *& ſicut is qui prudens ſit, definire queat. Medietas autem duorum uitiorum: vnius quidem, in exceſſu: alterius verò, in defectu*. In qua definitione primo genus videmus, videlicet *habitum* (qua voce ſimul oſtenditur habere quandã velut inhęrentiam in animo. quod de voluntate, id eſt, de multis voluntatis inclinationibus, ſeu propenſionibus, dici non poteſt: nec de multis affectibus, neque de pleriſque opinionibus: aliiſque multis quæ itidẽ in animo verſantur: ſed nec de actionibus.) Quum verò additur, *eligendi capax*, vel *ad deligendum idoneus* (nũc enim aptius vocabulum quàm *eligere* non venit in mentem) datur illi quod

eſt

eſt proprium. Quo declaratur etiam qualia ſint ea circa quæ illa verſatur: ac ea in poteſtate eſſe noſtra oſtenditur. nam electio ſiue delectus in illis quæ extra poteſtatem noſtram ſunt, aut quæ non poſſe fieri putamus, locum non habet. At vbi dicitur eſſe *medietas duorum vitiorum*, ſiue *in medio duorum vitiorum poſita*, differētia aptè adiicitur: quū alioqui & de vitio dici queant illa duo priora: id eſſe habitum, & quidem quod ad eligendum ſit idoneum (nam ſuo quodam modo eligit, etiamſi male eligat. minus tamen durè diceretur προαιρεῖται, quàm *eligit*, de vitio præſertim) ſed non itidem dici poſsit in medio conſiſtere, quum in extremitatibus contrâ verſari ſciamus.

Cæterùm *nulla moraliū virtutum nobis natura innaſcitur*, ſiue *inſita eſt*, vt ſcribit initio libri 2, Ethic. Nicom. ἐξ οὗ καὶ δῆλον ὅτι οὐδεμία τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν φύσει ἡμῖν ἐγγίνεται. & dicit ἐξ ἔθους περιγίνεσθαι: vnde eſſe dictam ἠθικὴν. Sic & alibi dicit oportere ἐθίζεσθαι: & alibi τὴν ἐκ νέου ἀγωγὴν & τὴν ὀρθὴν παιδείαν: de qua dixi in quodam meorum Schediaſmatum. Sed tamen libri 6, cap. 13, ſcribit, πᾶσι γὰρ δοκεῖ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν φύσει πως. quinetiā ſubiungit, καὶ γὰρ δίκαιοι καὶ σωφρονικοὶ καὶ ἀνδρεῖοι καὶ τἄλλα ἔχομεν εὐθὺς ἐκ γενετῆς (ſed puto ſcripſiſſe τὸ εἶναι δίκαιοι, vel, τὸ δίκαιοι εἶναι. niſi

quis malit hoc infinitum poſt ἀνδρεῖοι ponere. quod omnino deſiderari videtur, etiamſi τὸ omittatur.) Sed cõſiderandum, illic quidẽ dici πᾶσι δοκεῖ, deinde reſtringi illud per particulam πως: hîc verò, addi, ἀλλ᾽ ὅμως ζητοῦμεν ἕτερόν τι, τὸ κυρίως ἀγαθὸν εἶναι. (niſi potius ſcribendum, πρὸς τὸ κυρίως ἀγαθὸν, aut ἀγαθοὶ, εἶναι. Alioqui videri poſſet ſuperuacaneũ hîc eſſe εἶναι, ſicut deeſſe in loco proximè præcedente: niſi ſequeretur ὑπάρχειν.) Hinc fit vt virtutem quandam conſtituat φυσικὴν, id eſt *naturalem*: eiq́ opponat τὴν κυρίαν. ſicut paulo antè habuiſti, τὸ κυρίως ἀγαθὸν εἶναι. Nec dubito quin vox iſta φυσικὴ deſit initio capitis 13, & ſcribendum ſit, ἡ φυσικὴ ἀρετὴ παραπλ. quæ ſæpe in ſequẽtibus nominatur. Ab eodem conſtituitur ἀνθρωπίνη ἀρετὴ, ſeu ἀνθρωπικὴ, non vno in loco: & κοινὴ ἀρετὴ diſtinguitur ἀπὸ τῆς ἀνθρωπικῆς, lib 1, cap. 13.

At verò ἀπὸ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς ſiue τῆς τοῦ ἤθους diſtinguit τὴν διανοητικὴν: (id eſt, *in cogitatione poſitam*: niſi vno verbo vocare licet *cogitatricem*. Perinde acſi diceret τὴν τῆς διανοίας. Nam & διάνοιαν pro cogitatione dicit, lib. 6, cap. 9, (vel 10, vt alij librum illum in capita partiuntur) διανοίας ἄρα λείπεται. id eſt, *Relinquitur itaq; vt ſit cogitationis*. At Lamb. perperã, *Cogitatione igitur eſt inferior*. De cuius interpretationis emendatione plura in quodã

meorum

meorum Schediaſmatũ. Eadem verò opera monebo & de emendando qui initio huius capitis eſt loco, (de quo & in illo Schediaſmatum opere, ſed in ea parte quæ nondũ eſt edita, monui.) nam quum ſcriptum ſit, τὸ ζητεῖν δὲ καὶ τὸ βουλεύεσθαι διαφέρει. τὸ γὰρ βουλεύεσθαι, ζητεῖν τι ἐστί, dico ſcribendum eſſe, ζητεῖν τι μετὰ λογισμοῦ ἐστί. vel μετὰ λόγου, ſicut Ariſtot. in ſequentibus bis dicit μετὰ λόγου, potius, vt opinor, pro *cum ratiocinatione*, (id eſt μετὰ λογισμοῦ, ſiue συλλογισμοῦ) quàm *cum ratione*. At ſi hæc ſola verba habeas, τὸ γὰρ βουλεύεσθαι, ζητεῖν τι ἐστί, Ariſtoteles ſibi repugnabit. nam inter illa duo eſſe differentiam & dicet & negabit.

Ad virtutes autem quod attinet, quũ ſoleant quatuor primariæ recenſeri, *Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Tẽperantia*, Ariſtoteles Prudentiam in virtutum numero non ponit: etiamſi eam quæ proprie virtus dicitur, non conſtare abſq; prudẽtia fateatur libri 7, cap. 13, (ac, vel illo tacente, ex ea quam attuli definitione id pateat) vnde dici, *virtutes omnes, eſſe prudentias*. Vult autem φρόνησιν, id eſt *prudentiam*, eſſe quandam δεινότητα, id eſt *ſolertiã*. Quinetiam hanc φρόνησιν diſtinguit ἀπὸ τῆς συνέσεως. Nam legimus lib. 6, cap. 10, οὐκ ἔστι δὲ ταυτὸν σύνεσις καὶ φρόνησις. Sed ſub initio huius capitis latet error, ex quo aliquid abſurdi naſcitur. Nam quomodo diceret Ariſtoteles,

ἀσυνεσίαν, eodem modo quo σύνεσιν, nõ idem quod ἐπιστήμην vel δόξαν eſſe: at hoc tamẽ habemus ſub iſtis verbis, ἔστι δὲ καὶ ἡ σύνεσις, καὶ ἡ ἀσυνεσία, οὔτε ὅλως τὸ αὐτὸ ἐπιστήμῃ ἢ δόξῃ. nam ea quæ interiiciũtur, non vetant quin illa his iungantur. ſunt autem hæc, καθ' ἃς λέγομεν συνετοὺς καὶ ἀσυνέτους. Ita igitur corrigo, (nec dubito quin iſtam correctionem non minus quàm aliam vllam ſit lector probaturus) ἔστι δὲ καὶ ἡ σύνεσις καὶ ἡ εὐσυνεσία, καθ' ἃς λέγομεν συνετοὺς καὶ εὐσυνετους, οὔτε ὅλως τὸ αὐτὸ ἐπιστήμῃ. &c. ſic autem poſtea σύνεσιν & εὐσυνεσίαν (ſiue ξύνεσιν & εὐξυνεσίαν, vt ibi ſcriptũ eſt) eadem eſſe dicit. Verum, ad φρόνησιν vt redeam, quamuis ea quæ retuli dicat de ea, & alibi quoq; alia eiuſmodi: tamẽ alicubi de eadẽ, tanquam quæ ſit virtus, loquitur. Sed mirum eſt Ariſtotelem ſic loqui περὶ τῶν φρονίμων, id eſt *de prudentibus*, lib. 7, cap. 11, vt eos diſtinguat & ab ætate prouectis & ab iis quos experientia ſiue vſus peritos rerum fecit. Quid hic dicemus? annon illis iniuriam fieri? Verùm crediderim potius, iniuriã huic Ariſtotelis loco factam, eſſe in cauſa cur illis iniuriam ipſe facere videatur. Legimus enim, ὥστε δεῖ προσέχειν τῶν ἐμπείρων καὶ πρεσβυτέρων ἢ φρονίμων ταῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι καὶ δόξαις, οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων At ego contendo, & quidẽ acriter, voculam ἄλλως inter ἢ & φρονίμων

μων deeſſe. illum enim ſcripſiſſe, ἢ ἄλλως φρονίμων. In eodem verò capite circa principium, quum habeamus voces has φρονίμους καὶ συνετοὺς ita poſitas vt ſtructura orationis ſuam integritatem non ſeruet, ego eam ſeruari poſſe dico, ſi ita (parua cum nouatione) legamus, ἐπὶ τοὺς αὐτοὺς ἐπιφέροντες, γνώμην ἔχειν καὶ νοῦν, ἤδη δὲ καὶ φρονίμους εἶναι καὶ συνετούς. Perinde acſi dixiſſet, continuando illam orationis formam, γνώμην ἔχειν καὶ νοῦν καὶ φρόνησιν καὶ σύνεσιν. vt aliquanto poſt dicit, γνώμην δ' ἔχει καὶ σύνεσιν καὶ νοῦν. In horum porrò locorum emendatione verſor in gratiam τῶν φρονίμων: quibus iniuriam facere Ariſtotelē multi exiſtimant, quòd eorum φρόνησιν titulo ἀρετῆς nō dignetur. Sed hac de re alibi. Cæterùm & de hoc monebo, non mihi placere, γνώμην ἔχειν ita reddi, *ſententiæ dicendæ facultate præditos eſſe.* Antequam tamen aliam interpretationem quæramus, videndum eſſe dico an veriſimile ſit Ariſtotelem ita ſcripſiſſe: quum Græci vix ſoleant ita loqui, vt eundem γνώμην ἔχειν dicant quem εὐγνώμονα appellant. Cogitandum ergo fuerit, annon magis credibile ſit, ab eo ſcriptum fuiſſe, καὶ ἔχειν φαμὲν συγγνώμην. Nam ſicut Ariſtoteles de voce εὐγνώμονες loquitur tanquam incluſam habente vocem γνώμην, cur non itidem eam includi voce συγγνώμην dicat, quū id ſit etiā

apertius? Pro me certè facit quod ſtatim occurrere videmus vocabulum συγγνωμονικόν: & illud ipſum genus loquendi, ἔχειν συγγνώμην, quod ſubiungitur. Sed & aliquãto poſt legimus, καὶ εὐγνώμων ἢ συγγνώμων. Adeo vt perinde intelligere oporteat quæ initio capitis dicit, acſi ita loquutus eſſet, ἡ δὲ καλουμένη γνώμη καθ᾽ ἣν εὐγνώμονας καὶ συγγνώμονας φαμὲν, ἡ τοῦ ἐπιεικοῦς ἐστι κρίσις ὀρθή. Hoc quidẽ certè iterabo, Græcos de eo quem ἐπιεικῆ vocant, non dicere illum eſſe εὐγνώμονα, vel illũ ἔχειν γνώμην, idem ſignificare volentes. Eſt porrò ἐπιεικὴς hîc, non (vt ſępe hac voce vtitur) qui generali viri boni appellatione comprehenditur, ſed qui ex æquo & bono ſententiam fert, minimécꝫ ſummum ius intuetur: ſiue qui æquitatẽ ſtricto iuri anteponit: adeo vt dici poſsit eſſe in ſententia ferenda moderatus, & opponi ei qui ἀκριβοδίκαιος vocatur. Ex nomine hoc ἐπιείκεια factũ à maioribus noſtris fuit per deprauationem *Epicaïa*. vnde Gallicum *Epicaïzer*, forenſe vocabulum. At verò in eo Polit. libri 5, cap. 10, loco qui allatus fuit antea, ὁ βασιλεὺς καθίσταται ἐκ τῶν ἐπιεικῶν καθ᾽ ὑπεροχὴν τῆς ἀρετῆς, non dubium eſt quin eum quem dixi vſum habeat, non autem accipiatur pro idoneis aptíſq;. Quæ interpretatio inſolens mihi videtur, multíſque aliјs (vt opinor) videbitur.

Quòd

Quòd ſi quis de eo quem dico vſu dubitet, Ethicorum Nicom. Ariſtotelis loci aliquot dubitare diu non ſinent. Ac primùm adeat finem libri 9, vbi τοὺς ἐπιεικεῖς oppoſitum τοῖς φαύλοις, ſicut & τοῖς μοχθηροῖς, inueniet. adeat & caput quintũ libri decimi, vbi ἡδονὴν ἐπιεικῆ oppoſitã τῇ μοχθηρᾷ, necnon ἐπιείκειαν & φαυλότητα inter ſe oppoſitas videbit. Quinetiam quodam loco quum πράττειν τὰ καλὰ dixiſſet, pauciſsimis verbis interiectis τὰ ἐπιεικῆ πράττειν dicit, eadem de re loquens. At in ſequentibus locis quomodo γνώμην ἔχειν (huc enim reuertendum eſt) exponemus? Hoc quoq; fateor videri poſſe inſolens, γνώμην ἔχειν ita dictum vt νοῦν ἔχειν: ſed potius quàm eò deueniamus vt vertamus, *ſententiæ dicẽdæ facultate præditos eſſe*, dixerim *iudicio præditos eſſe*: &, reddẽdo verbum verbo, *iudicium habere*. Sed tamen hæc quoad melius quid ſe obtulerit.

Ad tres autem illas virtutes quod attinet quæ ab Ariſtotele pluribus in locis recenſentur, pro illis quatuor quæ ab aliis enumerantur (quia φρόνησιν, id eſt *prudẽtiam*, inter virtutes non ponit, vt antè dixi,) quum eæ ſint, δικαιοσύνη, & ἀνδρεία, & σωφροσύνη, id eſt *iuſtitia*, & *fortitudo*, & *temperantia*: videndum eſt quomodo Politicorũ lib. 7, cap 1, quũ dixiſſet ἀνδρείαν, δικαιοσύνην, φρόνησιν, reddat his

non ἀνδρεῖον, δίκαιον, φρόνιμον: ſed δίκαιον & φρόνιμον & σώφρονα. Ita enim ibi legimus, ἀνδρεία δὲ πόλεως καὶ δικαιοσύνη καὶ φρόνησις τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν καὶ μορφήν. ὧν μετασχὼν ἕκαστος τῶν ἀνθρώπων λέγεται δίκαιος καὶ φρόνιμος καὶ σώφρων. Cur enim hîc σώφρων dicit, quum facta mentio σωφροσύνης non fuiſſet? ac nõ potius ἀνδρεῖος ab eo dicitur, quum ἀνδρεία præceſſiſſet? Ac ſequitur tamẽ Lambinus in ſua interpretatione eandem lectionem, *Fortitudo autem & iuſtitia & prudentia ciuitatis eandem vim & ſpeciem habent atq; illæ quas vnuſquiſq; mortalium conſequutus, iuſtus & prudens & tẽperans appellatur.* Quid verò de hoc dicendũ loco eſt? Abſit vt dicam σώφρων eſſe ἰσοδύναμον illi ἀνδρεῖος, & propterea eius loco poni: (etiamſi fortitudo quædam ſit poſſe à pleriſq; rebus temperare, quarum nos multum laceſsit cupiditas) ſed crediderim omiſsionem vnius nominis vtrobiq; eſſe cum particula connexiua: & ſcriptum fuiſſe ab Ariſtotele, ἀνδρεία δὲ πόλεως, καὶ δικαιοσύνη, καὶ σωφροσύνη καὶ φρόνησις: & in altera parte, δίκαιος, καὶ φρόνιμος, καὶ σώφρων, καὶ ἀνδρεῖος vel (ſi ordinẽ ſeruare voluit) ἀνδρεῖος, καὶ δίκαιος, καὶ σώφρων, καὶ φρόνιμος. Nam reiectam eſſe φρόνησιν in finem, ex eo credibile eſt quòd, quum virtus non ſit, virtutibus immiſceri non debuerit: ſed præcedere virtutes, ſicut in proximè præcedentibus

tibus dixerat χωρὶς ἀρετῆς (perinde acſi dixiſſet ἀρετῶν) καὶ φρονήσεως: non autem, φρονήσεως καὶ ἀρετῆς. Trium certè illarum mentionem illum facere pleriſq; in locis videmus.

Eadem nobis proponitur dubitatio, ſiue idem ſcrupulus, & in iſto loco, quem habet finis libri primi, vbi poſtquam dixit, ἐλευθεριότητα καὶ σωφροσύνην eſſe ἠθικὰς, huius dicti rationẽ reddens, ſubiungit, λέγοντες γὰρ περὶ τοῦ ἤθους, οὐ λέγομεν ὅτι σοφὸς ἢ συνετὸς, ἀλλ' ὅτι πρᾶος ἢ σώφρων. Quis enim nõ dicat hęc duo, πρᾶος ἢ σώφρων, duobus illis, ἐλευθεριότητι & σωφροσύνῃ, non reſpondere? ſed vel illic πραότητα καὶ σωφροσύνην, vel hîc ἐλευθέριος ἢ σώφρων legi debere? Illud tamen malo. Credibile verò & iſtud eſt, plures quàm duas virtutes ἠθικὰς recenſuiſſe: ac fieri etiam poteſt vt ſcripſerit in priori parte, ἐλευθεριότητα δὲ καὶ πραότητα καὶ σωφροσύνην, & in poſteriori, ἀλλ' ὅτι ἐλευθέριος, ἢ πρᾶος, ἢ σώφρων. Niſi fortè & plura his exẽpla attulerat. Quidni verò ex primarijs etiã virtutibus reliquas duas (nam plures non agnoſcit) potuit in hoc numero ponere, & quidẽ ἐλευθεριότητα & πραότητα potius omittere? Tres quidẽ certè ex primariis ab eo enumerari pleriſq; locis videmus. Sic & libri 10, capite 7, τοῦ δικαίου (à quo potius ſolet incipere) deinde τοῦ σώφρονος & τοῦ ἀνδρείου mentionem facit. Quinetiam poſtquam dixit,

ὁμοίως

ὁμοίως δὲ καὶ ὁ σώφρων καὶ ὁ ἀνδρεῖος, addit, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστος. Sed tamen initio capitis 8, eiuſdem libri, ponit tãtùm δίκαια καὶ ἀνδρεῖα: verùm adiiciens, καὶ τὰ ἄλλα τὰ κατὰ τὰς ἀρετάς.

CAPVT VIII.

DE VIRTVTE quæ ſint hiſtoricorum & poetarum ſententiæ.

DE VIRTVTE, (id eſt, περὶ τῆς ἀρετῆς, ſiue περὶ τῆς ὅλης ἀρετῆς, vtroque enim modo loquitur Ariſtoteles:) ſiue de virtutibus, (id eſt περὶ τῶν ἀρετῶν, vt idem loquitur:) multa dici aliter ab hiſtoricis & à poetis, quàm à philoſophis, conſtat: ab hiſtoricis, inquam, & poetis, non quidem ex profeſſo (vt vulgo loquimur) tractantibus hoc argumentum: ſed vbi vel per digreſsionem de virtute ſeu virtutum quapiam loquũtur, aut ex eo quod de aliquo virtute aut virtutũ quapiam prędito iudicium faciunt, ſuam de hac præclara dote animi ſententiam nobis declarant. Virtutem appello dotem animi præclaram ſeu ſummum animi bonum, & præclarum (vocaturus, etiam præclariſsimũ bonum ſeu dotem præclariſsimam, ſi Latinitas pateretur) ſed non & dotem corporis, aut bonum corporis: quamuis vnum ex hiſtoricis, & quidem ſi non primariis, iis certè qui ab eo gradu parum abſunt, decus hoc

corpori cum animo facere commune, dicere poſsimus. Audiuimus enim in ſuperioribus Suetonium Tranquillum ita loquentẽ, *omnes corporis animiq́ virtutes.* & in ſequentibus etiam (quod indignitatẽ auget) vbi ſuæ vtrique virtutes aſsignantur, à corporis virtutibus incipientem: aut à corporis virtute, quum vnius tantùm dotis mẽtionem faciat quæ tribui poſſe corpori videatur. Neq; verò me offendit, ſuam & corpori virtutem tribui: ſed eo dari modo quo datur animo ſua, illud eſt quod me offendit. Alioqui enim, ſi ab ipſo Ariſtotele tribuitur & equo ſua virtus, ſi & veſtimento, rei inanimatæ, ſi oculo deniq;, qui eſt pars corporis: (vt omittã eos locos, vbi dicit, πᾶσα ἀρετὴ, ἡ αὐτὴ ἀρετὴ) cur nõ & corpori daretur? Atq; adeo videmus, ipſum τὴν τοῦ σώματος ἀρετὴν in hoc ipſo opere dicere, Ethic. Nicom. lib. 1, cap. 13, ἀρετὴν δὲ λέγομεν ἀνθρωπίνην, οὐ τὴν τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὴν τῆς ψυχῆς. Id eſt, *Virtutem autem humanam dicimus, non eam quæ eſt corporis, ſed eam quæ eſt animi.* Quũ enim ita loquitur, corpori quoque ſuam tribuere videtur: ſed quæ non ea ſit de qua agit. Quod ſi ita loquutus eſſet, ἀρετὴν δὲ λέγομεν ἀνθρωπίνην οὐ τοῦ σώματος, ἀλλὰ τῆς ψυχῆς, dubium eſſe forſitan potuiſſet, an & corpori ſuam relinqueret. Sed obſeruandum eſt dici cum articulo vtrobique illi

accu-

accuſatiuo ἀρετὴν iuncto, οὐ τὴν τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὴν τῆς ψυχῆς. Q.d. οὐ τὴν τοῦ σώματος ἀρετὴν οὖσαν (vel καλουμένην, aut λεγομένην) ἀλλὰ τὴν τῆς ψυχῆς. Quò reſpiciēs ita ſum interpretatus, *non eam quæ eſt corporis, ſed eā quæ eſt animi*. At qui illud non animaduertētes, ita vertērūt, *Virtutem autem humanam dicimus, non corporis, ſed animi*: illam quā dixi dubitationem reliquerūt. Neque tamen ſum neſcius, & noſtrum Lambinum eodem vertiſſe modo, mutatis tātùm duob. verbis in alia ſynonyma, & bis poſito accuſatiuo *virtutem*. Ita enim & ille, *Virtutem porrò humanam appellamus, non corporis ſed animi virtutem*. Sequitur verò, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν δὲ, ψυχῆς ἐνέργειαν λέγομεν. id eſt, *Quinetiam beatitudinem, animi operationem dicimus*. At in iis quæ proximè præcedunt, (vt ſcias qua de re agatur) habes, περὶ ἀρετῆς δὲ ἐπισκεπτέον, ἀνθρωπίνης δηλονότι. καὶ γὰρ τὸ ἀγαθὸν ἀνθρώπινον ἐζητοῦμεν, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἀνθρωπίνην. Id eſt, *De virtute autem diſquirendum, humana videlicet. Nam bonum* (ſiue *ſummum bonum*) *humanum, & beatitudinē humanam quærebamus*. Cum quo loco optimè conuenit iſte, quo clauditur caput 10, eiuſdē libri, μακαρίους δὲ, ὡς ἀνθρώπους. Cæterùm quod ad illos interpretes attinet qui in illo ſuperiore loco articulos, tanquā nullā vim habentes, neglexerunt, eſt quod te obiter moneam,

moneam,ab illis eadem in re in aliis quoque Ariſtotelis peccari locis: minus tamen frequenter à Lambino quàm ab alijs.

Verùm, vt ad Suetonium reuertar, poſſe alioqui quempiam corpori quoq; virtutem ſuam (id eſt τὴν οἰκείαν, vt loquitur Ariſtoteles) tribuere, non ſolùm is qui modò allatus fuit locus oſtendit, oſtendúntq; ea quæ de latè patente & apud Ariſtotelẽ vſu huius vocabuli antea dixi: ſed & quidam in Rhetoricis locus (nam huius tantùm nũc recordor) lib.1.cap.5, vbi τὴν τοῦ σώματος ἀρετὴν eſſe ait τὴν ὑγίειαν. id eſt ſanitatẽ. Sed meminiſſe hîc lectorem velim eius quod non multo antè ſcriptum à me fuit: & conſiderare, etiamſi Ariſtoteles hîc non ſanitatem, ſed formã, cum illo hiſtorico, dixiſſet, tamen non perinde futurum fuiſſe acſi duos huius nominis valde diuerſos vſus eodem quo ille modo confudiſſet. Nã quis neget, vbi de animo dicitur id vocabulum, ſuum vſum habere, at vbi de corpore, per abuſum dici? Neq; tamen Ariſtoteles, vbi ἀρετὴν dici etiam oculi, equi, veſtimenti, ſcribit, abuſum hîc eſſe admonet: verùm Cicero nos commonefacit, virtutis nomine nos abuti quũ arboris vel equi virtutem dicimus. Quid quòd Plautus & virtutem formæ dicere auſus eſt? an hoc pro Suetonio facit? Nequaquã. nam quum in Moſtella-

ſtellaria ſcribit, *Virtute formæ id euenit, te vi deceat quidquid habeas:* non intelligit aliud quàm τῇ δυνάμει, vel τῇ ὑπεροχῇ. perinde ac ſi diceret, Tanta eſt vis formæ tuæ. vel, Tanta eſt præſtantia, vt deceat te quidquid habes. Vt verò minus quis miretur eum ita hic loqui, in cauſa eſſe poſsit quòd & merci virtutem tribuit: *Sicuti merci pretium ſtat pro virtute vt vaneat.*

Ad illũ autẽ vocabuli *virtus* vſum quod attinet, cuius antè facta mentio fuit, (quum eundem illi tribuerem quem paſsim apud Homerum habet ἀρετὴ, declarans nimirum bellicam fortitudinem) nõ dubium eſt quin & apud hiſtoricos, ſicut & apud poetas, eũ ſæpe habeat. Sed abutuntur poetæ interdũ, nõn etiã hiſtorici. audimus enim non ſolùm *Tunc pudor incẽdit vires & conſcia virtus:* item ―*dolus, an virtus, quis in hoſte requirat:* necnõ *locum virtute ſecundum tenere*, vel *primum:* (quinetiam *virtutũ omnium cinis Troia*, apud Catullum, perinde acſi quis fortitudinum omniũ diceret. id eſt, in qua fortiſsimus quiſque periit (nec tantùm cum epithetis quæ illam honorant: veluti vbi dicitur *ignea*, vel *animoſa*, vel *feruida*, vel *indomita:* ſed etiã cum aliis quæ eam dedecorãt. dicitur enim interdum eſſe *atrox*, item *effera*, & *ferox*, atque adeo *crudelis*. In quibus manifeſtus eſt abuſus: ſicut

ut & vbi *temeraria* quædã audit Quidnam igitur his eſſe in locis dicemus? In his certè locis fortis nõ eſt alius quàm qui *manu promptus* dicitur à Liuio. & *fortitudo* eſt talis *prõptitudo*: ſiue *promptitudo ad arma.* Ac quum *virtus* hæc, vbi eius appellatione nõ abutuntur, ſine armis non intelligatur, tamen interdum hæc addunt: vt legimus apud Lucretium, *defendere terram patriam armis ac virtute.* quum alioqui & *armorum virtus* dicta ſit, ſicut & *virtus bellica.* Cui ſimile eſt, *viuida bello virtus.* à Cicerone autem & *bellandi virtus* dicitur, vbi ſcribit, *Non enim ſolùm bellãdi virtus in ſummo atq; perfecto imperatore quærenda eſt.* quum poſſet voce *virtus* eſſe contentus: ſicut & Græci ſua voce ἀρετὴ in ea re exprimenda ſunt contenti. Sic & Cæſarem contentum eſſe *virtutis* voce, ea de re loquentẽ, videmus: *Belgæ, quorum maxima virtus.*

Ad illam autem *armorum* appellationem quod attinet, non apud poetas tantùm, ſed apud hiſtoricos etiam, de hac virtute interdum dicuntur, quòd illis exerceatur. vnde etiam *armis conſiliiſq;* in quodam panegyrico pro *fortitudine & prudentia.* Sed quãuis fortitudo propriè dicta, quatenus vna virtutũ eſt moralium, arma ſua eſſe iuſta velit: tamen apud poetas, nec minus apud hiſtoricos, eã etiam quæ arma iniuſta capit, eundem acci-

pere titulum & laudẽ videmus: ac nihil penſi habere an conuenire ei poſsit Stoicorum definitio, qua eam eſſe virtutem dicunt quæ pro æquitate pugnat: miniméq; velle his verbis aurem præbere, *Fortes & magnanimi ſunt habendi non qui faciunt ſed qui propulſant iniuriam.* Quo autem minus haberi huius rei ratio ſolet, eo rarior ac maior eſt laus iſta quam Nazarius Conſtantino tribuit, *Tantum enim inter arma bona conſcientia ſibi vindicat, vt iam cœperit non virtutis magis quàm integritatis eſſe victoria.* Vnde apparet, hoc taquã extraordinarium quiddam eſſe in fortitudine, vt quæ ſunt æquitatis, curanda ſibi putet: ac verum eſſe quod à Cicerone ſcribitur, Difficile eſſe, quum quis præſtare omnibus concupiuerit, ſeruare æquitatem: quæ eſt iuſtitię maximè propria. Hinc etiam fit vt nec hiſtorici nec poetæ eum quem ab vna virtute laudant, præſertímq; eum quem à fortitudine, ei cæteras quoq; ineſſe affirment: etiamſi illius panegyrici autor, paulo ante illa quæ attuli verba, de hac connexione perinde loquatur acſi exemplis non raris confirmaretur. *Sed nimirum* (inquit) *rectè à ſapientibus ponitur connexio inter ſe apta virtutum. Sic enim mutuò & opera iuuat* (ſed *iuuãt* potius ſcribo) *& fructũ opera partiũtur, vt facilè appareat inſeparabilis & indiſcreta permixtio.* Vel ea certè

te quæ aliquãto pòſt ſequuntur, ubi ſcribit, *vt iam cœperit non virtutis magis quàm integritatis eſſe victoria*, oſtendunt, eam connexionem rarò habere locũ, in fortitudine præſertim bellica: quæ hîc quoq; virtus dicitur.

Cæterum & hiſtorici & poetæ, & hi quidem potiſsimum, huic virtuti principatum quodammodo tribuunt. vnde & videmus, eam ex virtutibus ſolam (ſicut ante dictum eſt) quum ſit ſpecies, generis appellationem ſibi vindicare. Nec Cicero his aduerſatur, De Offic. lib. 1. Sed & Ariſtotelem dicẽtem audimus, εἰ δὴ τῶν μὲν κατὰ τὰς ἀρετὰς πράξεων αἱ πολιτικαὶ καὶ πολεμικαὶ κάλλει καὶ μεγέθει προέχουσιν. Vbi videndum ne omiſſa fuerit vocula αἱ ante particulam καί: (quæ eo facilius omitti potuerit quòd hæc ipſa particula καὶ & vocabulum πολεμικαὶ in eandem ſyllabam deſinerẽt) quum ſcripſiſſet Ariſtoteles, αἱ πολιτικαὶ, αἱ καὶ πολεμικαί. Ad hanc coniecturam me adducit hic potiſsimum locus, ἔστι δὲ καὶ ἡ τοῦ πολιτικοῦ, ἄσχολος, καὶ παρ' αὐτὸ τὸ πολιτεύεσθαι, περιποιουμένη δυναστείας καὶ τιμάς. vt hinc intelligamus, in illo altero loco, πολιτικὰς eſſe interdũ & πολεμικάς: quũ dicat παρ' αὐτὸ τὸ πολιτεύεσθαι. Niſi autem vererer ne maior mutatio faceret vt minus fidei emendationi meæ tribueretur, dicerem ita ſcriptum fuiſſe, αἱ πολιτικαὶ, καὶ μάλιστα αἱ πολεμικαὶ, κάλλει καὶ μεγ. Fateor alio-

qui dixiſſe antea, tanquam hæc ſeparando, ἐν τοῖς πολιτικοῖς, ἢ τοῖς πολεμικοῖς. Sed nouũ hoc non eſt, eandem rem vno in loco ſub alia cõprehendere, in altero ſeorſum ponere, & ab illa diſtinguere. Aliam verò tibi proponã emendationẽ cuiuſdam loci, qui paruo pręcedit interuallo: quam licet coniecturalem pariter eſſe non negem, tamen fide digniorẽ eſſe contẽdo. Ac primùm pauca hęc præfabor, multa eſſe apud Ariſtotelem quæ negotium faceſſunt, (& quidem interdum vbi ratio quam reddit non videtur ſatis conſentaneè iis qui præceſſerũt reddi) ob voculam ſeu paucas voculas quæ deſunt, aut propter vocabula quæ in aliorum locum irrepſerũt. Exempla & antè attuli, & nunc vnum afferã. Quum dixiſſet Ariſtoteles paulo ante eum quem attuli locũ, δοκεῖ τε ἡ εὐδαιμονία ἐν τῇ σχολῇ εἶναι. ἀσχολούμεθα γὰρ ἵνα σχολάζωμεν, καὶ πολεμοῦμεν ἵνα εἰρήνην ἄγωμεν. Id eſt, *Ac videtur felicitas in otio eſſe ſita. negotioſam enim vitam agimus vt otioſam agamus*, (ſicut & antea dixi videri nos poſſe aptiſsimè reddere) *& belligeramus vt in pace viuamus*. Quum (inquam) hęc dixiſſet, ſubiungit iſta, τῶν μὲν οὖν πρακτικῶν ἀρετῶν ἐν τοῖς πολιτικοῖς ἢ τοῖς πολεμικοῖς αἱ ἐνέργειαι. αἱ δὲ περὶ ταῦτα πράξεις δοκοῦσιν ἄσχολοι εἶναι. αἱ μὲν οὖν πολεμικαὶ, καὶ παντελῶς· οὐδεὶς γὰρ αἱρεῖται τὸ πολεμεῖν τοῦ πολεμεῖν ἕνεκα. Id eſt, *Earum porro virtu-*

virtutum quæ in actione ſitæ ſunt effecta aut in ciuilibus aut in bellicis reb. verſantur. ac eæ quæ circa has res ſunt actiones, videntur in occupationibus eſſe poſitæ. Bellicæ res quidem certè ſunt omninò tales. nullus enim in animū inducit (ita enim hîc libet αἱρεῖται interpretari) *bellum gerere, ideo vt bellum gerat.* Primùm, nónne hoc abſurdum eſt, dicere quod omnes ſciunt, & quod aliter ſe habere natura nō pateretur, actiones videlicet in occupationib. eſſe poſitas? vel, actiones non eſſe otioſas? nam & ita reddi poteſt. Hoc dicere, quid dicere eſt? cui actionum mentio fit, nónne ſtatim occupationes, non otium, ſibi in animo repræſentat? Deinde poſtquam bellicas actiones dixit eſſe ex iis quæ occupationes habent, ſiue quæ in occupationibus poſitæ (aut deniq; ex iis quæ non ſunt otioſę) cur etiam probatione hoc egere dicemus? quòd ſi probatione eget, id quod ſubiungitur pro huius dicti ratione, quomodo conſentaneum eſt, atque ad id probandum valet? *Actiones bellicæ ideo dicendæ ſunt non carere occupationibus, quia nemo in animū inducit bellum gerere vt bellum gerat.* Primùm (vti dixi) quid attinebat ꝓponere illud de actionibus? & dicere illas non habere quod eſt ſibi contrarium? Deinde quale hoc eſt, velle id quod extra omnem controuerſiam eſt probare? Quòd ſi tamen

libebat probare, qualis hæc probatio eſt? At vide quàm paucæ voculæ, vel potius quàm paucę ſyllabæ, his omnib. malis medeantur: id eſt, his omnib. obiectionibus obſiſtãt: vel potius, ne in mentem quidem venire eas ſinant. ſi videlicet ſcribas (ſequẽdo & hîc meã coniecturam) *αἱ δὲ περὶ ταῦτα πράξεις διὰ τοῦτο δοκοῦσιν ἄσχολοι εἶναι*. aut (alio ordine verba collocando) *αἱ δὲ περὶ ταῦτα πράξεις δοκοῦσι διὰ τοῦτο ἄσχολοι εἶναι*. Vide enim quàm bellè omnia cohæreant hoc modo, *Ideo in negotiis verſamur, vt in otio viuamus:* (vel, *in occupationibus verſamur, vt occupationibus careamus*) *& belligeramus, vt in pace viuamus: ac, quũ virtutum quæ ſunt actrices, actiones* (vel *effecta*) *in rebus ciuilibus aut bellicis ſitæ ſint, ea quæ has circa res aguntur, videntur nos* ea de cauſa *occupatos tenere* Qua de cauſa nos occupatos tenere? vt occupationibus careamus. ſiue, vt in otio viuamus. Ac ſequentia ſubiungẽtur aptè, illa verba cum iis quoque ſubaudiendo: perinde acſi ſcriptum eſſet, *αἱ μὲν οὖν πολεμικαὶ, καὶ παντελῶς διὰ τοῦτο ἄσχολοι εἶναι δοκοῦσι*. Cæterùm, vt redditum fuerit illic *ἀσχολεῖσθαι*, ita reddendum hîc erit *ἐν σχολῇ εἶναι*. Ac eſt quidem concinna interpretatio illa, *Negotioſam vitam agimus vt otioſam agamus*: ſed quoniam *ἀσχολεῖσθαι* ſeu *ἄσχολοι εἶναι* dici poſſunt illi etiam quibus non tot ſunt negotia vt eorum vita

nego-

negotioſa dici queat: ideo & aliud interpretationis genus quæſiui. Verũ ſi ibi has duas voculas inſeramus, quidni & in iis quę paucis interiectis ſequũtur, ante vel poſt ἄσχολος inſeremus? Nec video cur nõ & poſt αὕτη δὲ ἄσχολοι verba illa ponamus, aut certè ante ἄσχολοι. Sed illis verbis, οὐδὲ παρασκευάζειν πόλεμον, quid faciemus? cur enim de eo qui iam dictus eſt bellare, poſtea dicatur eum bellũ parare? Suſpicor certè Ariſtotelẽ vſum eſſe verbis quæ ſignificarent, *Nemo enim in animum inducit bellum gerere vt bellum gerat, & nunquam ei finem imponat.* Sed quòmodo ſub his οὐδὲ παρασκευάζειν πόλεμον aliqua quæ iſtud ſonent, & tamen ſcripturam non valde diſcrepantem habeant (vt eam boni coniectores quærere ſolẽt) inueniemus? Aliquid mihi in mentem venit: ſed amplius cogitandum cenſeo. Illud addo, ſi παρασκευάζει πόλεμον legatur, multo aptiorem lectionem fore: quũ natura prius ſit αἱρεῖσθαι τὸ πολεμεῖν: at poſterius, παρασκευάζειν πόλεμον.

CAPVT IX.

DE DEFINITIONE virtutis Horatianæ.

De virtutum primariarum numero hiſtoricos etiam & poetas ab Ariſtotele diſſenſiſſe.

Prudentiæ datum & nomen Sapientiæ fuiſſe, ſed non ſine abuſu.

De Ciceroniana tractatione ethices.

DEFINITIONEM autem virtutis an apud hiſtoricos etiam & poetas inueniemus? Nullam apud vllum hiſtoricum memini me legere: apud duos poetas memini, quorum vnus eſt Horatius,

Virtus eſt vitium fugere.

Sed qualis hæc definitio? éſtne ſatis vitium fugere? Ego hîc primùm quidem expoſitionem quandam afferam à me excogitatam (nam apud nullum eam memini me legere) & inter Schediaſmata relatam, ex quo ſecūdam Horatij meis ſcholiis illuſtrati editionem dedi. Quum totus poetæ huius locus ſit hic,

Virtus eſt vitium fugere: & ſapientia prima,
Stultitia caruiſſe:

exiſtimo, ſicut non dixit, *ſapientia eſt, ſtultitia caruiſ-*

caruiſſe, ſed *ſapiētia prima eſt, ſtultitia caruiſſe*: ita etiam intelligi à nobis voluiſſe, non ſimpliciter, *virtus eſt vitium fugere*: ſed, *virtus prima, eſt vitium fugere.* vt illud *prima* quo verſus clauditur, vtriq; nomini ſeruiat: id eſt, cū vtroq; ſumatur. Quod nec carere exemplo dici poteſt. Hoc ſi obtinuero (quod non difficile futurum ſpero apud æquos iudices, & Horatio non infenſos) inueniam & locum apud Ariſtotelem quo eum adiuuē. Vel potius is inuentus iam eſt, Ethic. Nicom. libri ſecundi capite vltimo. *πολὺ γὰρ ἀπαγαγόντες τοῦ ἁμαρτάνειν, εἰς τὸ μέσον ἥξομεν.* id eſt, *Quū enim nos à peccato longiſsimè abduxerimus, ad id quod eſt medium veniemus.* Hoc medium autem eſſe virtutem ſcimus. Horatius igitur quum ſcribit, *Virtus prima eſt vitium fugere*, dicere poſſumus perinde eſſe acſi diceret, eum qui vitium fugiens, ab eo ſe iam aliquantum abduxerit, iam non tam remotum eſſe à medio (quod eſt virtus) quàm antè fuerat. Quinetiam quod quidam dixerūt, virtutes nihil aliud eſſe quàm *ἀπαθείας τινὰς* & *ἠρεμίας*, pro Horatio facere dici poteſt. de qua definitione lege Ariſtot. in Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 3. & in Eudem. lib. 2. cap. 4. vbi addit *περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας.*

Antequam verò vlterius pergam, hoc de Horatio ſimúlq; de cæteris poetis dicā, non

debere lectorem exiſtimare, eos quę ad philoſophiam pertinentia ſcripſerunt, abſq; aliquorum philoſophorũ, aut alicuius philoſophi autoritate, & quidem celebris, ſcripſiſſe. Nam & comicos (præſertimq; Græcos) nõnulla etiam quæ de ſuo afferre videntur, ex philoſophis petiiſſe, oſtendo in meis Schediaſmatis.

DE NVMERO autem virtutum quę primariæ & ſunt & habentur, & cardinales vulgo appellantur, cum hiſtoricis conſentire poetæ videntur. Atq; vt inter ſe conſentiunt, ita & philoſophis omnibus aſſentiuntur, paucis exceptis: ex quibus eſt Ariſtoteles, PRVDENTIAM in earum numero non ponens, vt antea dictum fuit: quum ab aliis contrà non ſolùm locus illi detur, ſed à nonnullis primus. Inuenio eam & *prouidentiã* vocatã, aliquot in locis, ex quibus duos proferam. Vnus eſt in panegyrico qui Maximiano & Conſtantino dictus fuit, *Quid prouidentia tua dignius facere potuiſti, quàm vt eius filio quem tibi pridem & affinitate adſciueras & maieſtate ſociaueras, nunc ex intimis affectibus traderes ſummi pignus imperij?* Prudentiam tamen, non prouidentiam, in ipſa enumeratione dixerat. *Neque enim forma tantùm in te patris, Conſtãtine, ſed etiam Continentia, Fortitudo, Iuſtitia, Prudentia ſeſe votis gen-*

tium præſentant, ſi modò autor ita hæc poſtrema verba ſcripſit. Et pag. ſequẽte, *Nam quid ego de prudentia dicam, qua te pœnè credimus fore ipſo patre potiorem?* Alter locus eſt in Mamertini gratiarum actione de conſulatu ſuo, ad Iulianum, *Niſi fortè exiſtimamus patientes vulnerum formas eſſe virtutum. Scilicet & candorem Æquitatis potuit obumbrare, & à Temperantia purpurã ſancti ruboris abolere, vicem* (quod mendoſum puto) *Fortitudinis indignis confodere vulneribus, eruere oculos Prouidẽtiæ.* Sed ad illum priorem locum quod attinet, fortaſſe vtcũq; vox iſta in eo tolerari poſſit: at *Prouidentia* pro *Prudẽtia* vereor ne hîc ex errore habeamus: ſicut & quibuſdam aliis in locis. Prouidentiam certè ita dari hominibus ſcimus (ſicut & aliquis dicitur *prouidus*, & *mens* eius *prouida*: interdum *prudens & prouidus*) vt tamen diis frequẽtius tribuatur. Non ignoro interim, Ciceronem lib. 2, De inuentione rhet. *prouidentiam* conſtituere vnam ex tribus prudentiæ partibus.

Cæterùm & *Sapientiam* aliquando cum Prudentia cõfundi & ab hiſtoricis & à poetis ſcimus: quum videamus contrà cùm ab aliis philoſophis tum verò ab Ariſtotele magnum inter φρόνησιν & σοφίαν diſcrimen conſtitui. & non iniuria id quidem. Quo magis miror, Ciceronem, quum de Prudentia ageret,

ret,eam vocaſſe etiã Sapientiam: & quidem alicubi hæc copulauiſſe: vt De off. libro 1, *in qua parte ſapientiam & prudentiam ponimus.* Ibidémq; paulo poſt, *prudentiſſimus & ſapientiſſimus.* (Vbi obſerua etiam cõtrario hæc illis ordine collocari) quum non eodem Ariſtotelem modo τὴν φρόνησιν & τὴν σοφίαν, vel τὸν φρόνιμον & τὸν σοφὸν (nam gradu poſitiuo potius contentus eſſe ſolet) coniungere videamus. Quinetiam aliis nominibus hanc ipſam virtutem appellat: videlicet *perſpicientiam veri ſolertiámq;* (quam *ſolertiã* videmur poſſe δεινότητα ex Ariſtotele interpretari: vt *malitiam*, eo in loco, *de prudentia quam vult imitari malitia*, πανουργίαν, ex eodẽ) Nec multo poſt *cognitionem veri* dicit. Nequaquã tamen quod de *ſapientia* dicit, eam *præſtare vitam beatam*, & alibi eam *effectricem vitæ* (ſicut τῇ σοφίᾳ hanc dari laudem videmus) de *prudentia* id dixiſſet. Multo etiã minus huic definitionem eam dediſſet, quam illi tribuit, vbi dicitur eſſe *rerum diuinarum & humanarum ſcientia, cogitatióq; qua cauſa cuiuſq; rei ſit.* Ita enim deſcribitur *ſapientia*, Tuſcul. quæſt. libro quarto: ſiue Cicero ita ſcripſit, ſiue poſterior pars ſuppoſititia eſt, quũ illa quæ de ea dicũtur, ex præcedẽtibus poſſint intelligi. Quinetiam in proximè ſequentibus, vbi legimus, *Ex quo efficitur vt diuina imitetur,*
huma-

humana omnia inferiora virtute ducat: videndum ne *imitetur* male ſcriptum ſit pro *miretur*, & *virtute* pro *ſua virtute.* ſic tamen vt ille locus magis quàm hic mihi ſuſpectus ſit, & hunc potius quàm illum tolerari poſſe exiſtimem. Quamuis igitur ſciret Cicero quid ſonaret *ſapientia*, & quanta res eſſet, tamen eũ hac appellatione ita vſum eſſe videmus: (ſi pro abuſu dicere vſum fas eſt) quinetiam imperatori ſapientiam tribuiſſe. Hoc facit vt hiſtorici veniã facilius impetrare poſsint vbi hæc duo confuderunt: quod & illi orationum panegyricarũ ſcriptores ſibi interdum permiſerunt. Sic & *ſapienter* idem ſonare dicemus quod *prudenter* (& ita quidem vt illud huius occupare locũ videri poſsit) in illa quæ Maximiano & Conſtantino recitata fuit: *Geſſeris enim multa fortiter licet, multa ſapienter, quum per max. &c.* Hanc porro ſapientiam imperatoriam, ſiue (quod vſitatius eſt) prudentiam, ſæpe fortitudini adiungi, & huic tanquã ducem dari, antea me puto monuiſſe.

Cæterùm non dubito quin multa Cicero in maioris etiam momenti rebus ſibi permiſerit: & primùm quidem quos ſibi præ cæteris ſequẽdos philoſophos propoſuerat, quin ne eos quidem vbiq; ſequutus ſit, ſed in multis ab iis diſceſſerit. Ac de Panætio certè fatetur,

tetur,

tetur, De off. 3, ſe eũ potiſsimũ ſequutũ eſſe, ſed tamẽ correctione quadã adhibita. Ac magni tamen fieri ab eo illum aliquot nobis loci teſtantur. *Panætius* (inquit Acad. quæſt. lib. 4.) *princeps propè, meo quidem iudicio, Stoicorum.* Et in illo ipſo loco libri 3, De off. *Panætius igitur* (inquit) *qui ſine controuerſia de officiis accuratiſsimè diſputauit.* Et verò quod de eodem ſcribit in fine libri quarti De finibus, *Quam illorum* (Stoicorum) *triſtitiam atq; aſperitatem fugiens Panætius, nec acerbitatẽ ſententiarũ nec diſſerendi ſpinas probauit.* Ac poſſit quis fortaſſe dicere, hæc quæ afferam, inter quæ & Panætij habetur ſententia de voluptate, teſtari quod ſcribit Cicero, illum diſſerendi ſpinas non probauiſſe. nàm quũ ex cæteris Stoicis plerique dicerẽt eſſe quiddam ἀδιάφορον καὶ οὐ προηγμένον: Cleanthes verò, μήτε κατὰ φύσιν εἶναι, μήτε ἀξίαν ἔχειν αὐτὴν ἐν τῷ βίῳ: Archedemus, κατὰ φύσιν μὲν εἶναι, οὐχὶ δὲ καὶ ἀξίαν ἔχειν: Panętius dicebat, τινὰ μὲν κατὰ φύσιν ὑπάρχειν, τινὰ δὲ παρὰ φύσιν. Quum igitur tales ſpinas vitâret Panętius, non mirum ſi minus ſpinosè de virtutibus & de officiis à Cicerone diſſeritur quàm pro more Stoicorum. Sed tamẽ & multa eius aliorúmque nonnullorum, quos etiam ſequebatur ex parte, prætermiſiſſe & multa viciſsim ſua adieciſſe exiſtimo, vbi de officiis agit. Sed non-

nulla

nulla ſunt quæ quum ex nonnullis Græcis philoſophis aut eorum aliquo ſumpſiſſe veriſimile ſit, tamen quænam eſſent eorum aut eius Gręca, controuerſia non caret. Exempli gratia, vbi *quædam non voluntariæ virtutes*, cō trà autem *quædam voluntariæ* conſtituuntur. Nam hìc *voluntatem* à qua voluntariæ proficiſcuntur, quid eſſe dicemus? an προαίρεσιν eſſe? Si προαίρεσιν eſſe velimus (vt ſcimus hāc virtutibus ſolere tribui) volūtas aliud ſit nobis neceſſe eſt quàm quod Ariſtoteli eſt βούλησις (nam hæc non eſſe eadem oſtendit) aut Ariſtoteli repugnemus. Sin βούλησιν (quod ſonat) eſſe velimus, obiicietur, non ſatis eſſe τὴν βούλησιν. Atq; hîc omittendū nō eſt, quoſdam philoſophos videri idem τῇ κρίσει tribuiſſe quod alij τῇ προαιρέσει tribuerint. Scimus enim nonnullos dixiſſe, quædam eſſe quæ homines κατὰ κρίσιν διώκουσι, vel φεύγουσι. & de his ipſis dixiſſe αἱρέσεις & φυγάς. Quod autem προαιρούμεθα, id αἱρούμεθα προκρίνοντες. & Ariſt. τὸ κρίνειν dat προαιρέσει. Cicero quoque De fin. libro 1, de temperantia loquens, *Nec enim ſatis eſt iudicare quid faciendum non faciendúmve ſit*. Paulo poſt autem verbo *ſtatuere* vtitur. Dicet aliquis, Ciceronem quas ἀκουσίους Græcus dixerat, appellaſſe *nō voluntarias*, itidémq; quas ἑκουσίους, *volūtarias*. Sed non eſt veriſimile, illū magnas & veras vir-

tutes non alio titulo quàm hoc ornaſſe: quũ *προαίρεσιν* videri quidẽ eſſe quiddam *ἑκούσιον*, ſed nihilominus non eſſe & dicat & oſtẽdat Ariſtoteles. Qua tamen de re aliorum eſto iudicium. Miretur autem aliquis & hoc, *virtutes* illas quatuor *voluntarias, prudẽtiam, temperantiam, fortitudinem, iuſtitiam* (nam ita vocat, & hoc ordine collocat) non ſimpliciter dici tales eſſe, videlicet *voluntarias*, ſed etiam *magnas veráſq́*. Quid? an vice verſa alteræ, quas non voluntarias vocauit, ſunt *parua miniméq́ veræ?* Non immeritò certè quis hoc ex illis ſequi poſſe dicat. Fortaſſe tamen alteras illas, ne virtutes quidẽ eſſe, multi Ciceroni contradicentes, contendiſſent. alteras inquam illas, inter quas *docilitatem* & *memoriam* ponit. In hunc autem ideo ſermonem veni quòd videam hiſtoricos ita quaſdam res appellaſſe virtutes, quibus philoſophi nequaquam titulum *ἀρετῆς* darent: niſi ad latè patẽtem illum vocabuli *ἀρετὴ* vſum reſpiciendo, de quo in ſuperioribus dixi, & à virtutibus moralibus eas ſeparãdo. Iam verò & de hoc monere te volo, nonnulla de moribus & virtutibus moralibus ita dicta eſſe à Cicerone, vt ſi quis ea cum iis quæ alibi dixit conferat, non cõſtare eum ſibi dicturus ſit. Ac, ne lõgè abeamus, (alia enim alioqui magis inſignia exẽpla proferri poſſent)

quum

quum quatuor illas virtutes eſſe volũtarias dicat, tamen de liberalitate loquens, quæ ex vna earum naſcitur, dicit pleroſq; non tam natura eſſe liberales, quàm quadã gloria ductos, vt benefici videãtur, facere multa, quæ videntur ab oſtentatione magis quàm à voluntate proficiſci. Atqui ſi ex voluntariis eſt virtutibus, quomodo id quod facit, à voluntate non proficiſci quis dicet? Sed dicẽdum potius erat, non à tali voluntate quali decebat proficiſci. Illud autẽ de *memoria* dici poteſt repugnare ei quod de ea ſcribit in opuſc. De inuentione rhetorica, quum illam ibi nõ ſub alio genere virtutum ponat, ſed prudentiæ partem faciat. Iam verò & de *docilitate* eũ alibi aliter loqui, minimeq; eam inter virtutes collocare videmus.

CAPVT X.

DE VIRTVTIBVS tribus primariis de quibus inter omnes conuenit. De quibuſdã quæ apud hiſtoricos vel poetas annotanda ſunt ſuper his.

VIRTVTES autem de quibus inter omnes conuenit, tres ſunt, *Iuſtitia, Temperantia, Fortitudo*. quæ tamen & alio ab aliis ordine collocãtur: ita vt varia ſit collocatio. *Prudentiæ* quidam primum locum dederũt,

tanquam duci & anteſignanæ: quidam *Fortitudini*, quòd ei vni ipſum generis nomen interdum tribuatur, quum *virtus* ſine adiectione vocatur.

Quemadmodum autẽ pro *Prudentia* poni interdum *Sapientiam*, ante dictum eſt, ita nonnunquam IVSTITIA nomine AEquitatis appellatur, quamuis ab *AEquitate* diſtinguatur, (eo quidẽ modo quo ſpecies à genere diſtinguitur) tamẽ & hanc pro illa poni videmus, cùm alibi, tum in eo Mamertini loco qui paulo ante allatus fuit, vbi candorem ęquitatis dicit. Diſtinguit quidẽ certè & Cicero, quum libro De off. primo eam eſſe maximè propriam æquitatis ſcribit: *Difficile autem eſt, quum præſtare omnibus concupiueris, ſeruare æquitatem: quæ eſt iuſtitiæ maximè propria.* At verò illam *AEquitatem* non *Iuſtitiam*, ſed *Iuſtitiæ maximè propriam*, vt loquitur Cicero, (vnde fortaſſe quiſpiam dubitet an eam vocare ſpeciem iuſtitię debeat) quomodo Ariſtoteles appellaret? Vix aliud haberet quàm ἐπιείκειαν, quo vti poſſet. Ac quidam τὸ ἐπιεικὲς non ſolum *æquum*, ſed *æquum bonum* reddiderũt. Quemadmodum tamen quidam virtuti quæ *iuſtitia* dicitur, nomen dare *æquitatis* potuerũt, aut ſaltem auſi ſunt: non itidem certè ἐπιεικείας nomen p̄ro δικαι-

σύνης nomine poſuiſſet Ariſtoteles, nec (vt opinor) alius quiſquam philoſophus. Hoc quidem certè conſtat, non ſemper *æquum* ſiue *æquum bonum* eſſe ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου δικαίου, vt Ariſtot. de eo dicit quod ἐπιεικὲς appellat.

Iuſtitiam poetę interdum appellatione *recti* ſignificaſſe exiſtimantur: ſed Horatius quum dicit *rectum*, id eſt τὸ ὀρθὸν, αὐτὶ τῆς ὀρθότητος, vniuerſam virtutem intelligit: vt oſtendit in vno eorũ locorum quib. virtutẽ in medio conſiſtere docet. Nec verò nullus aliorũ eum hac in re ſequutus eſt. nam quid aliud apud Naſonem (vt de aliis taceam) *decor recti* quàm *decor virtutis* eſt? Sed monere volo, illum ipſum quem prius nominaui, in hoc etiam verſu, *Rectiq; cultus pectora roborant*, loqui de cultibus recti, id eſt, eius quod rectum eſt: non de cultibus rectis, vt paſsim vi demus exponi. In ſoluta quoq; oratione habemus illud *rectum*, ſicut & *honeſtum* ac *honeſtatem*, eo modo quo τὸ καλὸν apud Græcos dicta de virtute.

Hiſtoricos aũt & poetas animaduerti (ſed inter hiſtoricos Suetoniũ potiſsimũ, & inter poetas Claudianum) *iuſtitiam* velle in ſeueritatis potius partem propẽdere. nam apud Suetonium non vno in loco iuſtitiam cum ſeueritate iunctam inueni, vel potius ſeueri-

tatẽ cum iuſtitia, vtpote quũ ſeueritatis appellatio præcedat. Vnus locus eſt in Galba, capite ſeptimo, *Ordinauitq́, Africam prouinciam magna ſeueritatis ac iuſtitia cura, etiam in paruulis rebus.* Alterius loci non recordor qui vel idem vel ſimile vocabulum cum iuſtitia iunctum habet. Ad Claudianum verò quod attinet, *rigorem* is ſine adiectione dicit pro rigore iuſtitiæ: & quidem hunc rigorem in laude ponens, Carmine primo de laudibus Stiliconis, *Hunc rigor, hũc pietas*, &c. Pendent autẽ hęc à verbo *nobilitant*. Apud eundem Carm. tertio de iiſdem laudibus, *Pendat iuſtitia crimen, pietate remittat Errorem.* vbi non dubium eſt quin *iuſtitiam* vocet quod rigorem altero in loco appellauit: vt iuſtitia pro iuſtitiæ rigore dicatur. Sermone etiam noſtro quũ dicimus *Faire bonne iuſtice* (quod ſonat, reddendo verbum verbo, Facere bonam iuſtitiam) de ſeueritate magis intelligimus. Quòd ſi libet & ſententiã muſæ monitricis principum ſuper hac re audire, hos eius lege verſus,

Dici ſeuerum turpe non eſt principi.
Præſidio & ipſa iuſtitia ſæpiſſime
Seueritatis indiget, ſi vult ſuam
Autoritatem, ſi tueri ius ſuum.
Sed diligenter caueat hîc princeps velim,
Tantùm ſeuerus ne videtur dum ſibi,

Cru-

Crudelis ore iudicetur omnium,
Ad facta quædam tetra dum delabitur
Et ipſa gaudet qualibus crudelitas.
Geſſere titulum cæſares iſtum duo:·
Poterant ſed iſtos cæſares vbiq; vix
Seueritatis continere limites.

TEMPERANTIAM quum ab hiſtoricis quoq; dici *continentiam* alio nomine ſatis cõſtet, nec aliud iſto quàm illo ſignificari, mirum eſt ab ipſo quoq; Cicerone vnum alteri adiungi, & ita quidẽ vt hoc præcedat. Legimus enim libro De offic.3, *Reliquæ ſunt duæ partes honeſtatis: quarum altera in animi excellentis magnitudine & præſtantia cernitur: altera in cõformatione & moderatione continentia & temperantia.* Continentiæ quidem appellationem magis Græcæ ἐγκρατείας appellationi reſpondere, ſatis conſtat: ſed tamen eam quę à Gręcis ponitur inter ἐγκράτειαν & σωφροσύνην differentia, ſicut inter ἐγκρατῆ & σώφρονα, eam inter *continentiam* & *temperantiam* non reperias: ſicut nec inter *cõtinentem* & *temperantem*.

Sed *temperantiam* & poetæ & hiſtorici interdum de vna tantùm eius parte dicũt. Sic Claudianus de laud. Stil. lib.3, (ſed *temperies* ab eo dictum fuit, quum illud nomen *temperantia* verſum ſuum ingredi non poſſe cerneret) *Temperies, vt caſta petas: prudentia, nequid*

Inconſultus agas. Scimus enim, temperantiam multo latius τὰς ἑαυτῆς ὅρους ἐκτείνειν quàm hic à poeta iſto ὁρίζεται. Ac magis certè licet vel poetæ vel hiſtorico, in quapiam narratione, huius vel alius virtutis nomen vni tantùm eius parti (id eſt, vni parti muneris eius ſiue officij) tribuere, quàm in definitione. Ac certè illud potius quàm hoc, vtroſque ſibi paſsim permittere videmus: itidémque panegyricarũ orationum ſcriptores.

At iſtud neſcio cum quo alio hiſtorico commune habere dici poſsit Ammianus, quòd *temperantiam morũ* (vbi & genitiui huius adiectionem animaduerte) de lenitate etiam loquens dixerit. De *Temperantia* verò quæ adiuncta *Fortitudini* eſt moderatrix omnium commotionum, dicam in Fortitudine.

FORTITVDO ſeu *Magnitudo animi*, multo magis de ſuo iure & de ſua laude amittere videtur apud poetas quàm apud hiſtoricos. Quis enim hiſtoricus fortem virum, plorantem etiam inducit? at hoc fieri ab Homero videmus, necnon à quibuſdam aliis poetis. Atque hinc ortum illud eſſe videtur, ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες. Niſi ſcribendum eſt κ' ἀριδάκρυες ἄνδρες, pro καὶ ἀριδάκρυες, id eſt, etiam illi qui alioqui ſunt ἀριδάκρυες. Sic apud Tibullum, —*frangit fortia corda dolor*, intelligendum puto, etiam ea quæ ſunt for-

tia. Quanto enim magis dolor frangit corda quæ non ſunt fortia?

Ad hiſtoricos autem quod attinet, quum narrant & ipſi fortitudinem in aliquo voluptatibus ſuccubuiſſe, vel deliciis fuiſſe eneruatam: & illos huic virtuti facere iniuriam ſciendum eſt. ſi enim animus, dum fortis eſt, nõ reſiſtit ſolùm voluptatibus, ſed eas ſuperat etiam, certè quũ ab illis ſuperatur, vel potius antequam ab illis ſuperetur, fortis eſſe deſinit. Sed ne philoſophi quidem ipſi hac in parte interdum ſatis magna cautione vti videntur. veluti vbi dicitur, ἔστι δ᾽ ἡ ἀρετὴ ἠθικὴ ὑπὸ ἐνδείας καὶ ὑπερβολῆς φθειρομένη. Nam ſi virtus eſſe nõ poteſt vbi non eſt μεσότης, ſed contrà ἔλλειψις (quæ hîc ἔνδεια vocatur) vel ὑπερβολὴ: quomodo ab illis corrũpi dici poteſt? Fallũtur tamẽ qui ex iis quę à Cicerone ſcribuntur, De fin. lib. 1, non procul à fine, vbi de temperantia agit, eam à voluptate interdum ſuperari colligunt. Eius verba hæc ſunt, *Pleriq; autem, quòd tenere atq; ſeruare id quod ſtatuerunt non poſſunt, victi & debilitati, obiecta ſpecie voluptatis, tradunt ſe libidinibus conſtringendos*. Sunt enim qui ex his colligũt tẽperantiã interdũ à voluptate ſuperari. Animus enim q tenere atq; ſeruare id quod ſtatuit nõ poteſt, nondũ temperans dici queat.

Sed qualis ea *Fortitudo* eſt quæ *Temperan*

tia indiget, vt ſit moderatrix omnium commotionum? Viderit, Cicero: qui ita ſcribit Tuſc. 5, *Quid ad hanc fortitudinem de qua loquimur, temperantia adiuncta, quæ ſit moderatrix omnium commotionum?* Non dubito autem quin referri hæ commotiones debeant ad illud quod ſcribit libro 1, animum fortem & magnum in homine non perfecto nec ſapiente plerunque feruentiorem eſſe. Sed tum eſt ὑπερβολῆς vitium, vt patet ex Ariſtotele.

CAPVT XI.

VIRTVTEM de fortitudine peculiariter dictam eſſe, ſicut & Græcis ἀρετὴν, antea dictum fuit. Nihil autē eſt de quo magis inter quoſdam philoſophos & hiſtoricos ac poetas conuenire putem, quàm hoc, ſiqua virtus ſit cæteris illuſtrior, huic magis quàm alij vlli titulum hunc deberi: Cicero certè vbi philoſophatur, nō vno in loco his aſſentitur. Quinetiam Ariſtoteles cuipiam videri poſsit minimè his repugnare. Ad poetas autē quod attinet, multi ſunt eorū loci cū eo quē ex Horatio antea attuli cōſentientes.

VIRTVTEM eſſe poſitam in medietate, nullus ex poetis meliùs Horatio oſtendit, cùm aliis aliquot locis, tum in hoc,

Virtus eſt mediū vitiorū & vtrinque reductū.

VIRTVTIS perfectionem hiſtorici præſertim non requirunt, ſed quadā medio-

cri(vt ita dicam)contēti ſunt. Quam ad mediocritatem pertinent quæ à Cicerone ſcribuntur cùm alibi, tum De off. lib. 1, *Quoniam autem viuitur non cum perfectis hominibus planéq; ſapiētibus*, &c. Inter poetas Horatius potiſsimum talem mediocritatem boni conſulit. veluti vbi ſcribit, *Non poßis oculo quantum contendere Lynceus?* &c. Sed nec Ariſtot. cap. vlt. libri 2, Ethic. Nicom. hoc aſpernari videtur: vbi malè, ἐπεὶ οὖν τοῦ μέσου τυχεῖν, ἄκρως χαλεπόν. nā ἄκρως non cū χαλεπὸν (vt & Lamb. iunxit) ſed cum præced. iungi debet.

VIRTVTIS ineſſe nonnullis quoſdā velut igniculos, ſeu quædam ſemina, quæ aſſuetudo augeat, videtur hiſtoricorum & poetarum maior pars ſenſiſſe. Horatius, *Doctrina ſed vim promouet inſitam, Rectique cultus pectora roborant.* Vbi intelligo non cultus rectos, ſed cultus eius quod rectum eſt. Cicero quoq; in ea ſententia fuiſſe videtur: licet alicubi dicat quæ huic repugnare quis exiſtimet. Ariſt. autē vix ſibi hac de re cōſtat.

Sed ad vitia quod attinet, peculiare eſt fortaſſe Suetonio illud, *Vitia naturæ, non animi.* de quo dicto alibi diſſerui.

VIRTVTIS quoſdam viſos alioqui fuiſſe cultores, qui tamen vix ſibi imperare poterant vt vtilia quæ ſe offerebant, è manibus dimitterent, etiamſi honeſtis repugna-

rent, ſæpe teſtantur hiſtorici. Atq; huc ſpectare videtur illud Horatij, *Ipſa quoq; vtilitas, iuſti propè mater & æqui.* quum alioqui cæteri, ac nominatim Naſo & Claudianus aliud doceant, quod philoſophorum opinioni eſt conſentaneum. Claudianus cùm alibi, tum Carm. 2, De laud. Stil. *Iuſtitia vtilibus rectum præponere ſuadet.* Sed & ipſe Hor. aliter alibi loqtur quàm in illo verſu: qui Photino mirè placuiſſet, dicenti, *Sceptrorũ vis tota perit, ſi pẽdere iuſta Incipit: euertitq; acies reſpectus honeſti* Quæ ſententia & à mea monitrice principum muſa dãnata fuit. Succinit tamen Photino Euphemus apud Thucydidem, ἀνδρὶ τυράννῳ, ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ οὐδὲν ἄλογον ὅ,τι ξυμφέρον. vbi miror ἄλογον reddi etiam *iniuſtum.* Quaſi verò, ſi hoc ſignificare voluiſſet, dicere ἄδικον non potuiſſet. Plus certè multo comprehẽdit ἄλογον. Perinde acſi diceretur, Vtilitas quæ ſe oſtentat, ſit pro ratione. Vt dictum olim fuit, —*ſit pro ratione voluntas.*

VIRTVTES inter quum Ariſtoteles non ponat *Prudentiam* (vt iam aliquoties dictum eſt) at ponit in earum numero (non tamen primarias inter) nõnullas quas alij illis non annumerarunt. Ex quibus eſt φιλία. id eſt *Amicitia.* ideóq; videmus illum de ea multo quàm de vlla alia latiùs diſſerere. Inter hiſtoricos autem vix alium quàm Suetonium reperiri arbitror qui *Amicitiam*, vel *Beneuo-*

lentiam, in hoc albo ponat. Neq; tamen *Amicitiæ* ſed *Beneuolentiæ* hunc dat locum: quam Ariſtoteles, ſicut & cæteri, Εὔνοιαν vocat, & φιλίας, id eſt *Amicitiæ*, principium eſſe ſcribit. Quidam autem Italus qui hodiéq; in celebri quadam academia philoſophiã è prima ſede (vt loquitur ipſe) interpretatur, audet virtutem vniuerſalẽ in *Amorem, Temperantiam, Fortitudinem* & *Iuſtitiam*, diſtribuere.

Ad virtutum autem colligationem quod attinet (vt ſcribit & Cic. cùm alibi tũ lib. De off. 1, *Quæ quatuor quanquam inter ſe colligata atq; implicita ſunt, tamen ex ſingulis ſingula officiorum genera naſcũtur:* (quò etiam fortaſſe referri quis poſſe exiſtimet quod paulo ante attuli de temperantia fortitudini velut operam ſuam præſtante) tantum abeſt vt hiſtorici quoq; eã nos doceãt, vt cõtrà nonnulli ſummis vitiis laborantem quempiam & ſimul tamen aliqua virtute aut aliquibus virtutibus præditum deſcribant. Quale enim hoc eſt quòd quidam hiſtoricus poſtquam dixit de Mammæa, *mulier ſancta*, in iis quæ proximè ſequuntur, *ſed auara atq; auri & argenti cupida*, ſubiungit? Hoc autem mea monitrix principum muſa in quibuſdam de auaritia verſibus attigit.

Sanctum quid illis eſſe tu princeps putes,
Cupido auara mentibus quorum imperat.
Mammaa parcat: haud eam vocauero

Sanctam (vt quibuſdam dicitur ſcriptoribus)
Huic mancipata quum foret cupidini.
Nam ſi malorum iure radix audijt
Auaritia, fas & fuit prioribus
Metropolin illam ſi malorum dicere,
Cum ſanctitate quod ſit huic conſortium?
Aut ille cui ſit iſta cum cupidine
Commerc. &c. Dixi autem *quibuſdam ſcriptoribus*, quòd præter Lampridium (cuius verba retuli) etiã alius quidam aut alius aut ea aut ſimili laude ornet, ſimúlque tamen illud vitium illi tribuat.

VIRTVTES plures vni earum quatuor quas primarias appellauimus, ſubeſſe, ex hiſtoricis & poetis diſcimus, non ſolùm ex philoſophis. Sed diuerſæ ſunt ſententiæ de nonnullis, cuinam earum ſubſint. Cic. de fin. bon. & mal. lib. 5, de *Iuſtitia* loquens, *Cui adiunctæ ſunt* (inquit) *Pietas, Bonitas, Liberalitas, Benignitas, Comitas, quæq; ſunt generis eiuſdem.* Ac quamuis addat, *Atque hæc ita Iuſtitiæ propria ſunt, vt ſint virtutum reliquarum communia:* non dubium eſt quin potius *Iuſtitiæ* quàm alij adiuncta virtuti eſſe cenſuerit. At multæ tamen harum virtutum alij ſubeſſe â quibuſdam ſunt exiſtimatæ. Hanc autem minorum virtutum ad primarias adiectionem (ita quidẽ vt harum vnicuiq; ſuæ adiungantur) habemus etiam apud hiſtoricos. Sed quod ad locũ illum Ammiani attinet quem

in ſuperioribus attuli, ex Cicerone ſumptū eſſe conſtat, haud tamen vocante virtutes quas ipſe hoc nomine appellat: vt etiam in quodam meorū Schediaſmatum doceo. Ad poetas verò quod attinet, eos interdum videmus aliquot minores ꝑ vna ex primariis ponere: vt Claudianus lib. 2, De laud. Stil. poteſt videri feciſſe, quum Fortitudinis nomen verſum ſuū non poſſe ingredi videret.

CAPVT XII.

DE VIRTVTIBVS illis nūc eſſet agendum quas primariis ſubiici & illis ſubeſſe diximus: ſed longa eſſet illa diſquiſitio. Primùm enim ne inter philoſophos quidem conuenit de illis animi dotibus quę in hoc virtutū numero ponendæ ſunt: (quū Ariſtotelē *Verecundiam* inter illas nolle collocare videamus) Deinde controuerſia de eo etiam oritur frequenter, ad quam virtutē, tāquam genus, illarum aliqua referatur. Inter hiſtoricos verò atque poetas multo minus conuenit: quum hi in augendo etiam numero multum ſibi permittant (interdum verò & deas appellent quibus alij virtutum tantūmodo titulum tribuūt: atq; adeo nonnullas dotes quibus ne hic quidem titulus datur: veluti vbi *mens bona* à Naſone vocatur *Dea*, dubitanter tamē) at illi philoſophos magna ex parte ſequantur. Magna ex parte

dico. nam id ab illis non ſemper fieri, vel ille Ammiani locus docet, in quo virtutibus eũ annumerare oſtendi res quæ hoc nomen non merentur.

Hæc quum ita ſint, paucas quæ reſtant pagellas potius implebo aliquantula parte verſuum muſæ monitricis principum, quos de pleriſq; harũ ſcripſit: vt hæc pars illius opuſculi ſit principibus velut ſpecimen.

Verùm, quum de paucis in hoc ſpecimine agere, & tẽporis & loci ſpatiũ (nã ſuperſunt tres tantùm pagellæ) mihi cõcedat, delectu, quod ad ordinem attinet, non vtar: ſed ab ea quæ mihi prima in mentem venit, & quam philoſophi gratiorem cæteris aut ſaltem gratiſsimam omniũ, eſſe teſtãtur (quod tamen ſciebatur & antequam nati eſſent) initium ſumam. ea eſt liberalitas. Sed meos de hac verſus antequam proponam (cur enim quæ à muſa mea habeo, mea non dicã?) vt eius mihi gratiam conciliem, ab ea quæ illi fit iniuria volo aſſerere. Nam ad Ariſtotelem quod attinet, non video quomodo liberalitas ſuum ius incolume poſsit retinere, ſi, quod ab illo ſcribitur admittamus: illam eſſe tantùm circa res paruas. At ecce tamen, in quamcunq; bibliothecam te conferas, & cuiuſcunque editionis exemplaria conſulas (nam nemo vnquam fortaſſe plura de hoc loco & de quibuſdam aliis conſuluit) legis

libri 2, Ethic. Nicom. cap. 7, ὁ μὲν γὰρ [μεγαλοπρεπὴς] περὶ μεγάλα· ὁ δὲ [ἐλευθέριος] περὶ μικρά. adeo vt, hanc lectionem ſequendo, intelligendum ſit, eum qui μεγαλοπρεπὴς, id eſt *magnificus* vocatur, verſari circa magna: at τὸ ἐλευθέριον, id eſt liberalem, circa parua conſiſtere. Itáne, liberalitatē adeo humi repere (ſi hoc loqui modo licet) vt ad magna vſq; aſſurgere nunquam poſſit?

Sed volo (ſicut & debeo) Ariſtoteli patrocinari, & oſtēdere, in eo loco vbi facere liberalitati iniuriam videtur, ipſimet à librariis factam eſſe iniuriam. Dico enim & contendo, eum non ſcripſiſſe, ὁ δὲ [ἐλευθέριος] περὶ μικρά: ſed καὶ περὶ μικρά. Fuerunt autem & aliĳ duo Ariſtotelis loci eodem modo, id eſt, eiuſdem voculæ omiſsione, deprauati. Sed hac de emendatione, in qua ſitum eſt meum patrocinium (quū alioqui abſurdum etiam quiddam tantus hic philoſophus loquatur, & cui vel ipſe ſenſus communis repugnare dici poſſit) mea Schediaſmata conſuli poterunt. Libet enim ad ea te remittere, & illos tibi promiſſos de hac virtute verſus proferre. Sunt igitur hi, in quibus verba facio de illo *liberalitatis* ſummo gradu (vt ita dicam) qui *magnificentia* vocatur.

E liberali ſplendor vt ſit dextera,
Magnificus eſto: qualiter ſed principem
Magnifici honorem conſequi viri decet.

Ergo hoc tenaci fige dictum pectori,
Vt parua paruum, magna ſic magnum decet:
Et ipſe titulus, poſtulas cuius decus,
Te digna menti ſuggeret forſan tua.
Huius cupido gloriæ ſi fortè quid
Auri inſuſurret, hoc velim ſit diligens,
Quodcunq; fuerit, pectori proponere.
Fixum ſed altè maneat iſtud interim,
Haud vlla princeps digniora principe
Præſtare poſſit, hanc amante gloriam,
Quàm rebus in eis largá ſi ſit dextera
Quæ nomini ſunt & futuræ ſplendidæ,
Aptǽ que commodis futura publicis:
Siue graue inopiæ ſubleuet ſuis onus,
Annona votis quum repugnat omnium,
Aut aliqua clades indigos opis facit:
Seu plebis aptas vſibus ſtruat domos,
Ornatus vrbi creſcat & quibus ſuus:
Struat vel arces, pulchra quas ſpectacula
Habitura ſit pax, tuta propugnacula
Simul futuras impetus in Martios.
Princeps ſed à me commonendus hic meus,
Conſulere vires vt velit prius ſuas.
Nam magna ma. &c.

Sed iam video, ne illis quidem verſibus quos ſaltem daturum me ſperabã, ſpatiũ ſupereſſe: alioqui liberalitatis (id eſt, verſuũ de liberalitate) minus liberalem eſſe oportebat.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO E.

Digitized by Google